Del Carmen de Sevilla





Regnorum SVECIÆ, GOTHIÆ, Magnique Ducatus FINLANDIÆ etc. Descriptio Nova.



AMSTELODAMI,
Apud Ægidium Ianssonium Valckenier 1656.




REGNORUM SUECIÆ, GOTHIÆ, MAGNIQUE DUCATUS FINLANDIÆ,

ut &

LIVONIÆ, BREMENSIS DUCATUS, Partis Pomeraniæ ad Suecos pertinentis, & Urbis Wismariæ,

DESCRIPTIO NOVA.

Iconibus præcipuarum civitatum adornata.



AMSTELODAMI,

Apud ÆGIDIUM JANSSONIUM VALCKENIER.
Anno 1656.

Illustri ac Strenuo viro

DOMINO

ALEXANDRO ERSKEIN,

Regiæ Majestatis, ac Regni Sueciæ Consiliario secretò, & Militaris Consilii in Germania Præsidi, ac hæreditario in Lutershagen & Vorlandt,

Domino meo Clementi.



ILlustris ac Strenue Vir, Domine Clemens: Memoriæ prodit *Philippus Cluverius*, in opere suo *de Antiqua Germania*, Guttonum, Gotonum, vel Gothorum sedem olim non in Suecia, sed in Pomerellia, & circà Dantiscum, ipsosque, alium, quàm Græcorum Thracios Getas, & Roma-

norum Dacos, populum fuisse. Hanc sententiam suam pluribus argumentis *lib.* 3. *c.* 34. astruere conatur, ac porrò tradit, hos Gotones, vel Gothos postea paternis ad Vistulam sedibus, in quibus *Taciti* temporibus adhuc commorati sunt, relictis, se ad ortum contulisse, & ità divisos esse, ut, qui ad ortum magis concesserant, Gothi orientales, reliqui vero in Transylvania, & locis Germaniæ propioribus habitantes, Gothi occidentales à Romanis perinde ac priores incolæ Getæ, Daci, nuncupati fuerint. Deinde Gothos illos tam orientales quàm occidentales longè lateque diffusos Thraciæ, Illyriæ, Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ sedes suas intulisse, imò & in Bithynia,

Phrygia,

Phrygia , finitimis regionibus domicilia fixisse : Eos autem, qui Gepidæ & pigri audiebant, infra Dantiscum & Elbingam paternis sedibus tamdiu inhæsisse, donec potissima pars, mutatâ patriâ, se alio contulerit. Opinionem hanc tuetur porrò *Cluverius lib.* 14. nec ulla ratione concedit Gothos illos tot memorabilibus factis claros, ut *Jornandes* Suecorum Episcopus & Historicus juxta cum aliis statuit, ex Suecia ortum traxisse, aut parti Regni maximæ, quam Guthiam, vel Gutlandiam, ut & incolas Guthos appellat, Gothiæ, vel Gottlandiæ nomen ab omnibus ferè scriptoribus ipsi tributum convenire. Sed potissimus authorum numerus contrariam sententiam

amplexus celebratissimos illos Gothos tot Regnorum conditores ex Suecia deducit, & quidem Regni parte eâ, quæ Gothia vel Gottlandia ab exterorum plærisque nominata Incolas itidem Gothos nominatos habet. *Cluverii* opinionem refellit, *Iohannes Isaacius Pontanus fol.* 679. *& seqq. Historiæ Danicæ*, & firmiter asserit, Gotones vel Gothones non Gothos aut Gutas fuisse, eò quod Gutæ, qui exterorum sunt Gothi in Scandia, & Gythones, qui *Pytheæ* Guttones, ac *Tacito* Gothones sunt *à Ptolomæo* circa Vistulam fluvium locentur. Porrò quod Germani God, id Danos Gud, id est, Gott, & Gutland, Gulland, ac Gudske nuncupare, quod Germanus voce Gottland efferre solet. Danos

Reges etiam non Gutarum, ſed Gothorum titulo uti, Ptolomæumque, incolas Scaniæ non Gothos, ſed Gutas vocantem Dialecti incolis uſitatæ rationem habuiſſe. Hinc ipſis in dicta regione *à Ptolomæo* collocatis, fieri non poſſe, ut Scanici Guthæ, vel Gothi ipſius Gythones iſti ſint, quibus ad Viſtulam ſedem aſſignavit. *Ptolomæi* quoque ætate circa Salutis annum quinquageſimum Gothos nullibi, quàm in Scania domiciliis ſuis commoratos eſſe, quandoquidem nec ipſe, neque alius antè ipſum, neque Daciæ, Tranſylvaniam, Wallachiam, & Moldaviam hodie complectentis incolas ipſos affirmat, neque Getis aut Germanis annumeret. Sed mox poſt Cæſaris *M. Aurel. Antonini*

 Philo-

Philoſophi tempora, circa 190, à Chriſto nato annum, ipſos ex Scandia patria ſua, quod maximè veriſimile videtur, emigraſſe, & primo Getis & Dacis Danubii accolis innotuiſſe. *Adamum Bremenſem* expreſſis verbis Scandiam Gothorum ſedem nominare, & quidem ex ore potentiſſimi illius Regis *Suenonis Eſthritii* qui Gothos Gutos, & regionem Gutiam, Guder, & Gulland appellare quidem ſolitus fuerat: ſed dictum Adamum nihilominus veris & genuinis appellationibus Gothorum, & Gothiæ uſum, atque ea de cauſa regionem in Weſter Gothiam, & Oſter Gothiam, id eſt, Occidentalem, & Orientalem Gothiam partitum eſſe, atque illam hujus ætatis Scaniam, hanc verò

maris

maris Balthici tractum ſequentem eas terras attingere, de quibus inferius in utriuſque deſcriptione dicitur. In eo tamen *Pontanus Cluverio* aſſentitur, quod Getæ Goti non fuerint, quamvis error ille plures ſeduxerit, ut Getas & Gotos unum & eundem populum eſſe crediderint. Tales fuêre *Iornandes* ipſe, *Procopius*, *Oroſius*, *Hieronymus*, *Spartianus*, *Claudianus*, *Ioannes Gothus*, & *Ioſephus Scaliger*, qui hunc errorem committentes Gothos & Getas confuderunt. Omnibus contradicunt *Herodotus*, *Strabo*, & *Stephanus*, qui Getas Thraces, atque ideo ſemper diverſiſſimum à Germanis ſeu Celtis populum fuiſſe demonſtrant. Sed cum Gothi, trajecto mari Balthico,

à Vistulæ exitu postea discedentes totam Sarmatiam peragrando pervenissent ad Mæotidem paludem, cui Temerinda apud Scythas, hodie Carpalut, Maredelle Sebacche, Maldella Tana, (à Tanai, Don, vel Scythico Danubio fluvio, qui cum multis aliis se in illam præcipitat) Mar Bianco, & apud *Paulum Iovium lib.* 14. *Histor. sui temporis fol.* 160. E. Zabacca nomen est: atque inde ad Dacos, vel Getas perrexissent, ibique domicilia sua habuissent, nomen Getarum ipsis familiare redditum est, ut Getæ nuncupari inceperint. Hoc & Græcos fefellit, Gothos Scythas esse opinantes, quod ex regionibus Mæotidi paludi conterminis, & Europæa Scythia eò profecti erant. *Iohan-*

nes

nes Micrælius lib. 1. *de veteri Pomerania p.* 6. refert, *Pytheam* 250 annis *Herodoto* juniorem, atque ita 1800. annis ætatem noſtram antecedentem dixiſſe, Guttones eo in loco Germaniæ domicilia habuiſſe, ubi Succinum inveniatur, & in litore legatur. Ità etiam *pag.* 15. *idem Micrælius* docet Gothones eos eſſe Guttones, qui aliis etiam nominibus Gottorum, puta, Getarum, & Gothorum deſignentur, & per Pomerellani & Boruſſiam habitationes ſuas expanderint, ac mediterranea quoque incolentes cis Viſtulam Burgundos vicinos habuerint. Hinc patere, ait, quantę potentię populus hic fuerit, & quantam regionem poſſeſſione ſua tenuerit. Liquere item facile ex *Pto-*

lomæo, ejus tempore ipsos trans Vistulam Regni Poloniæ portionem satis grandem possedisse. Domiciliis tamen suis non contentos versus Septentrionem passim in Suecia, Dania, & Iutia sedes suas explicuisse. *Pag.* 55. & seqq. his verbis utitur: Probavimus antea, postquam Europæ Regiones inter Askenezæ liberos distributæ essent, eos in Germaniam primo delapsos, posteà navibus conscensis in Boreales terras transiisse, & tribus illis regnis incolendis initium fecisse. Ideò Suevorum & Gothorum nomen in tractu Germaniæ maritimo permansit, & simul etiam in Borealium istorum trium Regnorum terras translatum est. Quia verò tanto temporis intervallo Regna & Im-

Imperia multis viciſſitudinibus obnoxia ſunt, fieri potuit, quod *Iornandes* dicit, ut aliquot Gothi ex Dania & Suecia in tres naves appulerint eum in locum, quem Germani Gothi jam ante inhabitabant. *Cluverius* inficiando quidem veritatem declinans omnia, quæ de Gothis unquam tradita ſunt, ſuæ Boruſſię, & noſtræ Pomerelliæ Gothis aptare ſtudet. Sed nos *Iornandis* narrationi fidem adhibemus, quæ Gothos laude ſua debita participes reddit, de qua nihil omninò delibantes arbitramur, quod cum noſtris Germanis Gothis, aliiſque Germaniæ populis, Pomeranis nimirum Suevis, Herulis, & Vandalis fœdere inito profectioni ſe commiſerint. Quod autem ante mul-

tos centenos, imò mille annos ante Chriſti incarnationem Gothi in Germaniam venerint, ut *Iornandi* & *Aventino* placet, & quod Scythæ, qui cum *Veſore* vel *Vexore* Ægyptiorum rege bella geſſerunt, aut Amazones, & fæminæ illę heroicæ, à quibus tota Aſia ſubjugata eſt, ac tandem populi illi, qui Danubii accolæ, Perſarum & Græcorum Regibus regnantibus, fuerunt, & ſe omnibus hoſtibus tam fortiter oppoſuerunt, Gothi ex Dania & Suecia ortum traxerint, fieri nullo pacto poteſt. Nam Germani illi, qui *Alexandro Magno* reſponderunt, ſe nullius rei timore percelli, niſi quod vereantur, ne cœlum aliquando ruat, & qui anteà cum Perſarum Regibus fortiter decer-

certarunt, non Gothi fuerunt, ſed nobiles illi Baſtarnæ, & Peucini, quos *Tacito*, & aliis teſtantibus Danubius accolas habuit. Hucuſque *Micrælius*, qui in ſequentibus Gothorum hiſtoriam ex *Iornande* repetit, omiſſis tamen iis, quæ aut nimis longè petita ſunt, aut veritati non uſquequaque congruunt. His addi poſſunt *Herodianus*, *Spartianus*, *Capitolinus*, *Oroſius*, *Xiphilinus*, *Aurelius Victor*, *Lampridius*, *Zoſimus*, *Eutropius*, *Vopiſcus*, *Panegyriſtæ*, *Ammianus Marcellinus*, *Procopius*, *P. Diaconus*, *Blondus*, *Machiavellus*, *P. Bertius lib.* 1. *rerum Germ. de Gothis & eorum Regibus* (ex quorum numero *Alaricus*, vel *Allreich*, qui anno Sal. 409. Romam Vrbem occupavit, & *Theodoricus Vero-*

nenſis

nensis (Dieterich von Bern) qui anno 526. fato functus est.) Atq; hæ sunt de Gothorum ortu opiniones, ex quibus etiam videre est, quid ea, quæ ab *Arriano l. 1. c. 1. Iustino l. 25. c. 3. & Curtio l. 1. c. 1.* & aliis de devictis Gothis referuntur, non Gothis, qui Germani fuerunt, sed dictis Thraciis, vel Scythis, temporis progressu Dacis appellatis, *Iustino testante l. 23. c. 3.* adscribenda sint. Passim in Gothicis illis Sueciæ regionibus altissimi montes, & scopuli insculptas & inscriptas exhibent Gothicas literas, Runas nuncupatas, antiquitatis testimonia antiquissima, de quibus videatur *Andreas Bureus in Orbis Arctoi descriptione, & Ioh. Messen. in tum. veter. & nuper. Sueon. Gothorumq;* Majorum enim facta præclara rhyt-

rhytmicis cantionibus inclusa sæpius canendo & tandem rupibus & scopulis incidendo conservare studuerunt, ne vetustas ea oblivione aliqua deleret. In historiis Archiepiscoporũ Sueciæ legitur, *Nicolaum Ragualdi* Archiepiscopum.a. 1448 mortuum, de Gothorum ortu, rebus gestis, bellis & victoriis historiam à se collectã coràm patribus in Concilio Basileensi eloquentissima oratione enarrasse, eosq; movisse, ut Gothlandiȩ Regi inter omnes Christiani Orbis Reges primum, & supremum locum decernerent. Gothico Hispaniȩ Regi *Recaredo* Concilium tertium Toledi anno 589. celebratum Catholici titulũ, & duo alia concilia annorũ 592. & 599. Christianissimi cognomẽ concesserunt: qui ambo tituli posteà etiã sequẽ-
tibus

tibus Hiſpaniæ Regibus tum à Conciliis nonnullis, tum à Pontificibus, & aliis attributi ſunt, ut *Gaſpar Scioppius in Conſilio Regio pag.* 31. *ſeq.* pluribus docet. Hodiè tamen Chriſtianiſſimi titulum ſolus Galliæ Rex uſurpat, Catholici autem titulo Hiſpaniæ Rex utitur. De quibus & contentione ea de re oborta *du Haillan lib.* 4. *de l'Eſtat des affaires de France pag.* 340. *&* *ſeq: legatur*. WeſtGothi, ſive Occidentales Gothi ab anno 369. velut alii numerant, 400. vel 410. aut à Regis *Walliæ* qui tertius poſt *Alaricum* fuit, adventu uſque ad annum 713. aut 14. Hiſpaniæ Regnum obtinuerunt. Quo tempore *Dom Rodrigo* Rex Gothicus à Saracenis debellatus, & antiquiſſima Gothorum

thorum nobilitas ferè penitus extincta est. Reliquiæ Nobilitatis exiguæ in montana Asturiæ evadentes anno 716 *Pelagium*, regio stemmate oriundum, in solio regio collocarunt, cujus posteri Legionis, Castiliæ, Navarræ, Arragoniæ & Lusitaniæ Regnis pedetentim recuperatis modo unum, mox alterum locum Saracenis, vel Mauris aut Meriscis eripuerunt, donec *Ferdinandus* Catholicus Arragonię Rex ab antiquis Gothis ortus tandem anno 1492 Granadam urbem, & Regnum, ultimum Maurorum perfugium, in suam potestatem redegerit, omnique Hispania Mauris exactis, ipsorum imperio finem imposuerit: cujus decessu potentissima illa regna ad Iohannam filiam

am Philippi Austriæ Archiducis uxorem, & postea ad Carolum Quintum, atq; domum Austriacam devoluta sunt. Hispaniæ autem Magnates, & quicunq; vulgum dignitatis aut honoris gradu aliquo antecedunt, originem suam à Gothis petunt, eaque de causa *gentiles hombres*, vel *gentil hombres*, aut *hidalgos*, id est, nobiles, & præcipuæ notæ homines, ac *hijos dal Godos*, id est, filii Gothorum appellari volunt.

Quantũ ad ipsum Sueciæ Regnum attinet, dubium nullum est, quin Gothi illud inhabitent, quod ipse titulus Regius testificatur. De hoc ipso gloriatus est *Iohannes* Sueciæ Rex in literis suis ad affinem suum *Stephanum* Poloniæ Regem datis, quod ex *Laurentii Mulleri Hist. Suec. Pol. &c. lit. f.* 1.

in-

inferius ſub Gothicarum regionum deſcriptionis finem fuſius narrabimus. Pari ratione Gothico titulo ornatur Rex Daniæ, quod Gothlandia inſula nuper Suecis tradita Daniæ Regni membrum fuerit, & hodierni etiam Jutiæ maximæ provinciæ in Daniæ Regno incolæ ortum à Gothis, vel Gutis derivent.

An autem in aliis etiam Europę partibus extrà Sueciam, Gothiam, & Hiſpaniã hac ætate de Gothis reliquiæ nonnullæ ſuperſint, haud immerito queritur. *Chronicon Carionis lib. 3. pag. 297.* refert, hac noſtra adhuc ætate in Cherſoneſo Taurica, quæ è Ponti Euxini regione, haud longè ab urbe Conſtantinopoli abeſt, & à nonnullis Perokepska, ac Geſara appellata civitatem Capham olim Theodoſiæ nomine celeberri-

mam habet, Gothos lingua Germanica utentes habitare. Regionem illam *Marius Niger* in Gazariam Septentrionibus oppoſitam, & Gothiam in meridiem proclivem partitur. Vulgus ſuum à Gothis ortum duxiſſe Lithuani affirmant. Hungarici illius Comitatus magni Zips incolæ, quibus lingua Germanica familiaris, ab iis Gothis ortum deducunt, qui Gepidæ nominabantur. De Germania noſtra *Angelus Rocha in comment. de Bibliot. Vaticana, in append. de Dialectis p.* 325. Ex omnibus Gothicis populis, præter Styrię & Thuringiæ incolas, hodie in Germania nulli ſuperſunt. Styrię habitatores populares mei à Scyris deſcendiſſe feruntur: Scyros *Procopius* expreſſis ver-

bis inter Gothicos populos numerat, eò quod ex Borussiâ se cum Gothis populis moverint. Ea de re plura vide apud *Micrælium lib.* 1. *pag.* 104. Sed in Bavarico suo Chronico *Andreas Brunner* Styriæ populum à Tauriscis, antiquis Regionis Incolis, desumit: quanquam postea Marcomannorum & Quadorum Sueviam incolentium haud pauci Slavorum & Wendorum vero plurimi se cum iis conjunxerunt. *Latius lib.* 12. *Reip. Roman. sect*, 5. *c*.2. Gothscheer regiunculæ in tractu Crain incolas à Gothis derivat, reclamantibus tamen *Micrælio lib.* 1.*p* 52. & *Megisero*, *Chron. Carinthiaci lib.* 1. *cap.* 1. qui eos à Senonibus, vel Semnonibus Suevis ortum duxisse statuunt. Thurin-

gos ſeu Variſcos Gothicum populum etiam fuiſſe tradit *Micrælius præfat. lib.* 3. & *lib.* 1. *pag.* 104. ſcribit, eos Turcelingos illos eſſe, qui primo in Megapolitanis & Pomeranis oris, antiquorum Anclorum & Warinorum olim ſedibus commorati ſunt. Deuringos, Toringos, vel Turingos *Plinii* Vindilis, vel *Taciti* Vandaliis annumerat *Cluverius*. Thuringos cum *Plinii* Cimbris mediterraneis convenere *Renerus Snoius l.* 1. *de rebus Batavicis* opinatur.

Galliæ magnam partem poſſedêre Gothi occidentales, quo tempore *Merovæus (Mehrwig,)* inter Francos ſtabile imperium conſtituere incepit. Factum illud anno 450. Cum his fœdere inito Regem Hunnorum *Attilam*

lam (*Ezel*) profligavit. Poſtea *Cledov us, Lodovæus, vel Ludovicus* primus Regum Chriſtianorum in Gallia Gothorum iſtorum regionem cum Tholoſa metropoli Regia in ſuam poteſtatem redegit, Gothis tamen non omnibus exactis, ut pote qui à *Carolo Martello* tandem anno 741. ſuperati cum nomine ſuo in Gallia evanuerunt.

In Italia ab *Alarico* Gothorum Occidentalium Rege, *Arcadio* & *Honorio* Cæſaribus regnantibus, vaſtata populus iſte non permanens, ſub *Ataulpho Alarici* ſucceſſore partim in Galliam, partim in Hiſpaniam migravit. Poſt illos Gothi Orientales cum ſuo Rege *Theodorico Veronenſi* (*Dieterich von Bern*) Cæſaris *Zenonis Iſaurici* permiſ-

ſu ex Pannonia in Italiam ſe quoque contulerunt, & Gepidis in Ungaria reliquerunt. Ejus Regis qui triginta octo annos regno in Italia præfuit, mortui ſucceſſor, & nepos *Attalaricus* haud diu vixit, & *Amaloſuintha* hujus mater, & *Theodorici* Regis filia à *Theodato*, hic vero à Gothis interempti ſunt, ac *Vitiges* ſucceſſor in *Belliſarii* Cæſaris Juſtiniani exercitum ducentis manus incidit. In ejus locum ſuffectus ab Orientalibus Gothis *Ildoadus*, & huic quoque interempto *Totila* Romæ Urbis occupatione bina celebris, & toti ferè Italiæ imperans, tandem autem à Narſete contra ipſum à *Iuſtiniano* Cæſare cum exercitu miſſo etiam occiſus. Gothi ſu-

ſuperſtites Paviam quidem ſe receperunt, electo *Teia* Rege, qui cum exercitu ſuo à *Narſete* dicto partim cæſus, partim in fugam conjectus cum Gothico nomine in Italia periit; ut *Nicolaus Machiavellus lib.* 1. *hiſtoriæ Florent. p.* 10. Regnum ipſorum à Rege *Theodorico* ad *Teiam* ſeptuaginta annos floruiſſe tradit. Sunt tamen, docente *Andrea Schoto in ſuo Itinerario Gallico*, qui opinentur, quod ſeptem pagorum illorum opulentorum in Dioeceſios Vincentinæ montanis incolæ (à Venetis ob fidelitatem præſtitutam libertate donati, homines feri, & lingua pronunciatione cum Germanicâ quidem conveniente, ſed à Germanis non intellecta utentes) Gothis originem ſuam acceptam ferant.

rant. Incertum tamen est. *Olao Wormio in Monumentis Danicis fol.* 525. verisimile non sit. Gothos, & Cimbros tam diuturna habitatione in Italia & Sicilia usos, nullam propagatione aliqua sui memoriam reliquisse. De Gallia ita scribit: In Galliis propè civitatem Lochensem in Abbatia Beaulieu (de qua in meo *Gallico Itinerario cap.* 7. *pag.* 172.) Pyramidem extare 12. ulnarum altitudine Gothicis literis insignitam, referunt ii, qui res memorabiles Galliæ descripserunt, &c. plura in Gallia inveniri non dubito: Anglica quædam produxit *Cambdenus*.

Quoniam igitur Gothi non solum olim Sueciam incoluerunt, sed etiam hac nostra ætate incolunt: & ego etiam omnia Orbis

Orbis Christiani Regna descriptionibus meis illustravi; æquum esse duxi, ut de laudatissimo Sueciæ Regno etiam nonnulla memorabilia congererem, inprimis amica instigatione impulsus Domini D. *Christophori Ludovici Raschenii* in Sagnitz, Valck, & Nockebuy, Equitis, Regiæ Majestatis in Suecia Consiliarii intimi, & ad diversos in Germania Principes ac Civitates liberas Legati, qui mihi anno 1632. mense Octobri ex Helvetia revertens jam tum autor fuit, ut ejusmodi opusculo opellam meam insumerem. Parui, & anno demum 1647. in lucem edidi.

Ubique autem Lectores tam benevolos & cupidos offendit ut exemplis brevi tempore om-

nibus distractis de nova ejus editione mihi nova cura incubuerit. Cum verò anteà nemini inscriptum & dedicatum fuerit, Excellentia autem Vestra amplissimis ingenii dotibus prædita, & ad Geographiam singulari studio proclivis omnium laudibus deprædicetur, eò audaciæ progressus sum, ut Excellentiæ Vestræ opusculum hoc, inscriptione humillima offerre ignotus non dubitaverim, submissis precibus adjunctis, quæ ab Excellentia Vestra submisse contendunt, ut non clementi modo benevolentia, exiguum hoc opusculum accipere, verum etiam, si qui errores in eo commissi, de iis in sequiorem partem non acceptis, me certiorem reddere non dedignetur. Tantum

Excellentiæ Veſtræ promeritum in me collatum ut omni ſtudio & diligentia promerear, omnem occaſionem aucupaturus Divinæ protectioni Excellentiam Veſtram ità commendo, ut felici prorogatione non modo ineuntis proximi 1650. ſed etiam plurimorum ſequuturorum annorum ſtabili proſperitate fruens ſarta & tecta ſemper conſervetur. Datæ Ulmæ Prid. Id. Decembr. Anno 1649.

Excellentiæ Veſtræ

Subjectus Cliens,

Martinus Zeillerus.


SVECIA,
DANIA ET NOR-
VEGIA,

OCEANVS SEPTENTRIONALIS
GERMANICVM
MARE
Vulgo De
Noord
Zee
SINVS BOTNICVS
SINVS FINNICVS
Mare Album
Onega Lacus
Ladoga Lacus
MARE
BALTICVM
Vulgo De Oost Zee
Gottlandia
Oelandia
Bornholm
Scala miliarium.
Germanica et Smaland.

REGNI SUECIÆ *Nova Descriptio.*

SUECIÆ Regnum Scaniæ vel Scandinaviæ magnæ illius in Europâ Regionis ad Aquilonem conversę membrum, atque ideo Scandia superior à *Lyseandro pag.* 26. appellata, in occasu Norwegia; septentrione eâ Lappiâ, quæ Suecis non paret, ortu Russiâ; & meridie Balthico mari, ac Daniâ clauditur. Quo pacto & quo tempore Daniæ, Sueciæ, & Norwegiæ fines mille circiter annis post Christum natum descripti fuerint, & Danskkholmi tres Regnorum istorum trium Reges uni mensæ, quisque tamen in regno suo accubuerit, *Heldvaderus narrat in sylva Chronologica Circuli Balthici cap* 3. *in descriptione Regni Sueciæ pag.* 17. De antiquis autem Daniæ & Sueciæ fini-

bus agit *Olaus VVorm* in peculiari libello. Eſt autem Sueciæ Regnum grande & prolixum, & quorundam opinione Daniæ ac Norwegiæ Regnis antiquius, cum his olim Reges præfeciſſe credatur. Hoc tamen inficias eunt *Iohannes Lyſiander Bremenſis in antiq. Danic. ſerm. 3. p. 25. ſeq. & ſerm. 8. pag. 81. & alii*, Incolæ Sueones, Sitones, & Gothi olim appellati ſeipſos hodie propria ſua lingua Duenſche aut Suedos; quaſi Sevedos, ut Norwegi Norvedos appellitant, Nam ex hoc vocabulo Seveden poſtea Sueden, Suedenreijck, vel ut Incolę dicunt Suerrike vocabula emerſiſſe & coaluiſſe videntur. Seveden autem nomini lacus forſan illi tres Venner, Vetter, & Meller ex hoc Regno profluentes ortum dederunt. Niſi forte quis denominationem petere velit à Suine vel Suevo, id eſt Viadro nobili Germaniæ fluvio, qui, inter Inſulas Pomeraniæ ſuas, exitu ſuo Sueciæ oppoſito evadens

dens in mare ſe exonerat. Exitus ipſe Swine, & Schwene vocatur, ac forſan fluvio ipſi olim nomen Sweve, Swive, & Swieve fuit, ut apud *Tacitum* Sueones Suiones appellantur. Diviſio hodie uſitata Regnum totum in Sueciam, Gothiam, Finlandiam, Ingermanlandiam, & Eſthlandiam partitur:

I. SUECIÆ membra ſunt Suecia, aut Suedia, vel Sueonia propriè ſic dicta, & Boreales Terræ Sueonia vel Suedia Auſtrino latere Gothlandiam, Boreali Lappiam & Bothniam, orientali mare Finlandiæ & Livoniæ oppoſitum, Occiduo Norwegiam attingit. Inter Norwegiam & Sueoniam interpoſiti ſunt montes perpetuis jugis utrumque Regnum ſecernentes. Nomina eorum ſunt Sevo apud *Plinium & Solinum*, Scula, Skars & Dorſtrafiel apud incolas hodiernos, Skars, Sula & Doffrafiel apud *Olaum Magnum*, Skars Fiell, Ruut Fiell, Dofre Fiell, & Fille Fiell in

tabulis Andreæ Buræi de Boo, Alpes Dofrinæ apud *Saxonem*, & Fioell in *pacis anno* 1645. *facta conditionibus*. *Olaus lib.* 2. *c.* 15. de dictis montibus. *Tantæ molis & sublimitatis sunt, ut multorum dierum itinere versus occidentem vel orientem proficiscentibus, ob indigestas nives, perpetuò appareant albicantes, quasi candidæ nubes in altissimo aëre condensatæ.* In Suecia propriè dicta sequentes inveniuntur provinciæ: Uplandiæ, Westmannerlandia, Dalecarlia, Nericia, & Sudermannia. UPLANDIAM ad occasum à Vestmannia secernit fluveus Saga; ad Aquilonem inter Uplandiam & Gestriciam idem facit flumen Dalecarlus: ad orientem & austrum maris Suecici, & paludis Meller fluctibus Uplandia funditur. Hordei pulcherrimi ferax solum, & lacus plures, Mellerum inprimis insularum pulchritudine & multitudine exornatum possidet. Ferri, & plumbi, ac quibusdam in locis Argenti fodinas ha-

habet. Triplici Regione triplicem populum complectitur. Tiundia à decem præfecturis denominata est; Attundia vel Ottundia inter Stockholmiam, Upsaliam, & mare octo præfecturas continet; ac Fierundia, in qua Enecoeping, quatuor præfecturis nomen debet, Tihundria, Ahundria, & Fiedrundria sunt apud *Iohannem Isaacium Pontanum in Hist. rer. Danicar.* & *in libro, cui titulus, Respublica Suecica, Rinteliæ a. 1639. in 12. impresso.* His tum quoque peninsula Toren cum duabus præfecturis annumerabatur. Omnibus his Uplandiæ præfecturis cognomina sua proficiscuntur à nomine Hundrat, vel Hundert, quæ in cæteris regionibus Herodh appellantur vocabulo conjuncto ex Hær, exercitum, & Odh possessionem notante, ut dictus *Rintelensis liber pag.* 44. *seq.* manifestat. Herratti etiam vocatæ inveniuntur. Uplandiæ ac totius Regni metropolis est Stocholmia,

eam ſequitur Upſalia, ſuccedunt E-necopinque Sigtun aut Sittuna, & Oregrunda mercatura quidem occupatæ, ſed cum duabus prioribus nec populi frequentia, nec divitiarum affluentia comparandæ urbes. WESTMANNIA, WESTMANNERLAND fertilitate parum Uplandiæ cedit, fodinis autem metallicis longe ipſa ſuperior eſt. Argenti fodina ibi locuples & celebris, Ferri autem, & Chalybis, ac Cupri fodinæ paſſim ferè inexhauſtę, quibus Plumbi fodinę, & Sulphur etiam accedit. Primaria ejus civitas Aroſia vel Weſteras, cum duobus aliis oppidis Arbogen, & Koping. DALECARLIA, DALECARLEN, vel DALECAREL cupro multo ditior Weſtmannia & aliis provinciis Sulphure, Alumine, & Vitriolo etiam affluit. Aqua ex fodinis hauſta ferrum in optimum cuprum mutat, ut quarta tantum ponderis pars ferro in mutatione decedat, ſi in tenuiores bracteas redactum fuerit: tertia verò parte

te idem ferrum minuatur, si crassiori aqua eadem affundatur. Copiosis sylvis hæc regio vestita pluribus aquarum fontibus, & scaturiginibus rigatur ac frumenti quidem ferax est, sed non sufficientis tantæ copiæ hominum strenuè laborantium, frigus tolerantium, edentium, & pugnantium. In Ecclesiasticis Dalecarti Arosiensis Episcopi imperio coërcentur. Regio in Osterdaliam, Westerdaliam, & Sondaliam divisa urbibus caret. Idram caput ejus esse *Nicolaus Sanson* affirmat. NERICIA Argenti fodinas quoque habet, sed à nemine cultas, cum incolæ ferro, alumine & Sulphure contenti sint, & artificiosi fabri ferrarii omnium necessariorum instrumentorum ex ferro affabre factorum alios populos participes reddant. Unica huic regioni est civitas Oreborg, Orebro, vel Orebroa, arce ornata. SUDERMANNIA SUDERMANNERLAND, Lacus Melleri accumbens litori Australi

inter Occasum & Ortum quinque dierum iter expandit. Metalla ipsi non desunto : frumento optimo abundat. Episcopus in Urbe Stregnes habitat. Caput ejus est Nicoping, Neucoping, vel Nycopia ; cæteræ urbes mercaturam aliquam exercentes sunt Telga , Torsilia, & Trosa. Ab hac provincia aut regione Poloni *Carolum* & *Gustavum Adolphum* denominare soliti sunt, antequam hunc posteriorem Regis titulo salutare inceperunt.

Descriptas Sueciæ propriæ sic dictæ provincias sequuntur Nordlandicæ sive Boreales , Gestricia & Helsingia, quas grandis sylva Oedemord sejungit. GESTRICIA, GESTRITZ prȩter ferrum frumenti tantum fert , quantum incolis alendis sufficit , unamque continet urbem Gevaliam. HELSING vel HELSINGIA olim propriis parebat Regibus Regno imperantibus, quod ad fretum Danicum & civitatem Helsingburgum in Sca-

nia

nia Danis hodie ſubjectam excurrebat. *Steph. Steph. in notis ad l. 5. Saxonis p.* 124. Jampliam & Helſingiam Regum Norwegiæ proprias fuiſſe ac incoli cœpiſſe, cum *Kietillus Iampte*, & *Thorus Helſing*, Pater & Filius, Regis *Haraldi Pulchricomi* tyrannidem fugientes, ex Norwegia migraſſent. Si Norwegicis Chronicis fides adhibenda, dictus *Kietillus Iampte Oiſtenū* Sueciæ Regem, qui Nidroſienſem tractum occupaverat, reformidans Jamtiam à ſe ita denominatam incolere cœpit. Helſingi propriam, & à Runis & Gothis planè alienam ſcripturam habent. Gravia ipſis bella cum Finlandis, Cujanis, & Carelis intercesſerunt, qui populi ab ipſis ſæpe ſedibus ſuis ejecti ſunt. Ipſis Cajaniæ, & Finlandiæ terrarum ſeptentrionalium incolis littus maritimum inhabitantibus, ut & Nylandis ex Helſinga oriundis, & Careliæ finitimis lingua Helſingia eſt familiaris. Incolæ Helſingiæ cæteris Suecis magis

hoſpitales, & liberalium artium ſtudioſi mutua earum inſtitutione ſeipſos informant, & domiciliorum puritati maxime ſtudent. In indigenas ſeu veros Helſingos, & Lappones dividuntur. Ad illos Helſingia propriè ſic dicta, Medelpad, Angermanland, & Bothnia: Ad hos Lapponiæ pars pertinet. Helſingia propriè ſic dicta olim Sundhede nominatam fuiſſe teſtatur Sigillum Helſingię hodiernum his literis inſcriptum: *Sigillum communitatis in Sundhede.* Diſtribuitur autem Regio, ſecundum *authorem Reipub. Sueciæ p.* 57. in tres Dominatus, ſeu præfecturas, Aloram fluvio Liuſna rigatam, Sundhede, lacu, & fluvio Bilinæ duas æquales partes ferè ſectam, & Nordſtigh, quæ ſylvæ Arſkag contigua eſt. Helſingiæ proprie ſic dicta una urbe Hudingswald decoratur, ſoloque feraci, & rei pecuariæ admodum commodo gaudet. Proxima huic eſt Medelpadia cum præcipuo ſuo loco Indal ſe-

secundum *Sansonem in tabulis Geographicis*. Angermannia, Angermanland septentrioni vicinior unicam ostentat urbem Hermosand, ut liber de *Rep. Suec.* appellat *Pontano & Sansoni* Hernosandia est. Altis & grandibus montibus, ac scopulis frequentibus attollitur Regio, vallibus & planis inter montes vestita locis adeò fertilibus, ut agri aliquot annis non quiescentes nulla tamen stercoratione indigeant. Humectatur Angermanno fluvio omnis generis piscium, Salmonum inprimis piscatu celebrato. Occurrit hic horribili inclinatione lapsum minans mons Scula. Inter mare & Lapmarckiam vel Lappiam Bothnia sequitur. Mare seu sinus ille in terram longo tractu insertus olim nomine Dumashaff, quasi Dumbi mare diceretur, innotuit; perperam hodie à nonnullis Boddicus, ab aliis autem aptiore vocabulo Botnicus sinus appellatur, finis Gothici vel Suedici maris in

ſeptentrionem deſinentis. Hinc tertia Botniæ pars à Septentrione maris hujus undas reprimens Nortbothniæ, ut, quæ Lappiæ verſus occaſum contigua eſt, Weſtbothniæ, &, quæ ad ortum Tavaſtiam & Savolaxiam Regiones attingit, Oſtbothniæ, & in tabulis Cajanæ nomine ſignatur. *Olaus Magnus de Gentium Septentrionalium variis conditionibus lib. 20. cap. 1*, dictas tres Bothniæ Regionis ampliſſimæ partes affirmat grandes eſſe, ac incolas Bothniȩ Borealis plurimos piſcatu vitam ſuſtentare, non quod ſolum ſterile ibi reperiatur, ſed optimorum piſcium tam incredibilis copia capiatur, ut eorum permutatione omnia ſibi neceſſaria comparare queant. Hinc ex Luſitania vinum optimum, ex Anglia & Flandria pannos pretioſos, ex Germania omnis generis ſupellectilem, ex Suecia & Gothia triticum, ſiliginem, hordeum, omniaque legumina neceſſaria ad ipſos navibus deferri. Æſti-

ſtivis menſibus amœniſſima omnia, inſulaſque plures littoris ductum ſequentes herbis, arboribus & gramine luxuriari, aveſque in arboribus cantilenas dulciſſimas canendo, & tàm diverſa piſcium genera in aquis ludendo incredibile dilectamentum parere. Mare nullius animalis noxii ferax, terram nullius venenati inſecti, aut terribilis feræ patientem, tenebras aut noctem æſtate tota nullam, calorem ſolis non immodicum, ſed aërem ſalubrem & temperatum, ac omnia tranquilla, quieta, & amœnitatis plena eſſe. Ex Bothniæ hujus Septentrionalis montibus flumen erumpit grande, cui Kimi nomen in tabulis chorographicis. Hoc duobus oſtiis excedens maris fluctibus ſuos miſcet, & brachio utroque ſpacium exiguum circumfundit, cui Thorna civitas inſidet. Hæc ex *Olao Magno. Liber de Republica Suecica p. 60. & ſeqq.* Bothniæ in quibuſdam locis ſolum arenoſum aſcribit, cum aſpe-

aſperiore & frigidiore aëre meſſem divitem, & opulentam impediens, quamvis omnium aliarum rerum affluentia incredibilis huic defectui medeatur. Multis fluviis magnis, ait, humectatam Salmonum piſcatu copioſiſſimo gaudere. Incolæ, inprimis vero ii, qui Byrcarl vocantur, à mercatoribus ęſtivo tempore adventantibus omnia, quibus Lappones & vicinos eorum indigere ſciunt, cöemunt, & Hyberno tempore, cum nive & frigore cuncta conſtiterunt, ipſis apportant, eorumque loco piſces ſummo frigore induratos, omnis generis pelles, aliaſq; merces ſecum aſportant. LAPPONIA, LAPMARCKIA, LAPPENLAND tandem omnium regionum Septentrionalium extrema & ampliſſima nemoribus, montibus, paludibus, lacubus, maribus & aquis ac in locis quibuſdam paſcuis etiam ſcatet, agris caret. Venando, aucupando & piſcando incolæ victui & amictui conſulunt. Neque civitati-
bus

bus,neque pagis,neque domiciliis fixis & ſtabilibus inhærent, ſed piſcatus, aucupatus, & Venationis occaſione habitationes mutant, & lacui, paludi, ſylvæ, aut alii alicui locô apponunt. Hyberno verò tempore, quando tributum ipſis pendendum, certis in locis conveniunt, in quibus Paſtòres liberos eorum baptizant, articulos fidei, & alia ejuſmodi exercitia Chriſtiana ipſis proponunt, & examine inſtituto inquirũt, quid de iis, quæ ipſis anno priori propoſita fuerant, memoriâ retinuerint. *Carolus* in locis poteſtati ſuę ſubmiſſis templa extruenda curavit & effecit, ut maxima Lapponum pars à Magicis artibus, quibus antea vehementer dediti erant, nunc maximè abhorreant. Simplices alioqui ſunt homines, probi etiam, & bonis moribus ſtudentes. Raro adulterium, rariſſimè verò homicidium committunt, adeo ut de latrociniis, & direptionibus vix unquam inter ipſos audiatur. Caſulis

vili-

vilibus; & paratu facilibus contenti corpus tegũt pellibus Rangiferis ſuis detractis, quę animalia equorum, quibus deſtituuntur, loco adhibita ſingulis horis 30. mill. Germ. percurrunt, ſicut patet ex *Munſtero l.6.Coſmogr.c.35.fol.*1363. *ult.edition.* Haud multum à cervis lata cornua habentibus ſpecie abludentia, grandibus quoq; cornibus ramoſis, non tam altis quidẽ, ſed aliquantò latioribus ornantur. Firmiſſimæ & validiſſimę naturæ in fame & ſiti ferenda Camelis nihilo inferiora. Mulgentur, & lac ipſorum, ut & caro, ac pelles in uſum adhibentur, cum ungulis ipſis ſpaſmo medentibus. In noſtras Regiones delata diu vivere non poſſunt. *Olaus Mag.l.*17. narrat, *Stenonem Sture* juniorem Sueciæ Principem *Friderico* Holſatiæ Duci ſex talia animalia cum conjugum Lapponum pare, ut eorũ curam gererent, transmiſiſſe; ſed homines cum beſtiis iſtis diu ſuperſtites non fuiſſe. Pellium, quibus ſe Lappones

nes vestiunt, pilos non ad corpus, sed foràs convertunt, ocreęq; ac calcei tales frigori maximè resistentes in Suecia venduntur. In *Itinerario suo Augustinus Liber Baro in Moesb.* hęc habet. Rustici in Suecia libertate magnâ gaudentes, ubicunq; volunt, venantur, & piscantur: cibos male parant, & salis inopiâ laborant. Res pecuaria copiosissima, annona vilissima, Rustici divites & benigni, sed barbari & feri, præcipue in locis à Stockholmia milliaribus septuaginta remotis. Sed quò longius inde versus Suecicum seu Botnicum mare in Nord-Gothiam aut Wester-Gothiam recesseris, eò barbariores tibi homines occurrent. Non amplius panno, sed ferarum pellibus vestiuntur. Rangiferas vocant bestias, cervi specie, minores tamen, cinereo colore, & cursu velocissimo, quas magicis incantationibus cicures reddi ajunt. Trahis junctæ omnis generis rebus vehendis adhibentur. Vinctis solutæ

post laborem sylvam, & socias repetunt. Qui earum bestiarum unam aut plures habere cupit, sylvàm ingreditur, arborem securi ferit, & verba quædam exclamando pronunciat. Mox ex catervâ accurrente optimarum tot eligit, quot indiget, easque funibus ex corticibus arborum ligatas secum ducit, iisque quamdiu vult utitur, cæteras dimittit. *Hactenus Itinerarii iter anni* 1592. *conscribentis verba*: à quo tempore quoad magicam artem apud populos istos antehac usitatam multa mutata sunt. Pecunia Lappones non utuntur, sed piscium arefactorum, & pellium permutatione necessaria sibi comparant. Lini, & Cannabis penuria laborantes animalium nervos, & tendines siccatos, ac tusos in fila ducunt, quæ stanno in subtilissima fila, & bracteas instar auri ducto operiunt, ac vestes suas iis exornant, adeò ut superbia inter hos homines etiam locum habeat. Non omnes autem Lappo-

pones Suecorum imperio parent. Sed meridionales tantum, & quidem eorum maxima pars inhabitans Regionem ultra centum milliarum longitudine, & nonaginta latitudine explicatam. Diſtributio autem ipſius quinq; dat Diœceſes ſeu pręfecturas Lapmarckias appellatas. Eæ ſunt Uma Lapmarck, Pitha Lapmark, Ula Lapmarck, Torne Lapmarck, & Kimi Lapmarck, ut à *Sanſone* recenſentur, cum ſequentibus locis earum præcipuis: Loyſby, Semiſierſi, ſycovoma, Lochtari, Arnyerſuy, Torpajaur, Sirkflucht, Jocomuka, Seqwara, Tingwara, Perderierſi, Kittilaby, Sodeneyle, Somby, Kimiby, Kolajerfui, Kithyerfui, & Maanſelkeby. Daniæ Regi obediunt ii Lappones, qui maris accolę Finmarchiam incolunt, & Siofinni, id eſt maritimi Finni, nominati ſolis piſcibus vivere dicuntur. Tertium Lapponum genus Ruſſis ſeu Moſcovitis parent à Finmarchia & Caſtello Wardhuys uſque ad mare al-

album habitantes. Moſcovitica hæc Regio Suecis eſt Trennes, Lapponib. Pihiniēni, Moſcovitis Trachana Voloch, vel ſecundum *Pontanum* Terſchana Voloch. Nonnulli eam cum veterum Biarnia eandem eſſe contendunt. Quoad Scritifinnos, Scricfinnen *Saxonis Grammatici & aliorum ſcriptis* celebratos, *M. Henricus Soterus Suecus in Sueciæ deſcriptione* dicit, Regionem illam nulla parte talem eſſe, qualis ab aliis deſcripta ſit. Sed nomine Skidhfinnen deſignari omnes Finnos, & Lappones, ligneis calceis, aut ſoleis, à Suecis Skidh, & Finnis Sukſi nominatis, utuntur. His profundiſſimas nives celerrimè tranſeuntes non modo hoſtes perſequi, ſed etiam brevi longiſſimum iter conficere poſſunt: Ideò etiam nomen Skidhkarli iis attributum eſt. Horum ſexcenti paulò ante Regis *Iohannis* III. mortem totum Moſcoviticum exercitum centem mille militibus conſtantem ex improviſo obruerunt, & ni-

& nivibus profundis impeditum fuderunt & in Moscoviam repulerunt. De prima Suecici Regni parte tantum.

II. Sequitur altera Pars capitalis GOTHICAS REGIONES complectens, de qua in *Janssonii Atlante anno* 1644. *edito sequentia extant*: Gothiam sylva Kolmord & Tidwedh à Suecia semovet. Sita est inter duos populos, qui nunquam in concordia vivere potuerunt. Sueci sunt & Dani continuis simultatibus collisi. Gothia in Orientalem & Occidentalem divisa est: Hujus Provinciæ sunt, Gothia, Dalia, Warmelandia, & his annumerata olim Hallandia. Urbes autem Gocheburg (Gottzborg deberet esse) emporium, Scara Urbs Episcopalis, Mariæstadium, Lidecopia: parvæ item, Falecopia, Skedei, (al. Skedri, Skedui) Hio, Bogesund, Bretta, & vetus Ludosia (quibus *Chytræus* Ellsburgum, & *Petr. Bertius* urbem

Va-

Varem Gothicorum Regum monumentis, ut dicit, celebrem adjungunt) In Dalia Daleburgum, & in Wermelandia Caroloſtadium, &c. Illius Provinciæ ſunt Oſtrogothia, Smalandia, & Oelandia, & olim inter eas numeratæ Gothlandia, Scandia, & Blekingia. Oſtro-Gothiam & Veſtro-Gothiam dirimit palus Veter, & ab ortu Suecici maris undę alludunt. Urbes ſunt Vaſtenum &c. Scheningia &c. Lincopia Epiſcopalis urbs, Norkauff, & Sudercopia, emporia. Smalandiæ, & Oſtro-Gothiæ conjunctionem impedit Sylva Holavedh nonaginta quinque milliaria circuitu comprehendens. In ea cernuntur Calmarnia, Jenecopia, Vexium Epiſcopalis ſedes, Ekeſium, Veſtervicum (à Danis 1611. occupatum, ſed mox à Suecis receptum, quanquam *Heldvaderus* dicit, *Gerhardum Rantzovium* anno 1612. dictum locum occupaſſe, diripuiſſe, & Regiam domum exuſſiſſe. (Oelandia pulchra & fer-

fertilis insula arcem Burcholm exhibet. Hæc ex Atlante. Ex aliis addi possunt; Gotlandia frumento, fructibus, pascuis, & re pecuaria dives merito Gutlandia, id est bona terra nuncupata à Septentrione Suecia, ab occasu Norwegiæ montanis, à meridie & ortu marinis fluctibus clauditur, Gothia Occidentalis æqua planitie se expandens aliquot flumina Tidam, Lidam, & Nos in Septentrionem ablegata in paludem Vener emittit. Hic per magnum fluvium Trolhettam juxta Elfszborg & Kongelfs duplici introitu per curva litora, quæ duobus aliis fluminibus Eda & Visk versus meridiem exitum concedunt, in Balthicum mare se infundit. Gothlandiæ pars Dalia inter paludem Vener & Norwegiam maxima ex parte montibus plurimis assurgit. Sed lacubus & fluminibus piscosis, ac re pecuaria locuples est. Wermelandia montana & sylvestres metalli fodinas & nuper admodum cupr

cupri venam ditissimam inventam habet. Flumina item, & Salmonum piscatum, cum urbe Carolostadio. Gothia Orientalis feracitate & fertilitate cæteris Regionibus longè præstat. Si vinum & sal excipias, cętera omnia vitæ sustentationi necessaria affatim suppeditat. Solum frumenti feracissimum, Res pecuaria copiosissima, mellis affluentia insignis: Piscatus, Venatio, Aucupium largissima. Montana Godegard, Hellestaberg, & Vingaberg metalli fodinis turgida. Smalandia sibi nomen adscivisse creditur à Suecico nomine Smala pecus significante. Nam rei pecuariæ hic tanta opulentia, ut etiam Dani quotannis boum haud exiguam copiam coêmentes eò majora agmina in Germaniam transmittant. Lacus piscosi fere innumerabiles, atque inter eos primas tenentes, Bolm, Vlostetz, Moeklen, & Alnan; inter fluvios verò Nyssea, Laga, Helga, Marboa, & Arm. Plu-

res

res autem Smalandię ſunt portiones; Ticherad, Verendia, Tiuſtia, Finheidia, & Mauringia. In Tiuſtia nuper inventæ cupri venæ, in Tuberga chalybis maſſæ informes paſſim ex paludoſis locis effoſſę, & ex lacubus extractæ aliæ, quæ facili fuſione optimum ferrum reddunt. Hallandia, Scania, & Blekingia regionibus Smalandia circundatur. De his Provinciis (quæ cum inſula Gothlandia ſimul omnes in Gothicarum Provinciarum numerum referuntur) diu multumque penna & armis decertatum eſt. Jam Danici juris ſunt, Hallandiam ſi excipias, quam certis conditionibus Sueci poſſident: Oelandia amœnitatis, & fertilitatis plena, pecudes, pecora, jumenta, equos feros, feras venationi, & aves aucupio idoneas copiosè alit, & præter arcem Barcholm, aliis Bornholm 32. parœcias continet. Gothi nonnunquam Regibus ſuis propriis gubernati, ut plurimum tamen Suecos

Reges moderatores habuere. A-blus plerique ſcriptores Gothos deducunt tot gentium, ipſiusque Romæ victores. de quorum Regum ſucceſſione, primogenituræ jure, juxta cum *Gothicis ſcriptoribus legendus Goldaſtus de Majoratu lib. 3. cap. 9. Philippus Cluverius in graviſſimo ſuo opere de Germania antiqua lib. 3. c. 34. & 41.* ſententiæ huic refragatur, & Gothos ex Suecia veniſſe negat: Sed non Suecici tantum ſcriptores, ſed & cum aliis etiam *Pontanus fol. 679. ſeqq. de rebus Danicis* ipſi adverſantur, ut prolixè ſuprà in præfatione docuimus. Ex Scandinavia, ſive Scantzen ipſos tamen & Sueciæ Regno emerſiſſe non modo Jornandis ipſorum Epiſcopi & Hiſtorici, & aliorum veterum Scriptorum authoritate & teſtimonio comprobatur, ſed eo etiam ſtabilitur, quod ibi adhuc paſſim in ſcopulis monumenta Gothicis literis, quæ Runæ vocantur, inſculptæ cerni queant. Vide *Andream*

dream Bureum in Orbis Arctoi descriptione. Citatus *de Republ. Suecica Liber pag.* 71. hac de re sic loquitur: sunt etiamnum hodie apud nos ingentes columnæ lapideæ suis inscriptionibus arguentes, se in præclarorum heroum in Græcia, Thracia, aut aliis Regionibus, quas Gothi olim multitudine sua instar Diluvii alicujus inundarunt, bello vita sua spoliatorum memoriam erectas esse. *Laurentius Mullerus in Suecicis suis historiis lit. F. j.* refert *Iohannem* Sueciæ Regem affini suo *Stephano* Poloniæ Regi literis locorum in Livonia occupatorum restitutionem petenti sequentibus verbis respondisse; An nunquam legerit, Cimbros & Gothos in Italiam profectos eam occupasse, Romam vastasse, & egregia facinora edidisse. Se esse adhuc Regem populorum istorum; illam Regni particulam tantum fuisse, se Dei gratia totum Regnum obtinere. Animum eundem esse adhuc suis, qui

fuiſſet eorum Majoribus : Nihil Moſcowitis & Polonis illos cedere.

III. Trans Botnicum Sinum tertia Regni Sueciæ pars MAGNUS FINLANDIÆ PRINCIPATUS Regio longè latèque dilatata à ſuperiori Finmarckia longè diverſa eſt. Nominis ſignificatione Fiendeland, vel Feindſlands, hoc eſt, hoſtilem regionem ſignificare arbitrantur. Proprii enim ſui Regis ſubditi Finni Suecorum hoſtes erant, donec anno 1155. ut *Olaus Magnus* ſcribit, (alii annum 1150. vel 51. notant) à *S. Erico* Sueciæ Rege anno 1160. occiſo ſuperati, & ad fidem Chriſtianam adducti fuerunt, & ſucceſſores reliquam partem Tavaſtiam, nempè & Careliam, in ſuam poteſtatem quoque redegerunt. Finni ipſi Regionem ſuam à piſcium ſquamis, quæ ædes ipſorum ſordidas reddiderunt, & etiam à paludibus & ſtagnis Somi vel Soma denominant. Peculiarem linguam uſurpant, neque literam F, neque vo-

cem

cem ullam litera B.D. G. aut duabus consonantibus ordientem admittere solitam. Vocabula nec Masculini nec Fœminini generis uno articulo *Se* omnia efferuntur. Dicunt enim se Mes hic vir, se Warmo vel Naine, hæc fœmina, se Ælchin, hoc animal: Aliarum linguarum præpositiones sunt ipsis postpositiones. Ea de causa Nobiles, Mercatores, Pastores, imò ex Rusticis, nonnulli ab ineunte ętate juventutem Suecica lingua imbuendam curant, ut mox aliarum linguarum proprietati, dialectis, & pronunciationi assuescant. Nihil rerum ad vitam colendam necessariarum, nec frumentum, nec fructus, nec res pecuaria, nec jumenta, nec piscatus, nec venationes desunt. Incolæ homines laboriosi & impigri à labore non abhorrent. *In præfatione libri sui tertii Olaus Magnus* Finlandię longitudinem trecentis & latitudinem sexaginta milliaribus Germanicis definit, quod in me-

 dio

dio linquimus. Partitio ejus dat Septentrionalem & Meridionalem Finlandiam, Cajaniam, Savelaxiam, Tavastiam, & Careliam. Meridionalem Finlandiam à Boreali divellit Aujavoki fluvius, Abo Episcopalem Urbem præterlabens. Ipsa Regio longa excursione littus suum curvum in orientem porrigit, & arce ac dynastia Raseborg finit. Finlandia Borealis secundum Botnici sinus oram ad Septentrionem proficiscens comprehendit Satagundiam utramque; Viemo, vel Wiemo, & Masco, ac humectatur Cumo-elft flumine Salmonum & aliorum piscium piscatu celebri, quem juxta civitatem Biorneborg, (aliis Biernborg) Botnicus Sinus absorbet. Inter civitates Abo & Biorneborg occurrunt oppidula Raumo, Nystadh, & Nadhendal, ubi olim Gnadenthal haud exiguæ celebritatis monasterium. *Sanson* Insulam Alande, in qua Castelholm, huc etiam refert. Cajania, etiam Ost

Both-

Bothnia dicta, ut à Westbothnia & Ostbothnia, primæ Regni hujus partis, supra nominatis distinguatur, extendit se secundum sinus Bothnici oram versus Nortbothniam dictam à qua fluvio Kimi-elff, in tabulis Simo-elff disterminatur. Alia flumina habet; inter quę Jo-elff, & Ula-elff: Item urbes novas Ulam, vel Ulo, & Vasam sive Wassam Cal, Mustasar, ut & munitiones Cajaneburg, & Ulaburg. Savolaxia crebris paludibus, lacubus, & fluminibus perforata eorum aquas per fluvium Woxen in grandem illam paludem Ludogam, vel Ladesko Ozero emittit. In hoc fluvio & lacu solo, & non aliis hujus Regni marinos vitulos reperiri ajunt. Cætera Savolaxiæ flumina omnis generis abundant piscibus, ac præcipue luciis, qui exsiccati copia maxima Wiburgum advehuntur. Arce munitissima Nyslot, id est, nova arce se regio tuetur. Tavastia Finlandiæ Principatus Magni medi-

tullio inserta ad occasum Finlandiam propriè sic dictam, ad Septentrionem Cajaniam, ad Ortum Savolaxiam, & Careliam, ac ad Meridiem Nylandiam, & magnam Dynastiam Raseborg inspectat. Aquas in ea colligit magnus lacus Jende vel Pejende. Arcem Tavastum excitavit *Birgerus Iarl anno* 1250. ut Tavastios à se ad Christianam Religionem profitendam coactos intra obedientiæ terminos contineret: Paulò autem post eodem anno Gothicus ille princeps ex vitâ migravit. In hujus Regionis parte Boreali lacus diversi sunt admodum profundi, ex quibus incolæ retibus massas ferri informes extrahunt ferri optimi turgidas, quod facili fusione ex iis elicitur. NYLANDIA, NEULAND, quasi Nova Regio ita dicta, non quod olim inculta planè & deserta cultoribus destituta fuisset, atque ideo nuper demum coli cœperit; sed quod incolæ hac ætate eam colentes nuper ex
Hel-

Helſingia & Suecia venerint in hæc loca, quæ prius Finni & Careli, ut pagorum nomina teſtantur, poſſederunt. Finnici maris tractum ſecuta, è regione Eſthlandiæ in longitudinem progreditur. Fertilis admodum, Piſcatu, Aucupio, & Venatione incolas locupletat: Duas habet civitates Borgo, & Helſingfors. Carelia Carelen ad Ortum Scandinaviæ latera claudit, ac à Moſcovia diſjungitur duobus fluminibus: Uno Dimſaki *Pontano*, aliis Pinſioky, qui aquas ſuas verſus Septentrionem per lacum Vigozero in Maris albi (Bella More) ſinum præcipitat: Altero à *Pontano* Provenetz, ab *Authore libri de Republ. Suec.* Provevetz appellato, qui lacui Onegæ, ſive Onegæ Ozero ſe immergit. Reddit itaq; Carelia dictam Regionem magnam Scandinaviam vel Scanziam quaſi peninſulam, & iſthmum tantum parvum aliquot, vel ut quidam, trium milliarum Maanſelhe, vel Maanſelke nomina-

tum relinquit. Vaſta eſt Regio, in qua ſuperius indicata Finlandica lingua in uſum adhibetur: plane tamen à Danorum, Suecorum, & Norwegorum idiomate aliena, cum Saxonica aliquo pacto conveniens, ab eâque pronuntiatione & dialecto aliquo modo diſtincta, quam Germanicam linguam hi populi à Romanis, Græcis aut aliis nationibus nunquam turbati illibatam conſervarunt. *Ludovicus Guicciardinus in Deſcriptione Belgii anno 1646. iterum edita pag.* 24. dicit; Belgas hodiernam Suecorum Linguam ob nimis duram pronunciationem intelligere non poſſe. *Ioſephus Thomas Cyrolaus, & Hieronymus Megiſerus apud Ioh. Iſacium Pontanum in Chorographica Regni Daniæ, Tractuſq; Vniverſi Borealis deſcriptione fol.* 704. *ſeq.* orationem Dominicam Finlandicâ linguâ exprimunt, de eâ non tamen conſentientes. Pauca etjam verba ſunt in ea, quæ cum Danica aut Saxonica oratione Dominica

con-

conveniunt. De Gothis *Pont. ibidem: Gothi Hlaiff unſera, panem noſtrum dixerunt ſive id à corpore, quia corpus alat, (Saxonicè enim & Danicè leib, & lief corpus dicitur) ſive, ut Vaſerus interpretatur, quia ſit ein leib brod, id eſt, charus panis, & velut neceſſitatis panis.* De Gothica oratione Dominica, & verborum ejuſdem interpretatione vide *Ioh. Micrælium lib.* 1. *de Veteri Pomerania*, ubi etiam illa oratio Suecica lingua conſcripta extat. Item *Linguæ Germanicæ Coronam, Der Teutſchen Sprach Ehrencrantz, p.* 248. *ſeq.* Sed ut deſcriptionis noſtræ filo ad Careliam reducamur, quamvis prolixa & ampla ad fluvium Nievam ex Ladoga lacu in Finnicum Sinum emergentem expatiata fuerit, Finlandicis tamẽ Regibus olim tota paruit. Qui Reges perpetuis Suecorum bellis fatigati paulatim fatiſcebant, adeò ut Ruſſi Suecorum potentiam imminentem formidantes, quò ei jam augmenta ingentia ſumenti reſiſtere

possent, Careliam suo dominatui adjunxere: Hinc gravissima inter Russos & Suecos bella & orta & gesta sunt, donec *Magnus Smeck* Sueciæ Rex, & *Georgius* Novogardiæ in Russia Dux Finlandiam partiti sunt. Suecicæ autem aut Finlandicæ Careliæ metropolis fuit Wiborgum. Postquam verò crudelissimi Tyranni *Iohannis Basilidis* Filius *Fedor*, vel *Theodorus Iucarrowvits* Anno 1598. sine prole mascula discessisset, & ejus Stabuli præfectus *Borisovius*, (aliâs *Franciscus Gudeno Fedorvvits*) singulari fortunæ casu, ingeniique dexteritate & prudentia Magnus Moscowitarum Imperator evasisset. Poloni quidam *Demetrium* quendam copiis Polonicis instructum in Moscoviam miserunt. Hic gerebat se pro minimo natu filio paulò ante obitum nato *Iohanni Basilidi* Tyranno illi. *Borisovium* autem, vel Boris jussisse, dicebat, ut interficeretur, vivente *Theodoro*, cui *Borisovii*

vii soror nupserat. Alium tamen loco suo intefectum, & se clàm conservatum in Poloniam missum esse, ibique Jesuitarum scholam frequentasse. Anno 1605. solenni coronationis actu inauguratus, sequenti 1607. 16. Kal. Junii cum multis Polonis interfectus est à Moscovitis, qui postea Ivan Wasilic Wirz Suski Russorum Imperatorem crearunt. Cui tam à Polonis gravibus bellis, quam à suis seditionibus plurimis in extremas augustias redacto, Carolus Sueciæ Rex copiis suis, quibus *Iacobus de la Gardie* Comes in Leccon imperavit, auxilium tulit. Sine hac Suecorum ope de ipso, consiliariis omnibus totoque imperio actum penitus aliâs fuisset. Profligatis igitur hostibus, & urbe Moscou cum imperio liberata *Suski Carolo* Regi perpetuo & hæreditario jure possidendam dedit Regionem Kexholmiam (Carelogorod) quæ antea Careliæ pars post Principatus Novogardiæ occupationem

nem in Russorum Imperatoris potestatem venerat. Sed Russo promissis non stante acerrimum bellum inter Suecos & Russos exortum, cujus occasione Poloni Moscoviam invaserunt, & metropoli anno 1611. potita Magnum Moscoviæ Ducem *Suski* vel *Suscium* cum duobus fratribus captivum Warsoviam in Poloniam abduxerunt. Sueci Dynastiam illam Kexholmiam & multas alias Russiæ munitiones & arces potestatis suæ facientes magnam Neugardiam usque pervenerunt. Rege *Carolo* morte abrepto Filius *Gustavus Adolphus* bello continuato munitissimam arcem Noteburg in Ingria vel Ingermanlandia Russis eripuit, eosque cum Polonis adeo pressit, ut anno 1615. *Michaelem Fedrovvitz*, *vel Feodorovvitz* Imperatorem constituerint, ac sequenti 1617. pacem cum Suecis ineuntes bello finem imposuerint. Sic tandem Sueci possessores evaserunt Kexholmię,

Not,

Notteburgi, Ivanogorodi, Jamogorodi, & Capuriæ. In pacis constitutæ conditionibus octava hæc erat. Contra Magnus Moscoviæ Dux *Michael Federvvitz Gustavo Adolpho* Sueciæ Regi de Dynastia Novogardiensi cessit & tradidit sequentes arces, urbes & tractus, qui hactenus ad Novogardiensem Dominatum pertinuerunt, nempe Iwanogrod, Jamma, Capories, & Noteburg cum omnibus subjectis urbibus, municipiis, vicis, agris, præfecturis, & pagis debitis suis finibus distinctis, cum omnibus incolis & habitatoribus, diœcesibus, juribus, littoribus, fluviis & lacubus, ita ut nihil planè excipi queat. Hæc omnia cedit & tribuit ipse Magnus Dux Moscoviæ Potentissimo Regi *Gustavo Adolpho*, & Regiæ suæ Majestatis hæredibus & posteris proprietate æterna usu fruenda & retinenda sine impedimento. Undecima Conditio talis erat. Quoniam etiam Magnus Dux *VVasilie*

Ivva-

Iwvanowvvitz Potentissimo Regi Sueciæ *Carolo IX.* tradidit & literis confirmavit, Kexholmiam cum ejus ditione propter fidelem opem sibi pręstitam contra Polonos, hac pacis constitutione ea omnia rata habet, & confirmat Magnus Dux *Michael Fœdervvitz*. Hoc pacto Russica, vel Kexholmica Carelia ad priorem suam partem rediit, totaque jam Suecorum Regum propria est: Accessit & Ingria, titulumque Regium auxit. Carelogorod vel Kexholmia Regio nomen sibi ab urbe & arce Kexholm adsciscens fertili solo gaudet præcipuè iis in locis, quæ situ suo paludi Ladesco Ozero circumposita sunt. In Septentrionali vero tractu, & locis 15. aut 20. milliaribus à palude dicta remotis paludum & stagnorum tanta est copia, ut in montibus solis frumenti nonnihil crescat, quæ caussa est, ut plærique incolarum venando & piscando vivant. Palus autem, de qua diximus, Europæ maxima fer-

fertur, & ovi ferè ſpecie 36. milliaribus longitudinem, & 20. latitudinem dilatat, ejuſque Ruſſi vix quintam partem, reliquas Sueci poſſident. Piſcium copia incredibili referta urbem Kexholmiam Salmonum Piſcatu ditat. Ex Ruſſorum opinione nomen ipſi inditum à piſcibus quibuſdam paulo haleces magnitudine excedentibus, & nullibi in Ruſſia, quam hic captis, qui Lagdog nominantur. Prope Kidilam hujus regionis prætioſi lapides effodiuntur, qui Rubini Kexholmici, & Ruſſica lingua Kidelſco Camen dicuntur.

IV. Quarta hujus grandis Regni Sueciæ pars includit INGRIAM, INGERMANLAND, & munitiſſimas in ea ſitas munitiones & arces Noteburg, vel Oreſka, Ivanogorod, Caporia vel Capuria, & Jamagrod, vel Jama Imperii Moſcowitici olim claves. Ingriæ ſolum fertile, aquæ piſcibus confertæ, Sylvæ feris & avibus ſcatentes. Alcium venatio hic potiſſima:

ma : Eas Succi Elg vocant : Bis quotannis, Verè nimirum & Autumno Nievam fluvium agminibus transeuntes in hac regione capiuntur.

V. Ultima Regni Sueciæ pars ESTHONIA, ESTHLAND capit Regiones Harriam, Wiriam, Alentakiam, Jerviam, Vikiam, & urbes ac loca Revel, Wesenberg, Tolsburg, Borcholm, Narva, Wittenstein, Hapsal, Lehal, Lode, Felin, Operpal, Helmet, Parnau, Padis, & alia plura, ac insulas etiam aliquot : Hujus Ducatus nomen etiam in titulo Regio occurrit, cum maturè à Suecici Exercitus Imperatore *Ponto de la Gardie* bellis Moscowiticis cum Livonis & Polonis ferventibus occupatus & cum Sueciæ Regno conjunctus sit. Ut *David Chytræus lib.* 25. *Saxon.* indicat. Pars ea tempore eo, quo Rex *Steph.* cum Polonis suis ante Velico Luco & Plescau cunctatus est, Suecorum armis acquisita longitudine sua 40. milliaria superat & à Nar-

væ

væ fluvii ostio per Tolsburg, Wesenberg, Revel, Padis, Wittenstein, & Habsel usquè ad ditionem Parnau se extendit. Hujus successus felicis, quem Poloni Suecis invidebant, causâ Regem *Stephanum* ferunt dixisse, sibi omnem belli aleam, laborem, & periculum subeundum, & in se nullam, in Suecos omnem totius istius belli utilitatem redundare. Quandoquidem verò Livoniæ pars est Esthlandia, ejus descriptio in peculiari de Livonia tractatu etiam invenietur. Sueciæ Rex Livoniæ quidem hac ætate magnam partem in potestate sua habet: sed titulo ejus nondum utitur; utpote quâ regione Poloniæ Rex nondum cessit, viginti sex annorum inducias tantum A. 1636. pactus cum Suecis. Præterea ante Moscowitica bella Livonia Imp. Provinciis & Germaniæ annumerata fuit.

Atque hæ sunt quinque Primariæ Potentissimi hujus Regni Sueciæ Partes cum plurimis, quas compre-

prehendunt, Regionibus.

His accesserunt quæ ratione Pacis factæ idib. Sextilis anno 1645. in finibus propè Broemsebroo (quo in loco anno 1541 Daniæ Rex *Christianus III.* & Sueciæ Rex *Gustavus* convenientes fœdere se sociaverunt, nempe ubi in ponte duo Regna separantur) & confirmatæ in finibus prope Markaryth idibus Septembris ejusdem anni Suecorum potestati traditæ sunt, ut sequitur. 1. Jemptia, Jempterland, cum Herrndalia. 2. Gotlandia Insularum Wisby urbe & arce cum adjunctis insulis. 3. Oeselia Insula cum Arensburgo, subjectisque insulis, omnibus incolis, Ecclesiastica & civili Jurisdictione, vectigalibus, juribus & privilegiis tam terrestribus, quam marinis. Quę loca omnia proprietate hæreditaria Suecię Reges jam possident. Porrò Danię & Norwegiæ Rex *Christianus IV.* *Christinæ* Sueciæ Reginæ annorum triginta spatio cum juribus, privilegiis,

giis, & immunitatibus omnibus pignoris loco possidendam tradidit Provinciam Hallandiam cum omnibus ejus munitionibus Laholm, Helmstad, & Warburg, cum urbibus & municipiis subjacentibus, Laholm, Helmstat, Falckenberg, Warburg, & Konigslaſcka, ac tota regione ejusque jure clientelari; eâ conditione, ut incolis Hallandiæ antiqua sua jura & Privilegia Danica tàm Ecclesiastica quam civilia conserventur, & triginta annis elapsis Dani ante ejusdem Provinciæ restitutionem, aut eandem iterum, aut aliam similem, quæ Suecos securos & contentos reddere queat, iisdem conditionibus & eodem fine tradant, nempe ut de pactis & conventis Sueciæ, Finlandiæ, Ingermanlandiæ, Estlandiæ, & Livoniæ negotiationem, & navigationem earumque libertatem per Fretum Danicum (Oresundam) & mare Belt concernentibus servandis securi & tuti esse possint.

Hal-

Hallandia hæc certis conditionibus Suecis tradita cum cæteris Daniæ Regni regionibus descripta reperietur.

Oesilia Insula, Osilia Livoniæ annumerata in ejusdem provinciæ descriptione quærenda erit.

JEMPTIA, JEMPTERLAND (de cujus nomine & primis incolis jam supra apud Helsing actum est) cum HERRNDALIA sita in Suecico latere Fiollis, seu magni illius tractus montani, qui intercursu suo Sueciam & Norw. disterminat. Sub hoc tractu cubans Angermanniam & Medelpadiam Provincias Suecicas tangit. Alsne, Ron, Aus, Lidh. Hamerdal, Oviken &c. in Geographicis delineationibus ipsi assignantur. Daniæ Finmarcki antehac quotannis duos mercatus solennes unũ die S. Catharinæ festo, in Hamerdaliæ meridionali latere & alterum die Solis Palmarum in Boreali Hamerdaliæ latere celebrare soliti sunt. Tradebant au-

autem Suecis pelles & coria ferrarum omnis generis, eorumque loco vinum aduſtum, farinam, pannos, aliaque ad corporis humani ſuſtentationem neceſſaria recipiebant. Qui mos forſan adhuc apud eos viget. Huic Regioni ſua dona non deſunt; Frumenti enim dives eſt; cum in Danica Finmarckia nec ſeratur, nec metatur. *Olai Magni* tempore ſubdita fuit Archiepiſcopo Upſalienſi qua de re *author ille lib.* 2. *cap.* 14. *Iemphthia provincia Archiepiſcopo Upſalienſi, cum Curia Vrſterhuſia appellata, eſt ſubjecta. De qua Iempthia per excelſiſſimos montes (Scars & Iula inter Sueciam & Norvegiam) non minus terribile, quam periculoſum iter æſtivo tempore conficiunt Incolæ terrarum, & peregrini viatores, qui aliâs hyeme per congelatas paludes, ſtagna, & amnes brevioribus compendiis & ſemitis, quòcunque placuerit, proficiſcuntur. Olaus VVorm lib.* 5. *pag.* 310. ex *Meſſenii Specula Sueciæ* mentionem facit de lapide ingen-

genti in amœna quadam hujus Regionis valle, cujus Gothica inscriptio prophetiam quandam continere dicitur. HERRNDALIA, *Pontano* Herdalia Dynastia cum circumjacentibus ditionibus Nomedalia, Hellegelandia, Frostena, Indera, Heroa & aliis jam ante Nidrosiensis Episcopi curę in Ecclesiastis commendatę erant. *Olaus VVorm pag.* 344. indicat, *Heriulferum*, *Hornbrioter* cognominatum ex Dania in Sueciam profectum Comitis cujusdam filiam ibi stuprasse, & cum ea vicina Sueciæ & Norwegię deserta & solitudines aufugisse, constructoque ex lignis domicilio per ministros à vicinis vitæ necessaria coëmenda curasse, donec totam hanc ditionem in usum suum convertisset, à nomine suo appellationem Herrufdal, & corruptè Herdal trahentem.

GOTTLANDIA INSULA pecorum & pecudum multitudine referta ex sylvis abietibus plenis ligna, & lapidi-

pidicinis ad ædium ſtructuram ſaxa affatim ſuppeditat. Proxima eſt magnæ Provinciæ Oſter-Gothiæ, vel Oſt-Gothlandiæ. Sunt qui Gothiam vocent. Ab incolis ipſis, ut & Danis ac Suecis Guland nuncupatur, nomine Ptolomæi Guthis, quos ab aliis Gothos dictos hic collocat, congruente. Octodecim milliaribus longitudo, & quinque latitudo protenditur. Unicæ civitatis, quam habet, deſcriptionem inferius quære.

Præter nominatas hactenus Regiones Sueciæ Regno plures adhuc aliæ in Germaniâ acceſſerũt beneficio Pacis initæ cum Cæſare, & Imperio Romano, cujus conditiones Prid. Id. Octobr. Veteris, & 9. Kal. Novembr. Novi ſtyli Anno 1648. Oſnabrugi, & Monaſterii ratę habitę & ſubſcriptę, ac Moguntiæ deinde in 4. impreſſæ ſunt. Eæ ſunt Pomerania tota anterior, inſula Rugia, & in Pomerania poſteriore Stetinum, Gartz, Dam, Golnau, Inſula Wollin cum Via-

dro alveo, & æstuario Frische Haff, & tribus ejus ostiis Pein, Schwin, & Divenan, usque ad Balthicum mare: In Megapolitano Ducatu Wismaria cum portu, Munitio Walfisch, duæ præfecturæ Poel (exceptis pagis Schedorff, Weitendorff, Brandenhisen & Wangeren ad S. Spiritus Xenodochium Lubecæ pertinentibus) & Neuen Closter: Item Archiepiscopatus Bremensis, & Episcopatus Verdensis cum oppidulo & Præfectura Wilshausen, juribus item omnibus & prætensionibus Capitulum seu Collegium Ecclesiasticum Hamburgense concernentibus, & superioribus Episcopis concessis, cum juribus item & bonis omnibus tam Ecclesiasticis quàm civilibus jure clientelari perpetuo ab Imperio obtinendis, & conferendis, adeò ut imposterum Sueciæ Regina præter consuetum titulum etiam salutanda sit Ducissa Bremæ, Verdæ, & Pomeraniæ, Principissa Rugiæ, & Domina

Wis-

Wismariæ. Sed de his omnibus in Germaniæ topographia suis locis agetur.

De Suecicarum Regionum naturâ & propietatibus superius prolixè satis egimus. Communi sermone fertur, grandi montium copiâ Sueciam consterni, sylvis infinitis vestiri & lacubus ac fluminibus piscium multitudinem incredibilem nutrientibus madefieri. Passim inter montes intercedere planities omnium Regionum meridionalium fertilissimas. Fructuum, mellis & rei pecuariæ affluentiam esse copiosissimam. Plumbi, ferri, & argenti fodinis plurima loca scatere, & quibusdam in oris argentum adeo purum esse, ut ejus quindecim libræ unam auri reddere queant. Reditus annuos in Regem amplissimos redundare ex metalli fodinis, vectigalibus, decimis, bobus, bonis Ecclesiasticis, ac pellibus pretiosis. In *Thesauro Mediolanensi Politico*, & apud *Iohannem Bote-*

rum legitur, Regem ſingulis annis ſexcenta vel ſeptingenta Imperalium millia Theſauro ſuo apponere poſſe. Hoc de prioribus illis temporibus authores illi, antequam tot Regionum acceſſio tantum Regno incrementum attuliſſet. *Petrus Bertius lib. 2. Rer. Germ. cap.* 16. tradit; Ex communi opinione Sueciam Gallia & Italia majorem eſſe, non annumeratis Finniâ, Lappiâ, multò minus iis, quæ ex Moſcoviâ, Daniâ, & Germaniâ nuper acceſſêre. Stockholmiâ verò uſq; ad extimos Lapponum fines mille milliaria Italica numerari. *Auguſt. liber Baro in Moerſberg* in *Itinerario ſuo*, Suecia, inquit, prolixæ & ſpatioſæ capacitatis Regio trecentorum & amplius milliarium longitudine extenſa eſt: trium autem horarum milliare intelligas oportet. Tertia parte vix habitabilis non montibus, ſed fluminibus, ac lacubus tam grandibus quam parvis abundat. Ruſtici, qui ex Hollandia

in

in Sueciam migrârunt, affirmant ſexaginta lactis urnas in Suecia plus caſei & butyri, quàm in Hollandia centum reddere. Infinitarum paludum & lacuum piſculentorum præcipui ſunt: Meler, Vener, & Veter. Superbæ urbes, arces, & Nobilium domus primo adjacent, & haud longo inde intervallo inexhauſta colitur argentifodina, ut & ferri ac cupri aliæ. Hinc fieri dicit, *Olaus Magnus lib. 2. cap. 19.* Regem Sueciæ & Gothiæ divitiis & opibus aliis Europæ Principibus nunquam cedere. Paludem Vener in Weſt-Gothia, vel Gothia Occidentali 130. milliaria Italica longitudine, & ferè totidem latitudine comprehendentem, plurimisq; inſulis refertam plus quam vigintiquatuor flumina recipere, ac unico tantum exitu patere dicit. Hanc paludem circumeunt Nobilium domicilia ſuperbam ſtructuram oſtentantia, inter quæ Arx Leckio ab Epiſcopis Scarenſibus ſcopulo altiſſi-

mo imposita, & celebris fonte suo plus quam ducentos pedes profundo, & in dura rupe excavato. Accolæ urbes sunt duæ illæ antiquissimæ Lidecopia & Tinguallia: Posterior à Rege *Carolo IX*. restaurata, & Carolostadium appellata. Tertius Vether subviridis coloris aquâ limpidissimâ, per cujus pelluciditatem etiam nummus in fundo jacens extra eam stantibus in oculos cadit. Ei adsunt S. Brigittæ cœnobium, urbs Jenecopen, & Alvastra monasterium. De cæteris Paludibus Peinda, Ladoga, &c. superius dictum. Scriptis etiam celebrantur Paludes Hiel Meer in Nericia; Silian in Dalecarlia; Tornetresk & Enaratresk in Lappia; & Vlatresk in Cajania. De fluminibus etiam antecedentes Regionum descriptiones meminere. Ligni plærisque in locis tàm ad quotidianum Culinæ & Vitæ usum, quam metallorum liquationem penuria nulla. Montes venationem & aucupium

pium largè ſuppeditant. Suecicum & Finlandicum littus infinitis ſcopulis, & rupibus partim pronis, partim erectis undique tanquam muro & vallo aliquo obſeptum peregrinos, ni ductorem inquilinum & locorum peritum habeant, omni aditu intercludit. Scopuli ipſi in acumen deſinentes, & ob acumina invii pauco & tenui ceſpite viridi obducuntur. Porrò Inſulæ, ac inprimis, quæ in mari ſitæ, quanquam locis ſuis agros, paſcua & prata, tamen plærunque etiam ſcopulos, & denſiſſimas ſylvas habent: id quod peregrinos eò adventantes in maximam admirationem quoquè rapit non percipientes, quo pacto tàm aſperâ terrâ incolis alimenta neceſſaria ſufficere queant. Sed interiora penetrantibus aperta & pulchra terra ſe offert omnium rerum vitæ ſuſtentandæ ſufficientium ferax, Vinum excipio, cujus proventu juxta cum Anglia, Norwegia, Dania, Polonia & Moſcovia

caret. Ejus tamen copia maxima apportatur. Vulgaris potus eſt cerevisia. Inſularum habitatores & maris accolæ piſcatu, qui Mediterranea incolunt, agriculturâ, & re pecuariâ ſibi de victu & amictu proſpiciunt. Hi igitur frumentum & alia illis, illi verò piſces his ſubminiſtrant. Annonæ caritas cum ingruit, pauperes ex abietum, & pinorum corticibus panem pinſunt ſtomacho & utilem & concoctu facilem, ut ipſi arbitrantur. Miræ magnitudinis caſeos conficiunt, & caſeo ac butyro prandium ac cœnam ordiuntur, & claudunt. In Lappia & Kexholmia Adamantes, Amethyſti, Topaſii, Rubini & alii ejuſmodi lapides pretioſi inveniuntur. Hybernum frigus in Suecia tolerabile, adeo ut Camini fornacibus frequentiores. Agricolarum fere quiſquè opificium aliquod callet, & Calendarium Gothicis literis baculo inciſum ſecum gerit, ut *David Frœlichius part.* 2. *viatorii lib.* 1. *c.* 13.
pag.

pag. 337. indicat, qui *part.* 1. *lib.*3. *p.* 79. hæc quoquè verba uſurpat : *In Suecia multis in campis paluſtribus limus extrahitur rubens, è quo optimum ferrum paratur, ubi unico ſaltem anno à Solaribus radiis iſte limus eſt percoctus.* Equorum in equitando uſus infrequentior : frequentius junguntur trahis tapetibus ad frigus arcendum totis obductis. Iter enim Hyberno tempore, quando omnia glacie conſtricta jacent, facere apud Suecos in more poſitum eſt. Æſtivo tempore per vias profundas, paludoſas, & cœno profundo conſtantes difficillimæ & moleſtiſſimæ ſunt profectiones. Ex Dania in Sueciam mari profecturus Pentecoſtes feſtum præſtoletur oportet : quia tum demum littora & oræ maritimæ liquefactâ glacie liberantur. Naturalibus thermis Suecia deſtituitur, nec Sueci, *Olao Magno lib.* 15. *cap.* 35. ſcribente, illis ipſis temporibus earum in uſum adhibendarum gratiâ in exteras provincias ſe

contulerunt, probè experientia compertum habentes, ſulphureas ejuſmodi aquas gratâ ſubtilitate oſſa penetrantes medullam exedere, & exſiccare, nec multum ad morbi ablationem conferre. Sed aquam communem ad balnea frequentia adhibent. Paucos in Suecia Pharmacopolas, & Doctores Medicos, ſed plurimos tonſores & Chirurgos invenias. Apud nobiles filii juxta cum filiabus hæreditatem adeunt; his tamen una pars tantum competit, illis duæ, in bonis nempe propriis, & beneficiario juri non obnoxiis. Sueci ingenii & animi vigore pollentes non opificia tantum, verum & liberales artes & diſciplinas addiſcunt, & ſuæ veteri linguæ Germanicæ etiam Latinam, Gallicam, & alias adjungunt. Plebs habitu vili utens in pagis & oppidis ligneas & humiles domos inhabitat. Sed Holmiæ & in aliis nonnullis præter cæteras eminentibus urbibus plæraque ædificia

ex

ex lateribus & lapidibus ſumptuoſè conſtructa, ut & paſſim in circumjacentibus locis & Regionibus ſtructuræ elegantes Germanas æmulantur. Matrimonium caſtum incolæ conſervant, humanitatis, ęquitatis, & integritatis ſtudioſi, ſed hodie ut olim non tàm hoſpitales, quamvis iter facientes non malè excipiant. Uſu apud ipſos receptum eſt, ut hoſpes cum uxore ſupremum locum occupet, cæteri hoſpites paſſivi activum ſequantur. Ruſtici paſſim cochlearibus argenteis gravibus utuntur: Bacchanalia magni faciunt, & opiparè, ac lautè eadem celebrant. Non, ut olim, ita hodiè itinera tuta, & periculo vacua: Pluribus quoq; in locis nec vinum, nec cereviſiam, nec aquam bonam nanciſceris. Homines modeſtè & temperatè viventes ad ſummam ætatem perveniunt. Sequior ſexus modeſtiam colens, fertilis, in re familiari regenda optimè verſatus & ad ebrietatem non proclivis. Mares

otium odio proſequentes & laborioſi multa tolerare poſſunt.

In ſtatu Regni Sueciæ Politico ſex ſunt Ordines in publicis Comitiis ſuffragia ferentes; Principes hæreditarii, Nobiles, Milites, Cives, Mercatores, & Ruſtici. Superioribus temporibus Sueciæ Reges publicâ & liberâ electione, ut Daniæ Reges, ad Regnum promoti ſunt. Sed jam Regnum hæreditarium eſt, & filius patri ſuccedit. In ſolenni tamen Inaugurationis actu ſacramento publicè ſe aſtringere debet obſervationi & patrocinio Auguſtanæ Confeſſionis, ac Majorum ſuorum legibus ac ſtatutis, adeo ut ſine Ordinum publico conſenſu ipſi novas leges ferre, aut antiquas abrogare non liceat. Nobilium item immunitatibus & privilegiis nulla ratione imminuendis, aut mutandis. Si huic Sacramento Rex non ſatisfaciat, ſubditi quoque ſe Sacramenti, quod Regi præſtitum eſt, vinculo non teneri,

nec

nec eidem obstrictos esse arbitrantur. Eum igitur dimittunt, Regnoque alium præponunt, ex eadem tamen lineâ Regiâ descendentem, ut *Pontanus de rebus Danicis pag.* 765. pluribus innuit. Si plures quam unus Regi fuerint filii, cæteris præter Regem Successorem Ducatus certi possidendi testamento legantur. Filiæ Regiæ cuique centies mille imperiales dantur, præter argentea vasa, & auctarium illud, quod ordines de Regni incolis nova aliqua exactione collectum, aut alia aliqua ratione impetratum adjungere dignantur: Adeo ut Rex omnibus sumptibus in filiam conferendis supersedere queat, nisi de suo etiam ipsi donare velit. SECUNDUS ORDO est NOBILIUM, ad quos referuntur Comites, Liberi Barones, & Equites Aurati (In Suecia Equitum Auratorum duo fuerunt Ordines, qui ferè in desuetudinem abiêre, de quibus *Franciscus Menenius in deliciis Equestrium*

ſtrium Ordinum legendus) & cæteri Nobiles, qui omnes ampliſſimis privilegiis, & immunitatibus, ac bonis ſuis hæreditariis & propriis fruuntur: ex quibus tamen excipiuntur Comitum & Liberorum Baronum Dynaſtiæ, & bona illa, quæ poſteriores Reges beneficiario jure contulerunt. Ex hac Nobilitate deligitur Regni Senatus Summus ex quinque perſonis conſtans, Præfecto Summo, Mareſchallo, Cancellario, Architalaſſo, & Theſaurario, quorum tres primi reliquos authoritate antecedunt. Vocabulum Drotſet, vel Droſſet, idem ferè eſt, quod Regius Locumtenens, vel Vice Rex, ut hodie vocant: Hinc etiam Regia Conjunx Drotning appellatur. Hic autem Præfectus Regni ſummus hodierno tempore Parlamenti, vel ſummi Judicii, quod Sueci Hoffreten vel Konungznambd nuncupare ſolent, Præſes, qui de omnibus ad ſe appellatione delatis cauſis, & ſententiis à minoribus Judicibus

cibus latis judicat, & ſententiam fert, à qua nemini provocare licet, niſi in gravioribus cauſis, poſtuletur, ut novo examine inſtituto adhuc acrius ventilentur & excutiantur. Cauſę & lites in urbibus coràm Conſulibus, & Scabinis, in pagis coràm Judice, cui Hæreds hoeſting apud ipſos nomen, aguntur. Hinc appellatione tranſferri poſſunt ad Regionis ſeu Diœceſeos Judicem ſuperiorem, qui apud ipſos Lagman eſt, ac tandem ad Regium illud Parlamentum ſeu Judicium, aut Dicaſterium Regni ſummum, uti modo dictum eſt. Totum enim Regnum in Provincias ſuas, & hæ iterum quævis in præfecturas aut diœceſes certas diviſæ ſunt. Unaquæquè Provincia Gubernatori ſuo ſubeſt; Ipſis eſt Landzherr, vel Stadthalter. Quælibet præfectura regitur à ſuo prǫfecto Leenſman appellato; Parœcia verò quævis à ſuo Nembdario, vel Nemdemanno, qui pago vel municipio præeſt. Cum

Natu

Naturalibus legibus & ſtatutis Suecica apprimè congruunt. Nec à Romanis abludunt, eò tamen laudabiliora, quod eorum beneficio controverſiæ citius expediantur; Vide toties ſupra citatum *librum de Republica Suecica* illuſtratione prolixiori hęc omnia enucleantem. Munere autem hoc menſe Septembri anno 1645. fungebatur *Petrus Brahe Comes VVisingburgensis.* Mareſchallus Regni, Marſk vel Richſens Marſk Suecis poſt hunc, militiæ præfectus eſt Generalis, & abſente Rege toti exercitui imperat. Plures ſub ſe habet officiis militaribus fungentes Ryckſens Teighmeiſter, Armamentariorum præfectus ſummus ipſi ſubeſt: Hic armamentariorum, tormentorum æneorum, pulveris pyrii, omniſquè apparatus bellici curam gerit, & à pluribus tormentorum libratoribus aliiſque talibus adjuvatur: Præfuit huic muneri *Carolus Guſtavus VVranghel*, antequam anno 1646.

Legu-

Leonhardo Torstensonio in Germania succedens Exercitus Suecici Imperator summus constitueretur. Porro Præfecto armamentarii summo etjam subjiciuntur Campi Mareschallus; militum Tribuni, turmarum Equestrium & pedestrium præfecti, &c. Omnia enim in hoc Regno quoad bellum optime instituta sunt. Pedites ex juventute delecti mox bonis suis liberis, & stipendiis fruuntur ac aliquot annorum spacio in armis excercentur, adeò ut nulla unquam militum penuria esse queat: quod inde apparet, cum Rex ex Regno magnam militum copiam educit, quod tamen ad Regni defensionem nulli milites desint. Nobiles partim, partim ex omnibus provinciis ii, qui multis bonis & facultatibus pollent, equites suppeditant. Sed quia equi Sueciæ parvi sunt, ex Germania equites Rex alit, majoribus tamen sumptibus, quàm eos, quos ex ipso regno habet: Capitaneo enim preter libe-

libera ſua bona nonniſi veſtem, & quadraginta thaleros quotannis, pediti cibum, & thalerum ſingulis menſibus, & equiti cibum ac viginti thaleros quotannis dare ſolet. *Henrico Sotero Sueco* dicente Rex duodecim Legiones, vel triginta ſex mille homines ex Regno, quocunq; vult, vel in Indiam ipſam educere poteſt. Munus hoc Præfecti armamentariorum ſummi anno 1646. geſſit *Iacobus de la Gardie Comes in Læckoo, vel Leccon*, Judicii militaris Holmiæ Præſes. Tertium eſt Cancellarii, quod noſtra hac ætate adminiſtravit *Axel Oxenſtirn liber Baro in Kymitho &c.* Summus Judicii Præſes in Weſter Nordland & Lapmarcken, quem ad Comitis dignitatem evectum comitatu Sudermoern in Smalandia Regina donavit. Inter quinque ſupra dictas Perſonas tertium quidem locum obtinet Cancellarius, utpote quibus ſede, dignitate, & ſtatu inferior eſt, ſed tamen ſemper à Regibus

bus cæteris prælatus, utpote cui hoc oneris incumbit, ut singulari curâ & diligentia attendat, quò non solum omnia Regni membra & status concordiæ vinculo connexi in summa convenientia & rerum omnium conspiratione amicâ conserventur, sed etiam cum vicinis ipsis discordia omnis removeatur; aut si Regno aliquid ex vicinia detrimenti immineat, illud in tempore præveniri queat. Hinc omnes magni ponderis res & negotia Regis & Ordinum consilia, & inceptiones concernentia Cancellario inconsulto tractari non possunt, sed ipso conscio omnia peragenda sunt. Statuta, constitutiones, decreta, & leges Regni omnes ipsius arbitrio, & ductu diriguntur. Legatorum, & aliorum ad Regem, & Regni Senatum ablegatorum, ut & omnia, quæ tam ab incolis quam exteris proponuntur primus auditione percipit. Secretarios & Scribas regit, Religionisque & re-

rum

rum Ecclesiasticarum curam gerit. Quartum est Archithalassi, quorundam opinione Cancellarium antecedentis, cui omnium rerum maritimarum cura incumbit ut Regiæ naves commodè & aptè ædificatæ omnibus rebus necessariis instruantur, de navarchis, rectoribus, nautis & aliis hominibus peritis nautis prospiciatur, munitiones & arces portuum commodis in locis extruantur, & omnia res maritimas concernentia probè curentur. Muneri huic præpositus erat anno 1545. *Carolus Caroli Guldenhelm Liber Baro*, qui sub se habebat Proarchithalassum, seu Vice-admiralium. Instructissimas Naves Bellicas quinquaginta superioribus temporibus Reges in promptu habere solebant. Numerum sequentia bella auxerunt, non tamen sumptus multo majores reddidere, quandoquidem lignorum copia, & cupri ad tormenta majora ex fodinis abundantia affatim suppetit:

tit : Jam antehac octo millia, & quod excurrit, tormentorum majorum in Regno fuisse dicuntur. Navium militibus carnis, piscium, lardi, butyri, casei, panis, & aliarum rerum necessariarum demensum certum subministratur. Quintum & ultimum est Thesaurarii ; cui redituum, tributorum, & vectigalium cura demandata, & ideò allaborandum est, ut rationes redditæ ubique constent. Thesaurum Regium, coronam, & alia custodit, & adjunctos sibi habet consiliarios, redituum præfectos, & quæstores, qui ipsi parent. Muneri huic anno 1545. præfuit *Gabriel Oxenstirn Bengtson Liber Baro.* In his quinquè Collegiis, Senatu nimirum Regio aulico, Consilio militari, Cancellariâ, Consilio militari, & senatu quæstorio totius Regni administratio consistit, ut *ex libro, cui Respublica Suecica* titulus, patet, pag. 420. exponit, quid vox Corporal apud Suecos denotet. Prę-
ter

ter hos Senatores Regni fuerunt et. jam nonnulli alii Senatus ſummi in Regno aſſeſſores: ut anno 1645. *Guſtavus Horn* in Malla, & Hæring Auratus Eques, & ſupremus Finlandiæ meridionalis judex: *Iohannes Oxenſtirn*, Comes in Sudermoer, Liber Baro in Kymitho, Dominus in Fyh, Hoerningſholm, & Tullgarn Cancellariæ Conſiliarius, & Plenipotentiarius Legatus in Germania: *Thuro Bielke* Liber Baro in Saleſtadt, Dominus in Froeſwick Regii Judicii Holmiæ aſſeſſor, qui procul dubio, ut titulus innuere videtur, anno 1619. Paduæ in Italia Germanicæ Nationis Conſiliarius fuit, & pridie Kal, Jul. anno 1648. Holmiæ de vita deceſſit: *Leonhardus Torſtenſohn* in Reeſta, Forſtenau, & Ruſich Campi Mareſchallus, & Pomeraniæ Gubernator, ad Comitis dignitatem promotus, & donatus Comitatu Oſtala ad Alandicum Haff, & Libero Baronatu Wienſta in Smalandia, ut initio

initio perſcriptum eſt: Sed in *tom.* 5. *Theat. Europæi* legitur Comitatus Ortate Haff Alandicum, & Liber Baronatus Wierſta in Smalandia, & dicitur, inſignia Torſtenſonia in quatuor areas diſtributa eſſe, & binas harum tormentis æneis rotis incumbentibus cum globis tormentariis ſubjacentibus exornatas eſſe, binas verò alteras coronati Leonis ungulâ aquilinæ alæ fruſtum tenentis effigiem exhibere: ibidemquè refertur Comitem *Magnum de la Gardie* Legatum in Gallia extraordinarium cum Palatina Comitiſſa Nonis Martii anno 1647. nuptias celebrâſſe, à Regina in Senatorum Regni numerum adſcitum fuiſſe: *Guſtavus Guſtavi*, qui anno 1646. 4. Non. Septemb. ſtylo veteri, Prid. Id. ejuſdem Menſis Holmiæ Comitatum Nyſtatt, & duas Parœcias Nykirchen & Letala ultra hevo. Imperiales annuos reditus habentes dona accepit: *Lars Kagge* in Fiælſkefft & Ramſtoëholm

holm consilii militaris assessor: *Fredericus Steimbock* Liber Baro, Regii Judicii Holmię assessor: *Thuro Sparr*, ejusdem assessor: *Ericus Guldenstern* Camerę consiliarius: *Gustavus Oxenstirn* Cancellariæ consiliarius: *Iohannes Adler Salvius* Dominus in Adlersberg, & Tullingen Regiæ Majestatis Consiliarius secretus, & Cancellarius. Huc etiam pertinent Munera Aulica Marechalli, Aulæ præfecti, Dapiferi, Camerariorum, & aliorum, qui suos sibi iterum minorum gentium ministros subjectos habent. Nobiles item Judicum, Prę-fectorum, & Capitaneorum in munitis locis officio fungi solent. Plura vide apud *Cyriacum Spangenberg part. 1. Speculi Nob. lib. 6. cap. 21. Rempubl. Regni Sueciæ pag. 422. seq. Iohannem Messenium Suecum in Suecica Nobilitat. Thesauro.* Tertium hujus Regni statum constituunt Ecclesiastici Archiepiscopus Upsaliensis, Episcopi Lincopiensis, Scarẽsis, Stregnesensis, Aro-

Arosiensis, Wexiensis, Abbensis, & Wiburgensis, quibus Superintendentes Calmariensis, Revalensis, Mariestatensis & Gotteburgensis accedunt. His subsunt Canonici, Pastores, concionatores, & Capellani omnes Augustanæ Confessionis, qui honestè sustentantur. Nam quanquam tot bona Episcopi non possident ab anno 1527. quo Catholicis Episcopis authoritas & potestas adempta est, in omnibus tamen Comitiis & conventibus Regni suffragiorum suorum libertate fruuntur. De Quarto Regni statu mentio facta est, cum de Regni Mareschallo, & Admiralio diceretur. Quantum verò quintum ex civibus & mercatoribus constantem statum concernit, omnes inquilinas merces ab incolis coëmptas aut ipsi domi exteris naves suas eò appellentibus vendunt, aut suis navibus in exteras regiones mittunt, lucroque haud exiguo ditantur. Sunt autem cuique civitati pro-

priæ ſuæ leges & conſuetudines, quæ negotiantibus mercatoribus ſtrictè obſervandæ. Sextus & Ultimus ſtatus ſeu Ordo eſt Ruſticorum duplicis tamen Generis: Priores Scatboender nominati hæreditaria bona habent, eadem conſueto tributo ſingulis annis redimentes. Hoc privilegii habent: Si bello apti equum & arma ſibi comparare poſſunt, quamdiu cum filiis expeditionibus bellicis interſunt, tandiu bona ipſorum ab omni tributo libera & immunia manent. In horum numero ſunt fodinarum metallicarum cultores terras metallicas ex montibus elicientes, & lique facientes, qui plerunq; opulenti ſunt. Ruſticorum alterum genus Regis, Nobilium, aut Eccleſiaſticorum bona & prædia incolunt, & annuas Dominis ſuis penſiones ſolvunt, & aliis oneribus obnoxii ſunt. Sed præ cęteris piſcandi, venandi, aucupandi, & ligna cædendi immunitate commodis ſuis conſulere poſſunt. Et his ſuf-

suffragii ferendi in Comitiis publicis locus & authoritas: Adeo nulli hominum Ordini apud Suecos ad honores emergendi aditus intercluditur, statusque quantumvis vilis despectui non ducitur. Hinc Ordines ipsi in publicis suis scriptis & literis sequentia verba usurpant. Nos Sueciæ Regni Senatores, & Status Barones, Barones Liberi, Episcopi, Nobiles, Ecclesiastici, Rei militaris præfecti, cives & universa communitas.

Sueciæ Regni insignia tribus coronis aureis in cœruleâ arâ notantur occasione imperscrutabilis magnitudinis & amplitudinis Dominiorum, Facinorum militarium, & divitiarum inexhaustarum, quæ fodinæ metallorum ditissimæ expromunt, sicut *Olaus Magnus lib.2.cap.25.fol.83.* loquitur, ac dicit: juxta Leonem quoque conspici tres celebres istos lacus Vennerum, Vetterum, & Mellerum in insignibus Regiis, ac nonnullos opinari, Lacus illos & Leonem per-

vetusta & Gothica illa insignia esse. Vide *Ioh. Isac. Pont. de rebus Danicis lib. 8. & lib. 9. in Historia Alberti Sueciæ Regis.* Provincia etiam quævis, propriis suis utitur insignibus; ut Provincia Ostenstong in Ost-Gothia Dracone aureo volante in rubra area rosis sparsa, & stella ornata: Sudermannia nigro Grypho in area deaurata *Ioh. Micræl. in præfat. lib.4.de Pomerania.*

De veteribus hujus Regni Rectoribus Suecici Scriptores multa memoriæ prodiderunt; quibus fidem adhibere nimiam vetustas & incertitudo prohibent. *Iohannem Gothum* Upsaliensem Archiepiscopum viri docti errorum in Historia sua commissorum convicerunt. *A Magogo* primo Rege, in cujus locum alii *Gomerum* reponunt Gothicorum populorum authorem, Regni sui exordium derivant. Huic subjungunt *Suenum, Gethar, Vpso vel Vbbo cum 35. aliis Regibus usque ad Christi incarnatio-*

nationem, & inter eos Sichtrug, Gran, Hasmund, Vffo, Huting, Regner, Hunt-brot, Arisla, Hatvar, Hother, & Abrieo. Circa nativitatem Christi quadragesimum Regem fuisse *Ericum* scribunt; huic autem successisse *Godrichum* filium 41. & *Haldanum* 42. cujus tempore vixit *Starcherus* vel *Starcaterus*, incredibilis roboris homo, de quo *Saxo Grammaticus* tam multa scripsit. Post *Haldanum* ingens Regum caterva usque ad *Biornum* vel *Biornem deducitur*. Ex iis sunt *Sifardus, Ericus IV. Haldanus II. Vnguinus, Sylvadus, Reinaldus, Alverius, Iugo, Ingel, Rugo, Gotharius, Iarmerich, & Arthus. Biornus* centesimus Rex indigena (fuerunt enim extra Regnum multi Reges Gothicis populis imperantes, qui plærique ex Suecia oriundi) Cæsaris *Ludovici Pii aut* 1. hujus nominis, *Caroli M.* filii coætaneus, qui ab *Ansgario* Episcopo veræ fidei notitia imbutus Christianam Religionem professus est. Po-

ſtea nonnulli Ethnici Reges iterum Gubernaculo Regni admotos eſſe ajunt, uſquè ad *Ericum*, qui Cæſaris *Ottonis* III. tempore baptizatus eſt, quod circa annum 1000. factum. Alii tamen majori fundamento indicant, Regem *Olaum Schotkonung* cognomento, à *S. Sigfrido*, vel *Suffrido* Archiepiſcopo Eboracenſi Anglico in Sueciam profecto circa annum Chriſti 955. baptizatum atque hâc occaſione Religionem Chriſtianam prius haud exiguis perſecutionibus exagitatam ſummo cum fructu propagatam eſſe. Poſtea 124. Rex *Ericus Sanctus* cognominatus, *Suercheri* ſucceſſor Finlandos Chriſto lucratus eſt, poſt anno 1160. à ſicario interemptus. Sequuti ſunt 125. Rex *Carolus Suercheri* filius. 126. *Canutus S. Erici* filius anno 1192. fato functus 127. *Suercherus Caroli* filius. 128. *Ericus Canuti* filius & *S. Erici* nepos. 129. *Iohannes Suercheri* filius (Nam *Suercheri*, & *S. Erici* Regum poſteri alter-

alternatim rexerunt) 130. *Ericus Balbus Erici* nepos anno 1250. mortuus. 131. *Valdemarus* filius *Birgeri* Ostgothorum Principis, & mariti Sororis *Erici Balbi* Regis. 132. *Magnus Ladolus Valdemari* frater. 133. *Birgerus Magni* filius, qui fratres suos anno 1319. in carcere fame necavit, eaque de causa regno pulsus est. 134. *Magnus Smech Erici* à *Birgero* fratre necati filius, pessime munere functus. 135. *Albertus* Dux Megapolitanus filius sororis prioris Regis ideo ab Ordinibus Regni in locum ejus surrogatus, qui postea infelici prœlio *Margaretham* Daniæ & Norwegię Reginam aggressus septennio captivus detentus est, donec Suecos anno 1394. sacramento, quo ipsi adstricti erant, liberos esse jussisset. 136. *Margaretha* Danię, Norwegiæ, & Sueciæ Regina. 137. *Ericus* Pomeraniæ Dux à Margaretha adoptatus. 138. *Christophorus* Comes Palatinus Rheni Bavariæ Dux trium di-

ctorum Regnorum Rex. 139. *Carolus Canuti* prius Regni Gubernator, anno 1448. coronatus, qui regno cedens in Borussiam se recepit, inde iterum anno 1463. ad regnum vocatus, & anno 1470. mortuus. 140. *Christianus* vel *Christiernus* I. Comes Oldenburgensis Daniæ Rex. 141. *Iohannes* filius. 142. *Christiernus* II. *Iohannis* filius, cui horrendam in Suecia tyrannidem exercens tribus regnis suis excidit. Tres tamen hi reges postremi quieta Regni possessione frui non potuerunt, utpote quibus Suecię Ordines *Stenonem Sture* Regis *Caroli* ex Sorore nepotem opposuerunt. 143. *Gustavus Erici* Holmiæ mirabili casu ex carcere elapsus, quem *Christiernus* II. anno 1518. obsidem nactus contra jus & fas in Daniam secum navi avexerat. *Chytræus lib.7.Saxon.fol.*199.*seq.* hunc *Gustavum* tres uxores habuisse narrat, I. *Catharinam Magni* Saxoniæ Ducis filiam Regis *Erici* XIV. matrem

trem. II. *Margaretham Erici Abrahami* de Loholm Equitis Aurati filiam, ex qua suscepit liberos; Regem *Iohannem III. Magnum* Ost-Gothorum Ducem, & Regem Carolum IX. item *Catharinam Etzardo* Frisiæ Orientalis Comiti; *Ceciliam Christophoro* Marchioni Badensi; *Annam Mariam Georgio Iohanni* Comiti Palatino; *Sophiam Magno* Saxoniæ Duci, & *Elisabetham Christophoro* Duci Megapolitano nuptam. *III. Catharinam Gostavi* (aliis *Olai* Liberi Baronis in Torpa) Westgothiæ præfecti summi filiam; quæ ipsi nullos liberos genuit. De iisdem tribus uxoribus meminit etiam *liber de Republ. Suecica.* & *Theatrum Nobilit. Suecanæ Iohannis Messenii pag.* 406. *seqq.* quanquam hic *author* anteà *pag.* 315. & *Iohannes Meursius in Christiani II. vita lib.* 3. *histor. Danicæ pag.* 226. *seqq.* dicunt, quod supra nominati *Stenonis Sture* filiam uxorem duxerit, quæ forsan ante nuptias celebratas ex vita mi-

gravit. Vide inferius descriptionem Urbis Upsal. Hujus Regis *Gustavi* prosapia descendisse creditur *ab Ingemundo VVasa Trolle* cognominato, Equite aurato, qui circa annum 1285. vixit. *Gustavi* Regis avus fuit Johannes I. Auratus Eques, & Regni Senator, qui 1477. expiravit, & ex *Brigitta Gustavi Sture* filia & *Stenonis Sture* Senioris de Gripzholm Regni Sueciæ Administratoris Sorore, cum qua ab *Erico*, Rege, & posteris ejus genus suum deducebat, reliquit *Ericum* Regis *Gustavi* patrem, Equitem Auratum, & Regni Senatorem, Regis Christierni II. jussu cum aliis magni nominis in Regno viris Holmiæ anno 1520. capite plexum. Filius *Gustavus* ex Dania in Germaniam elapsus, & Lubecensium adjumento in Sueciam reversus anno 1521. à nonnulla ordinum parte, Defensor Libertatis & Regni administrator constitutus, anno verò 1523. post urbis Holmiæ deditionem

Rex

Rex creatus, & anno 28. actu coronationis solenni confirmatus est. Introducta in Regnum Confessione Augustana Religionem mutavit, & Pontificiam abrogavit. Maximis suis meritis tandem consequutus est, ut Ordines ipsius Prosapiæ Regnum hæreditarium anno 1544. submitterent, quod deinde anni 1627. sanctione nova etiam ad sequiorem sexum delatum est. De vitæ præsidio & statione decedens anno 1560. filios reliquit *Ericum, Iohannem*, & *Carolum*. Ericus XIV. patri successit, & male se gerens regno se abdicare coactus, & anno 1578. vita defunctus est. Successit filius alter *Iohannes* qui ex *Catharina Sigismundi I.* Poloniæ Regis filia suscepit *Sigismundum III.* Poloniæ Regem, & 15. Kal. Decembris Anno 1592 animam efflavit, postquam moriturus in mandatis dedisset, ut omnes capti vi Senatores ex carcere demissi, priori suæ dignitati restituerentur, ut *Heldvaderus* recitat.

tat. *Sigismundus III.* 11. Kal. Martii anno 1594. Upsaliæ coronatus solium Patris Regium occupavit, sed Religionis mutationem machinatus Regno exutus est ab Ordinibus in ejus locum surrogantibus patruum *Carolum IX.* Sudermanniæ Ducem, *Gustavi* Regis tertium filium, cui anno 1607. Regiam Coronam imposuerunt. Post bella cum cognato gesta anno 1611. 3. Kal. Novembris mortalitatem exuit. Dux *Carolus* Filius 8. Kal. Febr. anno 1622. Nervæ diem obiit, ut *Meteranus lib.* 39. refert. Rex *Gustavus Adophus* Patris successor Lutzenæ in Misnia 8. Idus Novembris Anno 1632. in acie Victor cecidit, & Cæsaris exercitum cecîdit. Quæ prodigia tanti Herois mortem in Suecia antecesserint, aut comitata fuerint, videatur *Novus Meteranus part.* 4. *lib.* 51. *fol.* 260. Vitæ descriptio, & conciones funebres in obitum ipsius habitæ ab aulico concionatore *D. Fabricio, D. Hoë* &

aliis

aliis quærantur apud *Bogislaum Philippum Kemnitzium part. I. belli Suecici in Germania gesti. lib. 4. fol. 472. seqq. In tomo 2. Theatri Europæi, & in Archontologia Cosmica fol. 357. secund. editionis.* Linguarum Latinæ, Gallicæ, Germanicæ, Italicæ, & vernaculæ Suecicæ erat peritus. Post obitum ipsius anno 1633, à Regno Sueciæ nova in Indiam Orientalem & Occidentalem Navigationis instituebatur Societas, authore *VVilhelmo VVssellinx Antverpiano*, ut *Meteranus novus lib. 51. fol. 229. seqq. part.* 4. docet. Peperit Magno illi Regi *Maria Eleonora* Regia Conjux ex Brandeburgicorum Electorum familia filiam unicam *Christinam* natam 6. Idus Decembris anno 1626. hæredem Regni constitutam pridie Non. Decemb. anno 1627. Prid. Id. Martii A. 33. Reginam publice proclamatam, quæ ipsam Rectionem anno 1645. aggressa est. Anno 1635. viginti sex annorum inducias pacta est

cum

cum Poloniæ Rege, & anno 1645. Idibus Sextilis pacem cum Daniæ Rege æternam, cujus beneficio Suecis per Danicum fretum Oresundam, Balthicum mare, & Albim fluvium libera patet, ac Helsingeræ equorum cursoriorum præfectum, ut & inter Sueciæ fines ac Hamburgum loca cursoriis ejusmodi nunciis apta sine ullo impedimento, & literarum reseratione & apertione habere licet. E contrario etiam Regi Daniæ permissum est ministrum aliquem Holmiam in Sueciam mittere, ut ibi habitans & manens, quamdiu Regi visum fuerit, ipsius Regis, & subjectorum ejus negotia procurare queat. Restituta sunt Daniæ Regno Christian Preis, Pinnenberg, Helsingenberg, Lands Croon, Laholm, Engelholm, Selffsborg, Hammerhusen in Bornholm, Sieburg. Suecia sibi proprio & perpetuo jure servavit possidendas Jemptiam cum Herrudalia; Gothlandiam Insulam

cum

cum Wilby civitate & arce ac cæteris ad eam pertinentibus Insulis ; & Oesiliam Insulam cum Armsburgo, ac subjectis Insulis: Servandorum autem omnium Pacis Capitum Pignus Hallandiam ea conditione, quæ aliquoties in pręcedentibus narrata est. Ejusdem Pacis fructu quoad navigationem gaudent omnes Pomeraniæ civitates, ut Wismaria in Megapolitano Ducatu.

Atque hæc est Universalis totius Regni illustratio: Sequitur præcipuorum locorum, & quidem cujusque particularis Descriptio ex indigenis & peregrinis scriptoribus congesta.

Abo, Abbo.

Finlandię civitas Episcopalis, octo ferè dierum itinere Viburgo, vel Wiburgo è regione Livoniæ, de qua *Itinerarium Liberi Baronis in Moersburg* : Abu, inquit, Finlandię caput, sine mœnibus & muris, ambitu prolixo, & amœno. Arx adjuncta validæ defensionis, in qua *Iohannes* Finlan-

lan-

landiæ magnus Princeps, antequam Rex crearetur, domicilium habuit, & à fratre suo *Erico* Sueciæ Rege captus est: Molæ velares quadringentæ circa urbem aspectum jucundum toti viciniæ conciliant. Secatur urbs flumine cognomine. Angulus autem Finlandię hic in mare se immergens, ut & reliqua ora tota innumeris parvis insulis, scopulis, & rupibus obsidetur. Magni Principatus numero habetur, Sueciamquè & fertilitate, & incolarum copia antecedens Meridiem versus usque in Russiam excurrit. Anno 1509. Dani hanc civitatem diripuerunt, testante *Johanne Meursio lib.2. Hist. Dan.* Vilere vastatam *Heldvaderus* addit. *Michael Friedeborn in Pannegyrico Christinæ Suecorum Reginæ consecrato & Stetini anno 1645. impresso in 4. in f. lit. D. Testis.* inquit, *Upsaliensis in Suecia, testis Finlandiæ Academia Abogiensis, quam nuper fundasti, & Dorpatensis in Livonia, testis Gryphisvvaldensis patria*

tria Academia, & Stetinense Gymnasium, in quas superioribus annis insolitam beneficentiam exercuisti. Hęc verba innuunt, *Christinam Reginam* non solum in Upsaliensem Sueciæ, Dorpatensem Livoniæ à *Gustavo Adolpho* Rege illo Magno institutam, Gripswaldensem in Pomerania, & Stetinense Gymnasium innumera beneficia contulisse, sed & in hac civitate Abone Academiam, qua tota Finlandia carebat, erexisse. *Henricus* septimus Episcopus Upsaliensis, & totius Finlandiæ Apostolus, & Patronus (ut *Respublica illa Suecica pag.* 441. testatur) *S. Siegfridi* exemplo patriam suam reliquit, & in Sueciam veniens Regi *Erico* postea Sancti nomen adepto persuasit, ut memorabili bello illo Finlandos Idololatras, Christianę Religionis propagandæ causa, adoriretur. Qui *Henrico* Episcopo comitatus Finlandos victoria cruenta superavit; & eos se dedere coëgit. *Henricus* Episcopus Fin-

Finlandiæ factus eos Christianæ fidei cognitione imbuit, & sacro Baptismatis fonte abluit, anno 1151. Rex pro Religione & justitia bellum gerens ut Martyr moritur, ac in templo hujus Urbis Aboe sepelitur. Hactenus libri dicti verba, ex quibus liquet, quo tempore hujus Urbis Episcopatus inchoatus sit.

ALVASTRA vel ALVASTRUM Sueciæ monasterium celebre ad paludem Vetherum *S. Bernardo* vivente magnifica structura erectum, & magnis facultatibus dotatum à *Suerchero* Rege sepulchrum suum in eo etjam habente, ubi & plurimorum aliorum Regum monumenta esse *Pontanus lib.6.rer.Danic.* affirmat. Sepultus ibi quoquè *Stephanus* Upsaliensis Archiepiscopus, qui anteà Ordinis *S. Bernhardi* Monachus anno 1185. mortuus est.

ARBOGEN, ARBOI, ARBOGIA.

Westmannia seu Westmannerlandiæ Sueciæ Regionis civitas celebris

bris Synodo Ecclesiasticorum anno 1297. convocatorum à *Nicolao* Upsaliæ Archiepiscopo, ut *Olaus Magnus lib. 9. Historiæ de Gentium septentrionalium variis conditionibus statibusve* scribit. Aliis autem gentibus optima arma & alia instrumenta bellica suppeditat, ut *David Frælichius part. 2. Viatorii cap.* 13. testatur.

BIRKA celeberrimum olim Ostergothiæ caput, bidui itinere Episcopali Upsalia distans, *Pontano* si fides est, & ante sexcentos annos Regia sedes, emporiumque totius Regni nobilissimum, à qua urbe tanquam antiquissima cęteræ omnes jura sua civilia mutuatę sunt. Hoc in loco *S. Ansgarius* Suecorum Apostolus Regis *Beronis IV.* permissu, cum Cæsar *Ludovicus Pius seu I.* Imperio Romano præesset, publicam Euangelii prædicationem exorsus urbem cum toto tractu circumjacente Christianæ Religionis cognitione illuminavit. Sed ut omnia humana

sunt

ſunt inconſtantia & fluxa, ita & hujus urbis gloria penitus evanuit, & vix ipſam ſui memoriam reliquit. Audiamus *Stephanum Iohannis Stephanium in notis ad Saxonem fol.* 208. *a.* de ea dicentem: *Bircam Sueciæ oppidum primarium iſtius Regni fuiſſe civitatem & populoſiſſimam, atquè nobilem antiquis ſæculis extitiſſe, non eſt dubium. Sita autem fuit in media Suecia, ipſo Adamo Bremenſi teſte, & hodie ejus ruderum præcelſas monſtrari moles teſtatur Iohannes Meßenius pag.* 84. *ſua Sueopentaprotopo.*

BOGESUND.

In Weſtgothia, vel Veſtro-Gothia oppidulum famoſum prælio Danorum cum Suecis facto 3. Kal. Febru. anno 1520. in quo *Steno Sture* Regni Suecici Adminiſtrator ſclopeti globo, qui coxendicem ejus vehementer percuſſerat, vulneratus eſt, adeò ut in curru haud procul ab urbe Holmia ſpiritum redderit, *Chyt. l.* 9. *Sax. fol.* 228.

BRET-

Bretta West-Gothlandiæ vel Vestro-Gothiæ oppidulum, de quo in *fol. 5. Theatri Europæi* mentio fit, quod cum Cammelose anno 1644. ab *Hannibale à Seestedt* Danorum Duce oppressum & incensum fuerit.

Burcholm, Borcholm aliis Bornholm, Boringholmum & Borgholm unica pulchræ, & fertilis insulæ Oelandiæ Ost-Gothlandiæ annumeratæ arx, quam anno 1456. Dani suæ potestatis fecerunt. Idem fecerunt anno 1497. eamque *Svantoni* Sueciæ Gubernatori anno 1504. obsidenti adeò fortiter restiterunt, ut obsidione ea supersedere coactus fuerit. Sed Sueci anno 1511. (aliis 10.) redeuntes tàm acriter, & tàm diu obsidionem institêre, ut tandem deditione eam receperint. De quo *Meursius* in diversis Danicæ Historię locis. 6. Id. Sextilis arcem hanc, & prid. Id. ejusdem mensis Anni 1611. insulam totam Dani in potestatem suam redegerunt.

Cal-

CALMAR, CALMARIA, CALMARNIA.

Nominis celebritate conſpicua Metropolis Smalandiæ, ſive Meridionalis Gothiæ, ut *Olaus Magnus lib.* 9. *c.* 21. *&* 22. eam nominat, & de hac urbe dicit: quod in Gothlandiæ Meridionalis littore poſita ab iis, qui ex Germania Septentrionem navibus petunt, Calmer appelletur, quoniam in hoc tractu mare frigidius, & aër aſperior, quàm in Germania, unde ſolverunt, ipſis occurrit: Ex Hiſpania, Gallia, Anglia, & Hollandia naves frequentes huc appellantur: Civitati autem huic à fluvio Helga haud procul remotę, opportunum in littore maris ſitum habenti, aliis in Sud-Gothlandia civitatibus veteriori, ac principum multorum conventibus magniſque bellis geſtis nobilitatæ à Principibus trans mare habitantibus, Germanis præcipuè & Danis crebriores inſidiæ ſtruantur, & frequentiora bella parentur, quo portu hoc Gothico ad navigationem

& bel-

& bellum aptiſſimo potiti eò commodius cæteras Regiones Septentrionales cædibus & rapinis invadere poſſent. Refert etiam *Olaus* quod Rex *Iohannes* circa ſalutis annum 1500. civitatem & arcem hanc gravibus & ſumptuoſis bellis acquiſitam, magno totius Danici Regni detrimento commeatu & pecunia mari mittendis aliquot annis tenuerit, donec *Henningus Gad* Lincopenſis Epiſcopus hunc locum ſtratagemate ipſi eripuerit. Quod Calmariæ item *Magnus* Sueciæ Rex graviſſimas difficultates, & controverſias inter ſe & *Ericum* Daniæ & Norwegiæ Regem amica tranſactione compoſuerit: Ac abnepos ipſius *Magnus* ob malè & tyrannicè geſtam rectionem à proprio ſuo filio *Haquino* Norwegiæ Rege hîc Calmariæ captivus factus ſit. Hæc ex *Olao*. Ex *Pontano* ſequentia: Anno 1389. Calmaria *Margarita* Daniæ Reginæ ſe dedidit. *Ericus* Daniæ, Norwegiæ & Sueciæ Rex anno

anno 1430. templo Calmariensi tredecim præbendas vel Canonicatus adjunxit, edictoque præcepit, ut hæc Ecclesia Collegiis Ecclesiasticis annumeraretur. Hodie autem Superintendens Ecclesiæ hujus præses est & cum cæteris Episcopis Comitiis Publicis interesse solet. *Nicolaus Helvaderus part. 2. Sylv. chronol. Circuli Balthici p.* 13. narrat: Sæculi decimiquinti anno 5. *Iohannem* Daniæ Regem, Calmaria occupata, consulem cum civibus nonnullis capite plecti jussisse: anno 10. ejusdem sęculi arcem Calmerlund in Bleking à Suecis occupatam & direptam esse: Sed *Iohannes Meursius lib.* 2. *Historiæ Danicæ* scribit: Urbem Calmarniam à Danię Rege *Iohanne*, anno 1497. deditione esse acquisitam, cum Sueciæ Rex quidem creatus, sed nondum coronatus esset, ob impedimenta plurima, quæ Regni administrator *Steno Sture* ipsi objecerat: *Stenonis* Successorem *Suantonem* A. 1504.

Cal-

Calmariam quidem obsidione sed vana tentâsse; Suecos tamen postea eandem repetiisse, & post aliquot annorum moram tandem ea tamdiu obsessa potitos esse, cum annus 11. sæculi decimiquinti numeraretur. Sequenti tamen anno plena Regni possessione Regem *Iohannem* tandem potitum Calmariam sibi & filio suo *Christierno*, seu *Christiano* II. successori conservasse. Sed novo Rege *Gustavo Erici* emergente Danis anno 23. ejusdem sæculi eandem iterum ereptam esse; alii anno 22. idem factum esse ajunt. Vide *Chytr. lib.* 9. Filius ejus *Iohannes* Rex interdum aulica sua commoratione hunc locum incoluit: locum quidem parvum, sed arte & natura validè munitum, in planitie è regione Insulæ Oelandię aperto mari uno latere accumbentem, & 40. milliarium intervallo Hafnia Daniæ metropoli distantem. Castrum ipsum Regium pulchritudine & firmitate excellens vallo ad-

modum firmo ubique cingitur, & laterum uno aperti maris fluctus retundit. *Iohannis* filio *Sigismundo* postea ex Regno ejecto, *Carolus* Sudermanniæ Dux, dicti sæculi 99. anno Calmariam cum arce in suam potestatem redegit. Cum sæculi sequentis decimisexti anno 11. Rex Daniæ *Christ.* IV. literis 18. Kal. Maji Haffniæ datis, & Holmiam missis per Fecialem *Nicolaum de VVahl* & tubicinem una missum Regi *Carolo* IX. & Sueciæ ordinibus bellum indixisset, & ablegati interea non rediissent, Rex *Christianus* 6. Id. Maji cum exercitu Christianopoli movens urbem Calmariam 6. aut 4. Kal. Junii Suecis ademit cæsis omnibus, quibus in arcem elabendi occasio erepta fuerat. Arcem 3. Non. Augusti deditione accepit. Consulatur *Nicolaus Heldvaderus in sylva chronolog. part. 2. pag. 284. seqq.* (ubi sibi aliquo pacto contradicit) *& Sethus Calvisius in opere Chronologico fol. 874. Iul. Cæs. Bu-*
len-

lengerus lib. 23 *Histor. sui temporis fol.* 404. annotavit, Regem vi civitatem expugnasse, validissimam autem arcem Mediolanensi nec magnitudine nec firmitate minorem deditione adeptum esse, atque in eâ plus quam centum tormenta ęnea majora reperisse. De utriusque arcis convenientia judicent, qui utramquè viderunt. Anno 13. dicti sæculi, postquam pace constituta utrumque Regnum sibi mutuo reconciliatum esset, Calmaria 13. Kal. Febr. Suecis à Danis restituta est. Ejusdem Sæculi anno 47. 5. Id. Septembris incendium horrendum urbi Calmariæ sexaginta viliores ædes reliquas fecit.

CARLSTADT.

Gothica civitas in Wermelandia Tinguallæ civitatis loco sedens *Carolo* IX. *Christianæ* Reginæ avo paterno & originem, & nomen acceptum fert. *Relatio historica anni* 1644. & 5. *Tomus Theatri Europæi* narrant, circa finem anni ejusdem, hic, 13. Kal.

Decemb. magnam, & validam Suecorum munitionem Moratzschantz propè Carlstadt in Gothia aditum versus Orebro & Holmiam custodientem tertia impressione à Norwegiæ præfecto summo expugnatam, Carolostadium, & Orebro occupata, & multas metalli fodinas pessundatas esse, ac Danos regionem Holmiam usque depopulationibus vastâsse. Sed quoniam in pacis Transactione anni 1645. locorum istorum mentio nulla fit, cum tamen restituenda Suecis fuissent, si Dani ea in potestate sua habuissent, aut ante pacem factam recuperata, aut à Danis relicta esse, aut non occupata fuisse necesse est, quod lectori inquirendum & judicandum permittimus.

ELSBORG, ELSBURG, ELSEBURGUM.

In Vestro-Gothia Hallandiam versus, & ab Hallandicâ munitione Warburgo 6. milliaribus remotum castrum munitissimum portu opportunissimo naves peregrinas excipiens,

ens, & Suecicas in mare occiduum emittens, ubi trium Regnorum Sueciæ, Daniæ, & Norwegiæ fines concurrunt Anno 1522. factio Regi *Christiano* II. adhærens viriliter tutata est hunc locum, desertum tamen anno sequenti à militibus Bahusiam elapsis, & incidentem in *Gustavi* Regis, & Suecorum manus, ut refertur à *Chytræo lib. 9. Portum ad mare occidentale unicum in Regno Sueciæ commodissimum* appellante, & *lib* 21. *fol.* 542. dicente: Daniæ Regem *Fridericum* II. Castrum & portum Elfeburgum in Sueciæ Regno inter Hallandiæ anno 1645. Suecis certa conditione & ad certum tempus traditæ, ac Norwegiæ fines extremos situm, ex quo unico, & solo Suecicis navibus ex Sueciæ Regno in Occidentalem Oceanum exitus patet, in bello cum Rege Sueciæ *Erico* anno 1563. obsidione circundedit, & à rusticis præsidiariis eum traditum *Georgio Rantzovio* custodiendum mandavit. Non

autem eâ tantum vice, ſed etiam antea annis 1455. & 1497. & quidem poſteriori per Norwegos, quibus obſidendi provincia tunc temporis in mandatis data fuerat, longis & gravibus obſidiis hoc Elſeburgum in poteſtatem ſuam redegerunt. Sic etiam Dani anno tertio ſæculi decimi quinti arces Elſeburgum & Orſtoniam Loſæ urbi vicinas obſederunt, expugnarunt, & exuſſerunt. Eodem tempore *Otho Rudius* Regis Danici nomine Regno Norwegiæ Præfectus Bahuſii habitans occupavit arcem Olſburg donatam poſteà ſibi & poſteris à Rege, ut *Iohan. Meurſius in diverſis Danicæ ſuæ hiſtoriæ locis* aſſerit. *Chytræus lib.* 5. *Saxoniæ fol.* 130. rem ita commemorat: Nocte, quæ nativitatem Chriſti præceſſerat anno 1503. *Otto Rhud* Regius Norwegiæ Præfectus in arce Norwegica Bahus non procul à Ludoſia Suecico oppidulo ſita commoratus occupavit caſtrum Olſburg à Suecis
in

in vicinia communitum, cum præsidiarii milites vino sepulti jacerent. Paulo ante etiam *Christiernus* Ludosiam oppidulum exusserat, & proximas arces Elsburg & Orsten à West Gothiæ Præfecto *Erice Erici* desertas deditione acceperat; Ipse verò *Acho Iohannis* Suecorum militum ductor dictis arcibus opem laturus, & nescius, quod deditione captæ essent, à Danis Elsburgi castra habentibus die post deditionem malè exceptus fuerat. Narratio hæc Olsburg, & Elsburg duo diversa loca esse arguunt. Elsburgi occupationem superioribus bellis ad sæculi decimisexti annum 12. *Sethus Calvisius*, ad 11. alii referunt, ejusdemque fortunæ casum Goldbergam munitionem expertam dicunt. Anno sequenti 13. Dani tandem soluta pecunia pacta Suecis Elsburgum reddiderunt. Eodem tempore etiam Sueciæ Rex Regio Norwegiæ Titulo se abdicavit. *Chytræus* arci oppidum addit, quo

oppidulum nonnulli, alii municipium intelligunt. Vide *Ioan. Chunrad. Merckium in Latini Sermonis Castello p. 644. col. 1. Iul. Cæs. Bulengerus l. 13. histor. sui temporis* nominata duo loca Elsburg & Goldberg duas probe munitas civitates, *Iansonii* etiam Atlas Elsburg civitatem appellat. Chorographicæ delineationes pro Goldberg ponunt Gulberg prope Gotheburgum in Norwegiæ finibus. *Heldvaderus* Goldburgum Kal. Junii anno 1611. Elsburgum sequenti 12. in Danorum potestatem venisse dicit.

ENECOPING, ENECOPIA.

Negotiatione non contemnenda gaudens oppidulum Uplandiæ, olim ornatum monasterio Minoritarum, in quo *Laurentius octavus* Upsaliæ Archiepiscopus Ordinis *S. Francisci* Monachus 3. Non. Aprilis anno 1267. terræ mandatus est, ut *Historica Regni Sueciæ Descriptio pag.* 448. annotat.

GE-

Gevalia.

Unica Gestriciæ Provinciæ civitas, sedi in littore maris commodæ imposita, & à cupri fodinis vix sesqui diei itinere dimota, ideo omnis generis merces facili negotio admittit, & emittit.

Gotheburg, Gottenburg.

Inter Elsburg, & Goldberg vel Gulberg interpositum Gotlandiæ Occiduæ seu West-Gothlandiæ emporium in ostio fluminis exeuntis in Oceanum Occidentalem, quem nonnulli hîc sinum Codanum aliis totum Mare Balthicum significantem nuncupant. Locus certe ad negotiandum peropportunus fluminis exeuntis, & maris alluentis commoditate gaudit. Nova civitas est à Sueciæ Rege excellentibus privilegiis donata, & ab Hollandis aliisq; Belgis incolitur. Proximo cum Danis bello anno 1644. à Danicis navibus bellicis vexata munitionibus, & aliis operibus bellicis adeò valida est reddita, ut in

primariorum Sueciæ munimentorum numero jure reponi queat. In *Relatione Autumnali Francofurtana anno* 1646. *pag*, 15. legitur, ejusdem anni menſe Februario prope Marſtrand locum 4. Milliaribus Gotteburgo diſtantem Balænam captam eſſe 88. pedes longam, & 14. ulnas Holmias altam.

GERICHOLM *David Frœlichius part.*2 *Viatorii lib.* 1. *cap.*13. ex Suecicis civitatibus unam incolis mercatoribus & opificibus exteris plenam eſſe cenſet. Alii nihil de hoc loco habent. In tabulis eſt Gripſholm in Sudermannia prope Troſam monaſterium Carthuſianum inſtitutum 1491. à *Stenone Sture* Sueciæ Regni Gubernatore ſine liberis mortuo, cujus exuvias Succeſſor ejus *Suante Nielſon*, vel *Suanto Nielſſen* anno 1504. ex Nobili, & Mareſchallo Regni Adminiſtrator factus, poſt Holmiæ arcis occupationem in hoc cœnobium deferendas & honeſtæ ſepul-

pulturæ mandandas curavit, ipſe poſteà anno 12. ſæculi decimiquinti fato functus. *Heldvaderus part. 2. p.* 12.

HANGO, HANGOA, in Meridionali Finlandia, mari adjecta portum adeo commodũ & tutum navibus aperit, ut in toto Mari Septentrionali, imò ipſo Oceano univerſo parem habere non credatur. Portus enim hic arcis ſpatioſæ inſtar in mediis montibus & vallibus locatus ſcopulos paſſim ſibi circundatos oſtentat, & inſcriptos vetuſtiſſimis heroum Suecicorum & Gothicorum inſignibus, quibus dubio procul poſteris innuere voluit antiquitas, olim bellicas naves Regnorum defendendorum cauſa ibi ſtationem habuiſſe, & inde caſu neceſſitatis poſtulante ſolviſſe.

HUDINGSWALD.

Regionis Helſingiæ civitas, cujus cives cuprum, butyrum, ſebum, coria, pelles, picem, reſinam, malos, trabes, & aſſeres abiegnos incredibili multitudine in alias Règiones de-

portant. Si cuprum excipias, eandem negotiationem iisdem mercibus in Angermanniæ unica civitate Hermosand, vel Hernosund invenies.

JAMA, vel JAMAGOROD munitissima Ingriæ vel Ingermanlandiæ arx in margine fluenti Jamische Beck nuncupati, qui Imperii Moscowitici clavis cum tota diœcesi sibi subjecta anno 1617. beneficio Pacis cum Moscowitis initæ in æternam Suecorum possessionem incidit. Anno 1581. ea tribus milliaribus in Livonica Nerva disjunctâ potiti quidem fuerant, ereptâ iterum à Moscowitis anno 1590. E regione arcis trans fluentum quoddam municipium Russi, sed Suecorum juris inhabitant. Hinc via ad munitionem Capurgam, & porro Noteburgum ducit.

JENECOEPPING, JENCOEPPING, JENECOPIA.

Jonacopia Olao Magno, ei situm in valle Smalandica assignanti, & dicenti,

centi, notabiles ibi conventus à Regibus celebratos esse. Ædes ex ligneis trabibus non dolatis, & in morem decipularum, quibus pueri panes captare solent, compactis constructæ sunt. Civitas aperta nec fossis nec muris clauditur: arx vallo congesto defenditur. Sita est ad lacum, quem *Olaus* Vether nominat. *Michael Heberer in Itinerario suo* hunc locum primam civitatem nuncupat, quæ sibi ex Dania in Sueciam iter facienti occurrerit. Tunc autem temporis apud pastores & præcipuos homines solos ædium parietes & muros pannis & velis albis velatos & ornatos haud parvam ædificiis puritatem & elegantiam conciliâsse, eò quod trabes opertæ cerni non potuerunt. Ante suum in hanc civitatem adventum in itinere dictus author offendit pagum Linerohs, in qua domum (procul dubio in quam diverterat) Serpentibus plenam vidit, iisque ingentibus, qui tamen neminem damno af-

mno afficerent. Imo duos tandem adrepentes in terra cum liberis domesticis ex eadem patina pultem liguriviſſe. In hac civitate anno 1503, ſubita morte vitam finivit *Steno Sture* Regni Sueciæ Adminiſtrator, ut *Meurſius lib.* 2. docet. Anno 1612, cum Rex Daniæ *Chriſtianus* IV. hanc urbem cum exercitu peteret, Sueci civitati ignem ſubjecerunt, & animoſa defenſione Danos ab arce rejecerunt. *Heldvaderus.*

IVANO GOROD, vel RUSSICA NERVA.

Validiſſimis munitionibus inſtructiſſimum Ingriæ caſtrum Moſcovici primum juris, ſed poſtea anno 1617. pactis ad Sueciæ Dominatum cum tota ſua Diœceſi tranſlatum, ut ſuperius in univerſali Suecicarum Regionum deſcriptione dictum eſt. Duplicis ſclopeti ictu Livonica Nerva in oppoſita ripa fluminis ſita diſtans, diſcriminis cauſa Ruſſica & Danzſche Nerva, ut altera Germanica,

nica,& Teutſche Nerva, appellatur. Invictam habitam arcem Sueci tamen anno 1581. ſubegerunt, atque anno 1590. ejus reſtitutione Germanicam Nervam à Ruſſis obſeſſam conſervarunt. Recuperatam anno 1599. jam pacis anno 1617. factæ beneficio poſſeſſione perpetua & propria tenent. Scopulo infixa arx tumulo inſidet, humectato à circumfluis Narvæ fluvii undis, acceſſum celerrimo curſu impedientibus. Maris, turribus validis, & propugnaculis firmata quemvis impetum fortiter retundere poteſt. Quà ortum ſpectat, natura ſpacioſam, & profundam vallem excavavit, in qua cives in oppidulo ſub arce habitant. Terra exterior ubique plana, & adeò alta eſt, ut turrium tantum faſtigia tormentis tangi queant, & cętera omnia inferiora intacta maneant. Solum autem lapidoſum arci ſubjectum omnem cuniculorum ſuffoſſionem arcet, ut *Reſpubl. Suecica pag.*

*ca pag.*102. monet. *Iohannes Meursius lib.* 2. *Histor. Dan.* Ivangradium appellat, & jam anno 1496. à *Suantone* Suecorum Duce captum esse asserit. *M. Adamus Olearius pag.* 91. *Itinerarii sui Orientalis* sequentia de hoc loco scribit. Trans fluvium sita arx Ivangerod triplici munita muro, & à Moscovitis condita, sed à Sueciæ Rege *Gustavo Adolpho* armis victa & Suecis cum Ingermanlandia subjecta. Regitur à Suecico Gubernatore, cui tunc temporis *Nicolao Gallo* nomen erat. A tergo arcis, vicus est Narva Russica vocatus, in quo Russi habitant, quibus à Rege *Gustavo* Religionis suæ exercitium liberum est concessum. *Laurentius Muller* in Septentrionali Historia dicit, arcem tam forte & firmum esse ædificium, quale vix ullibi oculis conspici queat, ac in monte supra urbem sedere. Procul dubio meliori structura fortiorique munitione emendata est à Moscowitis, post-

quam

quam Suecici & Gothici Principes *Steno Sture* ſenior, & *Suanto* eam occupatam igne corruperunt, ut *Olaus Mag. lib.* 11. *Rer. Septent. cap.* 1. indicat.

KEXHOLM, KEXHOLMIA, CARELOGOROD.

Urbs & àrx in Ruſſorum Carelia ad Suecos tamen pertinens, ut in Regionum Suecicarum deſcriptione ſuperius diximus. Has pridie Nonas Novembr, anno 1580. ſecundum *Chytræum* : 1581. Secundum *Salmonem Henningium in Chron. Livon.* occupavit *Pontus de la Gardie Gallus*, heros incomparabilis, qui maxima & prȩclariſſima facinora edidit, invictas Ingriȩ arces Moſcowiticas Ivanogorod, Jamagorod, Cuporiam, & Livoniȩ urbem Narvam cum pluribus aliis A. 1581. Suecorum jugo ſubjecit, ac tandem fluvii Narvæ, quem Rivum Narvenſem vocant, undis ſubmerſus eſt. Globis autem igneis coegit ipſas intra circulum Arcticum

ſub gr.

subgr. latit. 67. long. 62.: ſitas, ut *Chytræus lib. 24. fol.* 674. dicit. Pacem Sueci ineuntes anno 1595. eas Ruſſis reddiderunt, quibus fidem datam fallentibus Rex *Carolus* easdem eripuit, & Sueciæ Regno adjunxit, à quo tempore hactenus à Suecis poſſidentur, Kexholmia autem, denominata à Finnico vocabulo Kekiſulmi compoſito ex Keki cuculum, & Salmi mare anguſtum denotante, duas ſitu ſuo obtinet inſulas parvas in faucibus fluvii Woxen, qua in Ladogam paludem undas ſuas ingerit, & cellerrimo fluxu præterlabens eam munitiſſimam reddit. Ruſſi Carelogorod, id eſt Carelorum munitionem, *Chytræus*, Corelogrodum, ac Coreliæ, vel Careliæ metropolin appellat, diſtantem, ut ait, Wiburgo 15. & Notteburgo totidem milliaribus: dimidio autem milliari ab albo mari, ſive palude Ladoga, vel Ladiga, 15. vero ab urbe Ladoga, vel Ladiga idem nomen habente cum
palude

palude quæ 45. milliarium longitudinem complecti dicitur.

LINCOEPPING: LINCOPIA.

Episcopatis civitas in Ost-Gothlandia, vel Gothlandia orientali, & duorum Suecicorum Historicorum *Iohannis* & *Olai Magni* patria: prope montem Kettilberg, seu montem cacabi, in qua longissimus dies 19. horas comprehendit. Non spatiosa quidem, sed amœna omnibus necessariis rebus affluit. Fontes salientes, & Scaturigines in media urbe quales in tota Sueciâ non reperiuntur. Pulchrum templum ostentat, cum colomna in medio, & insignibus, ac inscriptione: *Arma Gothica.* Insignium istorum scutum permeant tres fluvii transversi, supra quos Leo erectus ad pugnam paratus, & corona aurea redimitus. *Heribertum*, qui inter primos Sueciæ Doctores Christianos numeratur, templum Lincopiense primum suum antistitem fuisse gloriatur.

LUDOSIA

Nonnullis Lodose, oppidulum West-Gothlandiæ, vel Visigothiæ, aut Vestrogothiæ, à Rege *Christiano* I. anno 1452. cum Danis Sueciam invadente fossa & vallo munitum, sed à Suecis paulo post eodem anno recuperatum. *Frœlichio parte* 2. *Viatorii lib.* 1. *cap.* 13. testante, portu commodissimam navibus stationem offert. Priora *lib.* 1. *Histor. Danic.* habet *Meursius*, qui etiam *lib.* 2. scribit; Losam urbem in West-Gottlandia Regis *Iohannis* in Dania Filius *Christianus* vi occupatam anno 1503. diripuit, & incendit. Restauratam postea necesse est, quia eandem Losam anno 1507. eodem damno affectam asserit. An duo diversa sint loca, an verò Losa & Ludosia unum eundemque locum designent, de eo nil comperti habemus, præsertim cum alii urbis Losæ non meminerint, & quidam Ludosiam Germanicè Neulos interpretentur. *Ianßonii Atlas* Ludosi-

dosiam in Vestro-Gothia veterem Ludosiam nuncupat.

NEUCOEPPING, NYCOEPING, NICOPIA.

Sudermanniæ, vel Sudermanlandiæ Urbs in qua Carolus Sudermanniæ Dux cum aula sua commoratus est, antequam Sueciæ Regno præponeretur. Hunc locum *Augustinus Liber Baro in Moersperg &c. in Itinerario suo* ita describit: Arx Nycopiensis visu digna amœno solo incumbit, ac fluvio salmonum aliorumque diviti accumbit. Navigabile flumen arcem parte sua circummeat, & in mare proximum descendit. Hic, & aliis Sueciæ in locis grandes naves ædificatæ & oneratæ Ulyssiponam, & Seviliam in Hispaniam mittuntur, & exoneratæ ibidem venduntur. In Suecia navis ejusmodi ædificationi, ter aut quater mille Imperiales impendendi: quæ in Hispania duodecim aut quindecim, in Italiâ aut Malthâ viginti, aut triginta millibus coro-

coronatorum vendi poteſt. Malus 90. aut 95. pedes longus in Suecia 2. aut 3. imperialibus emitur, ſed in Sicilia, Maltha, aliiſquè ejuſmodi locis 100. aut 200. venalis eſt. Hactenus Itinerarium dictum. Alii Nycopiam, dicunt, non magnam, ſed apertam, & pulchram urbem eſſe, ejuſque ſitui locum haud amœnum, atque aperti maris brachium aſſignant. Emporium tamen totius Regionis eſt primarium, arxque ipſa ſtructuræ magnificæ elegantia mirum in modum ſe effert: in qua Rex *Byrgerus* anno 1318. fratres ſuos admodum magnificè accepit, & ut hoſpites lautè habuit, ſed noctu inhumaniter expergefactos, & ex lecto exſtractos, in profundiſſimam totius arcis turrim vinctos conjecit. Poſt abitum Regis arcem amici, cognati, & miniſtri Ducum circumſedêre: ſed mortui interea principes *VValdemarus*, & *Ericus*, fame & dolore confecti, hic aliquot vulneribus læſus,

ſus, quod ſe invadentibus armis oppoſuiſſet, ut vix ad tertium uſque diem vixerit, ille verò undecimo tandem die vita orbatus. Arcem deditam obſeſſores dejecerunt, & funditus deleverunt. *Iohannis Magni lib.* 20. *Hiſtor. Regum Septentrion. I. Iſac. Pontanus lib.7.rer. Danic.fol.*423.

Niehuys, Nova arx in extremis Finlandiæ finibus, *Olao Magno lib.*20.*cap.*19. docente, inde nomen traxit, quod miro ingenii artificio excitata artem & naturam ſuæ firmitatis inſignis authores habeat. Rotundo enim monti innixa ad occaſum una porta accedentes admittit, abeuntes dimittit per ratem fluvio inſtratam, & magnis catenis inſtructam, quarum adjumento per trochleas ductorias grandes ſingulis matutinis & veſpertinis temporibus admovetur & dimovetur ab iis, quibus juſſis hoc facere gravis labor adhibendus eſt ob nimium fluminis iſtius arcem præterlabentis impe-

impetum, qui ex albo lacu exortus per immensæ & quasi inexplorabilis profunditatis alveum decurrens nigri & obscuri coloris aquas vehit, & tales etiam pisces, boni tamen saporis, ut *Olaus* fidem facit, nutrire solet. Hæc arx absque dubio illa erit, quæ in Savolaxia Nyslot, id est nova arx vocari consuevit.

NORCOEPPING NORCOPIA.

Emporium Ostro-Gothiæ inter Sudercoepping, & Neucoepping in margine stagni grandis, & dulcis, quod proximè urbem, exitu facto, longiore alveo in mare provehitur, & ex eo ascendentes Salmones in stagni aquam dulcem admittit, urbique celeberrimum piscatum largitur: de impetuoso rivo urbem percurrente mentio fit apud *Olaum Magnum*.

NOTTEBURG, Oresca Russis, quę vox nucem signat, Imperii Russici clavis habita arx, & invicta armis *Gustavi Adolphi* Regis Magni & incomparabilis tandem victa mirabili

casu

casu se dedere coacta est. Non enim annonæ inopia laborabant præsidiarii, sed verrucæ in palato & faucibus eorum exorientes ipsos cibum sumere, & per fauces dimittere impeditos, & fame necatos hostium potestati tradidêre. Atque hoc pacto celeberrimum hoc Ingriæ vel Ingermanlandiæ munimentum in Suecorum potestatem incidens jam Pacis anno 1617. cum Russis factæ beneficio Regum Sueciæ proprium ac hæreditarium est. Anno 1581. Sueci ejus capiendi laborem vanum susceperunt, quod idem etiam ipsis anno 1555. contigerat. De obsidione illa audiantur verba *Chytræi lib.* 18. *Saxoniæ fol.* 478. *Noteburga oppidum & arx in Russia, ad Nyam fluvium, qui* 12. *infra Noteburgam milliaribus mari Finnico, inter VViburgam, & Coporiam miscetur, ac distant inter se tria oppida VViburg, Kexholm, Careliæ Russicæ metropolis, & Noteburga trianguli æquianguli figura,*

 cujus

cujus singula latera 15. mill. continenti. A Kexholmia dimidio milliari lacus Albus 45. milliaribus in Septentriones porrectus, qui Regnorum Sueciæ, & Russiæ limes est, incipit, in cujus insula Ladiga (al. Ladoga) oppidum 15. à Kexholmia milliaribus situm est, à quo Ladigæ lacum vicini appellant. Ipsa Noteburga ad ripas fluminis, & lacuum sita est, & ab una parte ob paludes interjectas tormenta admovere nequiverunt Sueci obsessuri eam Anno 1555. sed ex insula fluminis rapidissimi oppidum alluentis sola oppugnari machinis munitiones firmissimæ, insulæ oppositæ potuerunt: ergo relicta obsidione VViburgum redierunt. Ex his verbis liquet, non unicam hic arcem, quod diversi statuunt sed etiam oppidulum ipsi additum esse, acjutrumq; situm habere in margine celerrimi fluminis Nyæ, nonnullis Niveæ, & lacuum adjunctorum *M. Adamus Olearius fol. 3. Itinerarii* locum hunc sequentibus verbis delineat. Noteburgæ aqua, regio

regio amœna eam circumiens, ac nonnullæ insulæ parvæ, avium aquaticarum domicilia, summam conciliant amœnitatem. Ab Æquatore 3. gradibus 30. scrup. dimota ostium obsidet paludis Ludogæ, sedemque habet in Insula parva, ac nucis speciem præ se fert, unde & ipsi nomen ortum. Muris duas & dimidiam orgyas latis cincta à Russis, & occupata deditione à Suecici Exercitus Imperatore *Iacobo de la Gardie* postquam ex præsidiariis insolito morbo absumptis duo tantum, ut fertur, adhuc superstites essent. Ob dulces aquas, & terram paludibus ubique perforatam locus non admodum salubris esse videtur. Mense Julio, Anni 1634. tanta ibi Culicum singularis alicujus speciei erat multitudo, ut cœli sudi spacium ne manum quidem latum conspici potuerit. Notteburga cum cæteris Ingriæ arcibus, Jamogorod, Caporia, vel Coporia, & Ivanogorod ad Dominatum seu Principa-

tum Magnum Novogardiensem pertinuit. Quem Principatum ultimo bello cum Russis gesto Sueci subjugaverunt: Eundem tamen postea exceptis arcibus illis & earum diœcesibus, sive Ingermanniâ totâ, post pacem factam reddiderunt, ut aliquoties in præcedentibus dictum est.

OREGRUND, OREGRUNDIA.

Ad mare sedens civitas Uplandię, portu idoneo navibus Botnicum Sinum permeantibus stationem desideratam largiens, & ideo Negotiationis & mercaturæ commodis fruens.

SCABA, SKARA.

Episcopali Sede nobilis in West-Gothia civitas, *Scarino* 19. Regi, omnium Gothorum potentissimo Domino, & conditori suo nomen debet. Lacunis, & paludibus obsessam sedem nacta, cum Gothicorum Regum sedes ac domicilium esset, maxima celebritate conspicua

fuit

fuit, celebritatisquè pristinæ argugumenta producit Rudera Regiæ arcis Aaranes, cujus situs, muri & structura unumquemquè inspectantem in summam admirationem rapientes in eam opinionem adducunt, ut eo tempore sumptuosius & magnificentius in Borealibus Regnis, imò in tota Europa ædificium non fuisse credat. In hac arce anno 955. Rex *Olaus* cognomento *Schotkonung* à *S. Sigfrido* Eboracensi Archiepiscopo baptizatus est. Missus autem fuerat hic à *Mildredo* vel *Eldredo* Angliæ Rege Euangelii annunciandi causa in Sueciam, qui Regi suo tantum opus gratificaturus in Sueciam ad Regem *Olaum* iter suscepit. Nepotes ejus *Vnamannus*, *Sunamannus*, & *Vinamannus*, etiam alibi Sacri Baptismatis sacramentum administrantes odio tandem & perfidia fœminæ cujusdam adulteræ gladio perierunt. Vide *Olaum M. lib.* 2. *cap.* 20. & in ferius Vexio. In dictæ Regiæ arcis, &

 palu-

paludis Vener Vicinia Kindakulle mons excelſus jugum extollit omnis generis herbarum, & plantarum (vite excepta) ſponte naſcentium, & fructus producentium proventu largiſſimo luxurians, & avium concentibus jucundiſſimis deambulantium aures permulcens, ut nullus alius in hac Boreali plagâ locus eſſe credatur, qui ejus amœnitati reſpondere queat. *Olaus M. lib.* 22. Hodie Scara vilis eſt locus, utpote qui pedetentim ſplendore & magnificentia ſua excidit: cum tamen *Adami Bremenſis* tempore adhuc West-Gothiæ metropolis fuerit. Situs ad lacum, vel in lacu, ut *Frœlichius* ſcribit, & Epiſcopi ſedes cum veteris nominis celebritate ipſi adhuc nonnihil ſplendoris conſervant.

SCHENING, SCHENINGIA.

Pulchris, & longis plateis conſpicua civitas in Gothlandia Orientali, ut *Frœlichius* teſtatur: Olim magnæ notæ locus hodie parvo oppido ſimilis

milis ſecundum *Janſſonii Atlantem Novum* : In oppidulum mutata, ut *Deſcriptio Regni Sueciæ pag.* 80. loquitur. *Pontanus* Scheningam hodie pagi ſpeciem præ ſe ferre ait. Celebritatis autem fama ipſam ſequentia evexerunt, quod antiquiſſima Oſtro-Gothlandica civitas fuerit : quod ex Schola ejus multi Epiſcopi & Eccleſiarum Antiſtites, tanquam ex equo quodam Trojano, prodierint ; & inter hos *Petrus Gothus* 16. Archiepiſcopus Upſalienſis, qui Cæſaris *Caroli* IV. tempore vixit : & quod circa annum 1248. Papa *Innocentius* IV. hic Concilium celebraverit, & Suecicis Sacerdotibus vetuerit, conjugium, quo hactenus Græcarum Eccleſiarum more utebantur. Qua de re *Iohannes Iſ. Pontanus lib,7.fol.* 332. *Sub Erico Balbo ſeu Blæſo, Leſpe vulgariter dicto, Scheningæ apud Sueones Concilium coactum eſt, ubi inter cætera decretum, ut à Schiſmate Græcorum diſcedentes Sueciæ Preſbyteri, uxores, quas*
 duxe-

duxerant, missas facerent, ac cœlibatum colerent. Olaus Magnus lib.2.cap.30. & lib.6.cap. 18. urbem hanc nomen traxiſſe, ait, à rivo quodam, modò inſtar equi eſtrenis, undarum eſſerveſcentium impetu urbis mœnia feriente, & ideo Schenan appellato, modò tempore ſicco ingruente, tàm parum aquæ ſecum vehente, ut jumentorum & pecudum ſiti reſtinguendæ vix ſufficiat. Defectui aquarum huic tollendo ſufficere fontes optimos ſcaturientes aquis vivis, quæ hic ubiquè ſe offerunt. Urbem viſam fuiſſe ſemper quidem, quod ob vetuſtatem collapſura eſſet, tamen ſitu, fertilitate, & divitiis, in totâ ora Septentrionali parem ſibi non habuiſſe, utpote in ſalubri loco & aëre inter fertiliſſimos agros & paſcua, ac utilia & umbroſa nemora quernâ locatam. Urbis plateas mox à principio conditorum prudentia ſagaci ità directas eſſe, ut inſtar radiorum circuli omnes ab urbis circumferentia

tia ad forum & curiam, tanquam ad centrum procurrant. *Cap.* 19. *lib.* 6. *Sanctum Nicolaum* olim Episcopum Lincopiensem divina revelatione *S. Brigittæ* purissimum & integerrimum vitâ declaratum hinc oriundum fuisse: Cœnobium quoquè sacrarum Virginum se hic quoque obtulisse, Ordinis quidem Dominici, sed suo tempore jam deletum, quod Nobilis quædam vidua, Ingridis nomine senatus civitatis permissu, propriis sumptibus, erexerat, postquam mundo relicto & contempto anno 1282. iter ingressa Hierosolymam, Compostellam, & Romam venisset, & inde domum incolumis reversa fuisset.

SIGTUNE, SIGTUNIA, SICTUNA.


Insigni vetustate inclyta Urbs Uplandiæ, nominis testes producens quinque templa, & plurimos hortos. Ut *Iohannes Magnus* arbitratur, *Siggo* Sueciæ Rex Quintus ipsam à se denominatam apponendam curavit.

paludi Meler, ut remoram objiceret Estlandorum, Finlandorum, & aliorum Orientalium invasionibus perpetuis, quibus Sueciam divexabant. Quanti autem æstimanda *Iohannis Magni de primis Sueciæ Regibus Historia*, alibi dictum est. *Adamus Bremensis* urbem hanc Sictonam appellat, à quo loco, ut *Ioh. Is. Pontanus* opinatur, *Taciti* Sitones, aut certe hæc urbs ab illis nomen & ortum traxisse videtur. Hîc *Adalvardus* Regis *Erici S.* tempore Euangelium Christi Ethnicis his populis annunciavit; Sed orta seditione horribili Rex ipse ab insana Plebe obtruncatus est. In celebri hujus urbis Monasterio S. Dominico sacro sepulti sunt 7. Archiepiscopus Upsaliensis *Ierlerus* anno 1260. & 14. Archiepiscopus *Petrus Philippi* anno 1341. mortuus.

STOCKHOLMIA, HOLMIA.

Hanc non Uplandiæ modo, sed & totius Regni Metropolin, Regumque

HOLMIA.



que Sueciæ ſedem *Auguſtini Liberi Baronis Moerſperg &c. Itinerarium ita deſcribit.* Arx Regia tanti eſt ſpatii, ut duorum Regum aulis complectendis ſufficeret, cum ferè triplex ædificium quodvis ſuas habeat areas, conclavia, & cœnacula admodum elegantia; tota verò arx undiq; validis, & altis turribus quadratis cincta ſit. Ex media verò arce una eminet 8. vel 9. tabulatorum ſeu contignationum, in qua circiter 35. tormenta ænea partim campeſtria, partim ex eo genere, quæ ſerpentes, aut colubrinas vocant, in quovis tabulato 6. vel ſeptem per ſua foramina in civitatem & circumjacentem regionem directa conſpiciuntur. His tota arx circumcirca defendi poteſt. Cuprum tegit templum, & turres, totique ædificio incredibilem ſplendorem conciliat, quod ubique adhuc multis parvis turribus exornatur. Major autem illa & cæteris eminentior faſtigio ſuperbit ornato tribus coro-

 nis

nis deauratis & ſibi mutuo impoſitis, quæ inſignem ſplendorem reddentes longè remotis in conſpectum cadunt, & Regni Sueciæ inſignia notant. In templo arcis grandi à Rege *Iohanne* condito decem ſunt columnæ marmoreæ ex Finlandia eò delatæ: Altare ex albo marmore plurimis in locis deauratum, cum multis ſtatuis. Tota arx plurimis conclavibus, aulis, diætis, tricliniis, xyſtis, porticibus, & ambulacris oppleta, & magnificè inſtructa, plurimaque horum operum pars aureo colore obducta, inter quæ opera longa aula in veteri ędificio viſu digniſſima. Centum inde paſſibus novum conſpicitur Palatium à Rege *Iohanne* erectum ac habitatum, in quo conclavia miræ elegantiæ, & aula inprimis plusquam centum paſſus, longa, tabulato tecta, quod puro argento obductum omnis generis hiſtorias & imagines plæraſque deauratas, admirabilis artificii opus, oculis ſubjicit:

Ar-

Argenteæ laminæ illud tegentes non admodum tenues, ſed ſatis craſſæ ſunt. Parietes velantur tapetibus ex auro & argento contextis & nonnullo ſerico commixtis ex ſacris Bibliis hiſtorias, & ex Ovidio fabulas ad vivum in aſpectu conſtituentes. Aulæis talibus & Regii conclavis proximi parietes veſtiuntur. Pavimentum ex cupro in lapidum ſpeciem effićto, & admirabili variorum colorum opere adornatum eſt. Ex ea intrare licet porticum ſatis latam, & centum paſſus longam, & poſtea turrim quadratam ſacellum grande continentem cum duobus conclavibus à latere, in quorum uno ad dextram Rex, & altero ad ſiniſtram Regina concionem audit. Sacellum alto marmore conſtat, & in magno altari cernitur crucifixi Chriſti ſtatua argentea humanam ſtaturam ferè exæquans. In porticus utroque latere pluteis & pulpitis ſuis incumbunt libri elegantiſſimi, ſellæquè adſunt

pul-

pulchræ, quibus lecturi insidere possunt. Fenestræ in utroquè latere 40, ex chrystallini vitri orbibus constantes mirè pellucent. Tales etiam in templo, aulis, & conclavibus lucem hauriunt. Ex his Regi non in campum modo & mare, sed etiam in arcem ipsam totam & urbem prospectus patet, cum tamen ipse à nemine conspici queat. Ex veteri tamen arce hoc fieri nequit. In priori porrò ingens est multitudo tormentorum æneorum majorum & minorum, duplariorum, colubrariorum, & aliorum ejus modi, quorum opera & vi Moscovitis multæ civitates & munitiones extortæ sunt. In campo se conspectui offerunt domus ac hortus Regum delectationi, & recreationi destinata: Horto pulcherrimè adornato contiguum est vivarium cum nonnullis ædibus ex ligno extructis, in quo leones, leopardi, ursi, & aliæ tales feræ aluntur. Urbs Holmia insulam medio flumini in-

ni inhærentem, & amœnam occupans à fronte & à tergo paludem habet juxtà latera sua forti cursu pręterlabentem, adeo ut plures molæ ibi fluenti motu agantur. Utrique aquarum margini opponunt se suburbia spatiosa & lata urbi haud exiguam elegantiam conciliantia. In Urbe muris altis antiquorum more cincta pulchra ædificia, elegantes plateæ, alta & lapidibus constructa templa, in suburbiis vero ligneæ, ac raro duorum tabulatorum altitudine ædes inveniuntur. Aliquot millia ædificiorum vallem totam implentium in iis esse creduntur: hominum, Germanorum pręcipuè, ibi habitantium insignis est multitudo. Urbs cum suburbiis quinque habebat templa, quibus Rex *Iohannes* tria adhuc addidit, eo quod multitudini hominum accrescenti quinque non sufficerent. Portus alteri laterum urbis proximus magnas & parvas naves haud exiguo numero recon-
dit,

dit, & lucrosam efficit incolis negotiationem totum mare Balthicum pervadentem, ac ipsum Oceanum ingredientem. Exteri mercatores & nautæ salis, vini, aromatum, serici, aliarumque, quarum hæ Regiones indigent, mercium participes reddunt: participes contrà redditi frumenti, ferri, cupri, chalybis, plumbi, piscium, carnis, aliarumque rerum, quibus hoc Regnum magis quàm pecunia affluit. Mensura vini in Suecia thalero, malvatici autem mensura duobus thaleris venalis est, cum in Sicilia & Candia asse posterioris mensura vendatur & vinum vilioris adhuc sit precii, & ideò in Succiam delatum lucri accessionem magnam pariat. Cuprum & ferrum, ut & omnis generis cibaria, & alimenta exiguo precio venduntur, ac Sueci ipsi frugales non lautè admodum vivunt. Hæc ex *Itinerario Augustini Liberi Baronis in Moersperg nondum impresso*. Descriptiones in lu-

cem

cem editæ occurrunt apud *C. Ens in deliciis Apod. per Germ. pag.* 279. *P. Bertium comm. rer. Germ. lib.* 3. *pag.* 679. *Davidem Frœlichium part.* 2. *Viatorii lib.* 1. *pag.* 338. *Janssonium in novo Atlante I. Is. Pontanum in Chorogr. Daniæ descr. fol.* 702. *& alios.* Quanquam & his addi aliquid poteſt. Regiæ enim arci ab illo tempore major acceſſit ſplendor, ædificiaque urbi magnificentiora, occaſione belli Germanici. Pauca tamen ex authoribus dictis delibabimus, eaque addemus, quæ memoratu digna in hac urbe contigerunt. Stockholm nomen conjunctum ex Stock & Holm vocabulis. Hoc inſulam, illud baculum notat. Ex circumjacente enim Regione trabes & ligna in hanc inſulam convecta, ex quibus incolis ædificandi opportunitas nata. Qui ipſi inde nomen ortum putat, quod impactis in terram trabibus innitatur, errant, ut *Atlas Janſſonii* dicit. Colli firmo inſidenti nullis trabibus ſub-

ſubjectis opus eſt. Sinus, ſive palus, ut idem ait, 3. milliaria, longitudine ſua metiens, & navibus ex mari ad urbem, vel ex urbe in mare aditum præbens, Meler nuncupatur. Paſſim ſcopulis ſcatet, quibus apud Suecos Scherch vel Scheren nomen eſt. Multorum fluminum confluxus eſt apud hanc urbem incumbentem faucibus paludis Melleri periculoſis, ob ſcopulos ſub undis latentes. Suburbia urbi annexa ſpatii grandis, quorum uni ad Boream Toren nomen. Quatuor ipſa civitas regitur Conſulibus, & duodecim Senatoribus. Hæc ex *Atlante*, cui aſtipulentur *P. Bertius, & C. Ens*, hoc addentes, ex dictis ſcopulis (Scheren) duos eſſe celebres Timolſoe, & Suarteſoe: proximas urbes Holmiæ eſſe Upſaliam, Aroſiam, Arbogiam, arcem Torſillam, Stregneſiam urbem & Gripſholmiam arcem, omnes in dictæ paludis Meler margine conſidentes, indèque id commoditatis habentes.

bentes, ut omnis generis mercium compotes fieri queant, præcipue Holmia ipsa, Venetiarum instar mediis paludibus imposita anno 1250. 3. milliaribus ad Ortum firmissimam esse turrim Waxholm, & è regione Tignam aditum ita custodientes, ut eum sine excubias ibi agentium voluntate nemo permeare possit. Scopulos seu Rupes (Scheren) describit *Olaus Magnus l.2.c.27. & 28.* his verbis. *Navigando à Germanico Mari, versus Septent. &c. antequam introitus appareat ad Regiam civitatem Holmensem Regni Sueciæ, occurrint mirabilis portus Hielmsnablen, vel Elxnabben appellatus, ubi montes ita à natura videntur formari, ut galeæ militares putentur insculptæ. Is portus ad omnes ventos & potestates arcendas insignis est, ut vix similem in tota Europa habeat. At si littus, aut portum quis exierit, cœca saxa, rupesquè minaces apparent; si vero in apertum mare exire voluerunt, obstat horrenda tempestas, ne visu*

visu quidem ad ictum oculi toleranda, quia Aquilonaris Orientalisque ventus eo in loco totaliter est procellosus. Præterea tempore hostili, terrarum incolæ litoralia subtrahunt signa, ne hostis accipiat ne tantillulum quidem spatium, ut effugiat pœnam, &c. Sunt præterea non exiguæ formidinis angusti exitus, & introitus æquoris Aquilonaris, præsertim ab aperto mari navigando versus Holmensem civitatem, &c. præcipuus tamen, & periculosior est locus Steendor, id est, porta lapidum appellatus, eò quod arctis faucibus, & lunatis cornibus quoquoversum obliquatur, id est, quandoque per modum Scythici arcus, quandoque mucronis aspectu evitatur à nautis, in quibus longe periculosius, ob exortas densissimas nebulas & caligines errare contingit, quàm in amplissimo Oceano subortâ validissima tempestate. Nec procul ab eo sinu Saxosæ rupes imminent, sub aquis latitantes, in quas quicunquè inciderint, quasi vivi sepulchro teguntur.
Et hæc *Olaus*, qui *eodem lib. cap* 12.

pag. 57.

pag. 57. ſcribit, exiguo ab urbe Holmia intervallo locum offendi inter rupes Rundisvaliam vulgariter, rotundam voraginem aut fauces rotundas aquam abſorbentes nuncupatum, cujus fundus reperiri non poſſit. Et *lib.* 12. *cap.* 12. in portu Holmiæ ipſo tempeſtatem adeò horridam, quandoquè exoriri, ut etiam maximę, & maximis divitiis onuſtæ, & ad exeundum paratæ naves momento citius fundum petant, adeò ut ob profunditatem nimiam præter mali apicem; & veli ſummi particulam aliquam nihil appareat. Fama communis eſt, voraginem illam auri, argenti, cupri, ferri, pecuniæ, merciumque deglutitarum plus continere, quàm ditiſſimæ urbes aut arces contineant. Sed hac noſtra ætate ſine anchoris naves ab omni tempeſtatum, hoſtiliumque invaſionum periculo tutiſſimam ſtationem habere feruntur. Anno quidem 1594. *Sigiſmundus* Poloniæ Rex anfractus

illos ſcopulorum, ſeu fauces (Sche-ren) paucorum dierum ſpacio ſuperavit. *Chytr. lib.* 30. *Saxon. fol.* 893. Superioribus temporibus Eſthlandi, Moſcovitæ, Ruſſi, & Thaveſthii ſcopuloſos illos anfractus penetrantes ſæpius Suecos inopinatis & clandeſtinis invaſionibus oppreſſerunt, ut *Olaus M. lib.* 9. *cap.* 36. *fatetur.* Huic incommodo occurrit *Valdemarus* Rex 131. habitus, pater, & tutor *Birgeri Ierl* mortui anno 1266. ut *Iohannes Magnus* teſtatur *lib.* 19. *hiſtor.* Nam Holmiam, ubi piſcatores caſas ſuas habere ſolebant, loco nimirum ſalſarum & dulcium aquarum concurſus cauſa piſcatui aptiſſimo, condidit, & muro circumdedit. Quæ cauſa fuit, ut poſt hujus munimenti erectionem Sueci in locis iiſdem quietiores & pacatiores manſerint, & dicti populi illud aggredi non auſi fuerint. Nam tanquam porta, omnem aditum claudit & reſerat. Superatu etiam difficiles pontes longiores,

giores, & diversi profundissimas aquas, & celerrimos fluvios tegentes, & reddentes firmiorem civitatem duabus tantum portis à meridie ac septentrione exeuntibus patentem, quarum, ut & pontium oppugnatio Daniæ regibus pluris, quam decem majores Regni sui civitates, constitit, sicut *Olaus M. in dicto 36. cap.* asserit, ac statuit, urbem Holmiam nonnisi tribus magnis exercitibus ac tribus tantum in locis, in insulas, terra, & aqua obsideri posse. Unam ex insulis ad balistæ jactum ab urbe *cap.* 35. Chepling enuncupat. *cap.* 37. loquitur de colle quodam Brunca-berg, vel Brunchabergs extra urbem versus septentrionem à Brunchone adultero turpi, & Regni proditore nomen ferente, & ex arena congesto, famosoquè multorum principum, nobilium, civium, & aliorum duellis & certaminibus acerrimis, de quibus omnibus *Iohannes Magnus in historiis Gothicis & Suecicis* legendus.

dus Collis dictus, cum scopulis vicinis isti urbis lateri haud amœnum prospectum conciliant. Conciones in urbe & suburbiis Germanica lingua habentur, & Finlandica. Totius autem Regni ipsa est emporium primarium. Regio Gubernatori Urbis senatus paret, & res magni momenti ad Regium Senatum deferuntur. Quorundam ex Scriptoribus narratio, arcem regiam, validum & firmum ædificium, quadringentis, aut pluribus tormentis æneis munitum esse prodit. Aquæ proximam fossæ tamen siccæ ambiunt constratę pontibus ductariis, adeò ut invicta vi nulla expugnari posse videatur, præcipuè cum muris ejusmodi circundetur, quę ob crassitiem tormentis æneis confringi non queant. Sed ipsa civitas, ut ajunt, de firmitudine sua non est, cur glorietur. In suburbiis pecudes & pecora aluntur. Plęræquè ædes latrinis carent, ideoquè naturæ satisfacturi alio concedere

co-

coguntur. Diverſoria non ſunt in urbe communia, eamque ob cauſam peregrino ad civem aliquem divertendum, ubi precio tolerabili excipi ſolet. Cerevisia in urbe cocta bona eſt; peregrinæ autem, ut & vina, mulſa aliique potus magni conſtant. *Schadæus part.* 3. *Sleid. cont. lib.* 18. *fol.* 617. Holmiam Dantiſco 80. milliaribus Germanicis diſtare, ſcribit. Franciſcanorum monaſterium olim habuit.

Ad præcipuorum eventuum, qui huic civitati obtigerunt, ab eo tempore, quo condita eſt, narrationem jam veniamus, par eſt. Anno 1371. *Haquinus* Norwegiæ Rex urbem & arcem, in qua pater ejus *Magnus* Sueciæ Rex ab *Alberto* Duce Megapolitano Suecię Rege novo captivus detinebatur, gravi obſidio circundedit, & patre ſuo *Magno*, qui poſteà in aquis periit, libertati reſtituto eandem ſolvit. *Alberto* illi firmiter adhæſit civitas quamvis capto à *Mar-*

 ga-

garetha Daniæ Regina, & eadem causa anno 1394. gravem obsidionem, & famem toleravit, liberata tamen à Wismariensibus, & Rostochiensibus, si *Lubecensibus Reckmanni Chronicis* fides; solis autem Rostochiensibus auxilium illud acceptum fert *Pet. Lindenbergius lib. 2. Chron. Rostoch.* De cœlo tacta civitas anno 1407. ferè tota incendio periit, & cum ea 1600. homines, præter plurimas fœminas & infantes, quæ saluti suæ consulturæ naves conscensas nimio onere submerserunt, & in aquis magnâ multitudine exitum vitæ invenerunt. Anno 1434. Orta seditione contra ministros Regios, Holmia obsessa est à seditiosis castra in Broncaberg è regione civitatis habentibus, & iis sublatis alibi multa loca & inter ea arcem & oppidum Oppenstein occupantibus, arces multas diruentibus, peregrinos præfectos ejicientibus, & in eorum locum indigenas sufficientibus. Rex

Eri-

Ericus tunc temporis in altero ſuo Regno commorans, ut primum de ſeditione certus factus fuerat, in Sueciam rediit, nec longam Holmię moram nectens ſexcentis militibus pręſidio ibi relictis Daniam repetiit. Sequenti anno, pace Rex Subditis reconciliatus promiſſis non ſtetit, ut ex ipſius *Ioh. Iſ. Pontani* teſtimonio liquet. Hinc turbæ anno 1436. renovatæ, & urbs Holmia, excepta arce, capta à ſeditioſorum Duce *Engelberto*, qui magnis facinoribus editis tandem à *Magno Benedicto*, *Benedicti Stenonis* Equeſtris Ordinis filio interemptus eſt. Poſt ejus obitum Regni Mareſchallus *Carolus Canuti* Regni Gubernator electus, & poſt *Chriſtophori*, qui dicto *Erico* ſucceſſerat, obitum Rex creatus eſt. Sed Sueciâ excedens Dantiſci ſeptennium exilio contrivit, ac anno 1463. revocatus anno 1470. vitæ ſpiritum reddidit. Interea anno 1458. urbs & arx Holmia tradita eſt iis, qui à

Rege *Christiano* vel *Christierno* I. Comite Oldenburgensi stabant. Hic in Sueciam paulo post veniens Moraste propè Upsaliam Rex proclamatus, & Upsaliæ coronatus est. Sed *Carolo* à Suecis revocato, & mortuo idem Rex Holmiam obsidens, & magna clade affectus Sueciam relinquere coactus est. *Stenoni Sture* seniori onus Regni gubernandi imponebatur. *Christianum* autem dictum sequutus est filius Rex *Iohannes* anno 1481. qui Holmiam obsidione nova vexans anno 1497. in Broncaberg colle castris positis ex altera parte plurimis navibus urbem cinxerat. Tandem Dalecarlis subactis, postquam *Steno* colloquendi cum ipso causa ex urbe in castra venisset, urbe ipsa potitus solemni coronationis festo Rex inauguratus est. Anno 1501. turbis sopitis recrudescentibus celeberrimus horror *Suanti* (nonnullis Princeps Ostro-Gothicus, & Regni Mareschallus) se cum Stenone con-

jun-

junxit. Rex *Iohannes* cum uxore Christina Ernesti Saxoniæ Electoris filia (anno 1521, his miseriis humanis defuncta ut, *Heldvaderus* tradit) in arce Holmiensi commorabatur. Urbem, in qua incendium exortum fuerat, *Steno* mox capiebat: sed arce, in qua Rex prægnantem uxorem reliquerat, ipse profectus in Daniam, capienda ferè biennium contrivit. Fame victa Regina eam tandem dedidit. *Steno* vita excessit anno 1503. & successorem in Gubernatione habuit *Suantonem* surrogatum à Suecis 12. Kal. Febr. anno 1504. & morte ereptum anno 1512. Successit filius *Steno Suante* aliis *Steno Sture junior* qui cum *Christiano* vel *Christierno* II. *Iohannis* filio bellum gerens anno 1520. vulneratus mox postea obiit. Christiano Regi, quamvis anno 1518. Holmiam inani obsidione tentasset, tandem aureos montes pollicenti 6. Idus Septembris ejusdem anni à Stenonis vidua urbs tradita est.

Kal. Novembris coronatus Regni optimates, Nobiles, & Urbis Senatum convivio lautiſſimo biduum totum excepit. Tertio die ejus juſſu omnes in vincula dati, & 6. Idus Novembris ex arce in forum deducti ſunt, quorum nomina notata erant. Capite plexi ſunt, primo *Ericus Iohannis* cujus filius *Guſtavus* poſteà Regnum obtinuit: deinde duo Epiſcopi Stregneſienſis, & Scarenſis, quos reliqui Primores Regni ſecuti (& inter eos *Ericus Abrahami* Eques auratus, prout *Heldvaderus* & *Haraldi Huitfeldi Chronica pag.* 44. *part.* 2. indicant) cum Senatu Urbis toto, adeo ut 70. aut 94. ut alii dicunt, ante ſecuriam in foro interempti ſint. Sequentibus diebus in reliquam plebem, cives, muliebrem ſexum, pueros, puellas, infantes, viduas & orphanos ſe effundebat calamitas, partem interficiendo & partem diripiendo: nec cadaveribus ipſis parcitum eſt. Triduum jacuêre corpora mortuo-

tuorum in plateis, postea in foro in acervum constructa, & extra urbem combusta, cineribus in aërem dispersis. Horrendum facinus, eoque horrendius, quod Rex omnia, quæ in suos majores, patrem & se unquam commiserant, ignovisset. *Christinam Stenonis* viduam cum liberis, & aliis quibusdam matronis in Daniam captivam secum abduxit. Videatur *Ioh. Magnus lib.* 23. *&* 28. & frater ejus *Olaus Magnus* (qui Holmiæ cum convivium hoc sanguinolentum celebraretur, miseri hujus spectaculi spectator fuit) 8. *lib. cap.* 39. 40. *Chytræus lib.* 9. *p.* 231. *seq. Iohannes Meursius lib.* 3. *Hist. Dan. in vita Christiani* II. *& Iac. Zieglerus Landaviensis in l. de tyrannide Christiani* II. *&c. Argentorati apud Ribelium impresso. Gustavus Erici Iohannis* filius singulari & mirabili casu & custodia elapsus, & Lubecensium auxilio in Sueciam reversus, ac Darlecarlorum Dux factus Holmiam locis tribus cum damno

obſedit. Altera obſidione eam aggreſſus, & Lubecenſium, ac Dantiſcanorum adjumento anno 1522. quatuor locis oppugnans ſequentis 23.Kal. Quintilis Danis deditione extorſit: ut *Chytræus*, & ex eo *Calviſius* indicant. *Ioh. Regkmannus tamen in Lubec. Chron. fol.* 118. feſto S. Johannis anno 1524. factum eſſe ſcribit, dicens; Urbem Lubecenſium Legatus deditam, & claves traditas eſſe, quas ipſi Guſtavo Guſtavi filio poſtea Regi trudidiſſent; qui eodem anno tamen 23. Rex proclamatus fuerat, quamvis coronationem anno demum 28. admiſerit. Nam interea aliquoties Regno repudiato nihil aliud poſcebat, quam ut ſibi ſumptus, quos Regno recuperando impenderat, redderentur. *Chytr. lib. 9. Saxoniæ* A. 1568. *Guſtavi* Regis filii duo juniores *Iohannes Finlandiæ*, & *Carolus* Sudermanniæ Dux, *Ericum* Regem Fratrem ſeniorem in hâc urbe obſederunt, & reddita urbe captivum

vum fecerunt. *Iohannes* autem Rex factus est. *Nic. Heldvaderus* memoriæ prodidit, Regem *Ericum* anno 1568. 4. Nonas Quintilis Holmiæ post publicam ab Episcopo Upsaliensi copulationem factam Concubinam suam *Catharinam* satellitis cujusdam filiam uxorem duxisse, eidemque coronam imponendam curasse. Fratres autem prius Watsteinum se contulisse, & cum iis se conjunxisse 14. Kal. Septemb. milites, qui contra eos missi erant. Cum his 15. Kal. Octob. eos Holmiam perrexisse, atque ipsis traditum esse postulatum primum Secretarium *Georgium Peersoon* Regis Erici permissu, & urbem ipsam 10. Kal. Octobris, vel ipso S. Michaelis festo. Pridie vero Kal. Octob. *Iohannem* Finlandiæ Ducem intrasse urbem, ac Regem proclamatum, *Ericum* verò cum sua *Catharina* in conclavi quodam arcis captivum detentum fuisse, Johannem autem Regem pacis constituendæ

cauſa legatos in Daniam miſiſſe. Vide inferius Upſal, & Weſteras. In fine Septembris anni 1625. ultra centum ędes incendio conſumptæ ſunt; anno autem 1640. 250. ædes. Anno 1644. ter mille civium delectus Holmiæ habitus, ipſaquè civitas operibus bellicis exterioribus munita. Anno 47. ſexaginta quatuor abhinc biennio ad Comitum, Liberorum Baronum ac Nobilium dignitatem libro ſolito inſcripti, & in cæterorum Ordinem relati ſunt. Ædificium quoque conſtruebatur in Equeſtris Ordinis uſum, cujus ſtructuræ promovendæ nova illa Equeſtris Ordinis membra certæ pecuniæ exolvendæ promiſſis ſe obſtringebant. *Tom.5.Theat.Europæi.*

STREGNES, STRENGNESIA.

De hac Sudermanniæ Epiſcopali civitate in paludis Meler vel Meller margine ſitum obtinente, prodit *Olaus M. lib.7. cap.24.* antiquis temporibus ab Ethnicis Idola ibi culta, & ſtre-

& ſtrenua ab Heroibus, Athletis, & Gigantibus certamina commiſſa eſſe, loquentibus id magnis lapidibus ex campis & montibus in templorum parietes tranſlatis, & ſcripturâ Gothicâ Gigantum & Heroum facinora exhibentibus. Tales in Aroſiæ vel Weſteras templis etiam inveniri. *Idem l.*4. Palude Meler glorię obductâ, mercatum annuum in fine Februarii apud hanc urbem in ipſa glacie celebrari. In templo Urbis Cathedrali monumentnm ſuum Sueciæ Rex *Carolus* IX. Ejuſdem Archidiaconus tempore *Guſtavi* Regis fuit *Laurentius Andreæ*, qui cum *Olao Petri*, *Laurentii Petri* Archiepiſcopi Upſalienſis fratre Auguſtanam Confeſſionem in Suecia ſtrenuè promovit, haud parum adjumenti ad id conferente dicto Archiepiſcopo *Iohannis Magni* Succeſſore. Cum fratre enim Sacra Biblia ex Germanicâ Lutheri verſione in Suecicam linguam tranſtulit. Anno 1647. Ur-

bis hujus Epiſcopus erat *Doctor Johannes Matthiæ*, ut perſcriptum eſt. In *Itinerario Liberi Baronis in Moerſperg* habetur, arcem hic quoquè eſſe, ac in Monumentis templi marmoreis Principum ac Magnatum quorundam exuvias mortales quieſcere.

SUDERCOPIA, SUDERCOEPING.

Oſt-Gothiæ emporium negotiationis non contemnendæ, in *Itinerariis Germanicis*, Sur vel Saur coeping errore pronunciationis: & in quibuſdam tabulis Geographicis Sodercoeping. Locus apertus, & nullo opere militari clauſus, cum fluento mare intrante & ſcopulo alto muri vices ſubeunte. Prope Sudercopiam Chryſtallos ſexangulari figura, & digiti ac pugni magnitudine dependentes reperiri *Olaus M. lib.* 2. *cap.* 31. dicit: *Chytr. lib.* 9. tradit, à Lubecenſibus anno 1522. naves auxilio miſſas novem *Guſtavo Erici* 7. Idus Junii in portum veniſſe Sudercopiæ, urbis Upſalia 22. milliaribus

bus Suecicis distantis, ubi *Gustavus* commorabatur. *Hermannus Hamelmannus in Chronicis Oldenburgicis part. 3. cap. 16. fol. 411.* hunc locum Saurcoeping vocant; Anno, inquit, 1567. *Daniel Rantzovius* per viam cavam Sueciam invasit, vicum Matstein, arce exceptâ, item oppida Saurcoeping, & Jenecoeping diripuit, ac inde Schoeningam reversus mox Suecorum castra ad Moram adortus est. Postea glacie concretam paludem tormentis bellicis superans Wecksee occupavit.

TELGA.

Urbs Mercatoria Sudermanniæ ad Meler lacum. à *P. Bertio in explic. tabul. Geogr. contr. pag.* 297. perperam ad Gothiam relata: cui in eo ab aliis assensus præbetur, quod ibi maximi lapides à quadratâ basi sensim in cuspidem desinentes, & pyramides appellati, ac Ægyptiis haud multum abludentes, Gothicis etiam literis inscripti cernantur. *David Fræl. in Suec.*

Suec. deſcr : Telga Pyramides ſaxeas cum literis Gothicis exhibet. Hîc Telgæ ànno 1367. ab Archiepiſcopo Upſaliæ 17. *Birgero Gregorii* concilium contra fœneratores, & alios errores, ut & aliud ab eodem anno 1380. celebratum eſt.

TORNE, THORNA, TORUNUM.

Bothniæ locus præcipuus : *Nic. Sanſon in Tab. Geogr. Chytraus* è regione Bothniæ locans Emporium vocat 70. ferè latitud. gradui ſubjectum. *Olaus M. l. 20. c. 1.* Ex Borealis Bothniæ montanis fluvius emergit duobus fluentis in mare erumpens & parvum ſpacium complectens, ſedem Thornæ urbis, cujus nomen Inſulam turribus ornatam notat, & latitud. elevatio 82. longitud. 42. gr. ſe ſubmittat. Et amœni, & commodi ſitus emporium in hoc toto tractu par non habet, frequentatum quippe ab albis Ruſſis aut Moſcowitis, Lapponibus, omnibuſque ex Biarmia, Bothnia, Finlandia, Tavaſtia, Suecia, Helſingia,

gia, aliisque locis item ex Norwegia, per vastos montes & grandia deserta, ac per Jemptiam ipsam adventantibus. *Olaum vide.*

VADSTEN, VASTENUM, WASTENUM.

Ob arcem præclaram & munitam ac Cœnobium in *S. Brigittæ* Suecicæ honorem extructum in Ostro Gothia hæc civitas famosa est. Brigitta hæc instituit Ordinem S. Salvatoris vel S. Brigittæ, ut vult *Aubertus Miræus in Fastis Belgicis p.* 442. Index Archiepiscoporum Upsaliensium in *libro de Republ. Suecicu pag.* 455. hæc dicit. 17. Archiep. *Birgerus Gregorii* cum omnibus suis Episcopis, & Abbatibus scripsit Papis, *Vrbano, Gregorio* II. & *Vrbano* VI. ut S. Brigittam in Sanctorum numerum referrent, quod literis & sigillis ipsorum Romæ in Xenodochio S. Brigittæ, si opus fuerit, monstrari potest. Dictus Archiepiscopus Legendam *S. Brigittæ* composuit: in qua inter alia hæc verba leguntur. *S.Bri-*

gitta

gitta in Suecia nata non ſolummodo, ſive divinas revelationes ipſi factas, ſive ſanctam Regiam originem ſuis ſanctis operibus tantam Dei miſericordiam meritam ſpectes à Principum Stemmate ortum trahit, ſed & ipſa magnis, nobilibus & piis majoribus prognata eſt. Hæc Legenda illa, *Olaus M.lib.2.cap.*19. ad lacum, ait, Vether eſt ſpectabile illud *S.Brigittæ* vel *Brigidæ* & filiæ ejus *S.Catharinæ* monaſterium utriuſque divitiis, & pietatis zelo ſingulari inſtitutum, & debitis reditibus inſtructum. In proximo cœnobii grandis mons eſt Amaberg, in quo lapides quadrati & oblongi admodum grandes oculis ſe ſubjiciunt, ut *Olaus lib.*12. *cap.*1. *refert. S. Brigitta* illa 10. Kal. Sextilis anno 1372. vel. 73. Romæ mortalitatem depoſuit. Cujus oſſa inde in Sueciam in cœnobium ejus & patriam Waſten tranſlata, ipſa vero à *Papa Vrbano* VI. ſolita pompa in Sanctorum numerum relata eſt. *Volaterrano*

terrano indicante ipsi octo liberi, 4. filii & quatuor filiæ fuerunt, omnes pietate & sanctimonia admodum celebres. Consulatur *Pont. lib. 8. rer. Danicar. fol.* 501. Nonnullus *Brigitta* vocatur. *Ægid. Gelenius de magnit. Colon. lib. 3. Syntagm. 49. de S. Brigittæ cœnobio Coloniæ ad Rhenum in Syon: Instituti S. Brigittæ, sive S. Salvatoris, à quo leges S. Brigitta accepit, viri & fœminæ, muro tamen separati ab invicem, animis conjunctis Deo vacantes in clausura, solicitudine remoti à secularibus negotiis. Et fœminæ quidem viris per crates alimenta subministrant: hi autem velut Sacellani in divinis officiis sexui illi subserviunt. In Diœcesi Coloniensi præter hoc monasterium in Seien, seu Syon, etiam in Foresto B. M. virginis supra Bonnam & ad arborem B. M. Virginis in Clivia idem ordo Brigittanus utriusquè sexus floret. Obiit autem S. Brigitta vidua 23. Iul. Anno* 1373. *Ejus verò Filia S. Catharina virgo* 22. *Martii Anno* 1381 *Matthæus Raderus*

rus vol.3. Bavar. Sanctæ p. 170. *seq.* tradit, scriptas, & impressas Genealogias Principum, imò *Lazium* ipsum, *S. Birgittæ*, aliis *Brigittæ* vel *Brigidæ* genus à Palatinis, & Bavaris Principibus deducere; quod alii Historici ex Suecia derivant. In Bavaria haud procul Monachio esse Vetus Munster ad S. Salvatorem Ordinis S. Brigittæ, in quo Monasterio Monachi & Virgines Sacræ eodem templo utantur. Simile reperiri quoque in Eichstadiensi Episcopatu Gnadenberg nomine institutum à *Catharina Iohannis* Comitis Palatini & Bavariæ Ducis uxore. Vide *Topograph. Bavariæ.* Anno 1520. post convivium illud cruentum Rex *Christiernus* II. in hac civitate Vadsten, ut & alibi, Suecos horrenda tyrannide exagitavit.

VEXIO, VIXIA, WEXIO.

Smalandiæ civitas Episcopalis, in templo Cathedrali monumenta *Vnamanni, Sunamanni, & Vinamanni,* de

de quibus ſupra in Scaræ urbis deſcriptione, oſtentans: *quorum corpora in Cathedrali Eccleſia Vexionenſi magno honore ab omnibus venerantur*, ut *Olaus M. lib. 2. cap. 10. fol. 66.* de ſuo tempore loquitur. *Iohannes Skyrte ſerm. 2. ad Iacobum Magnæ Britanniæ Regem. pag. 46.* Anno 955. *Eldredi* vel *Mildredi* Angliæ Regis juſſu, & *Suffridi* Eboracenſis in Anglia Archiepiſcopi adjumento in Sueciam Chriſtiana Religio introducta, & à *Suffrido* Rex *Olaus Schotkonung* cognomine baptizatus eſt. *Suffridi* autem nepotes, & Archiepiſcopi *Vinamannus, Sunamannus, & Vnamannus* fidem Chriſtianam propagârunt. Horum monumenta in templo Vexienſi conſpiciuntur. In *Gothicorum Epiſcoporum Indice* de Archiepiſcopo *Siegfrido* vocato dicitur, quod in eodem templo, quod ædificavit, ſepultus ſit. Civitas autem hæc ad lacum ſita tempore *Erici Glippini* Daniæ Regis 75. cum Suecis bello decer-

certantis una cum templo Cathedrali tota in cineres versa est. *Pontanus lib.7.rer.Dan.*

VISBY, VISBUY, WISBUY, VISBYA, VISBURGUM.

Unica Gothlandiæ Insulæ civitas olim potentiâ, splendore & magnitudine celebris, tantarum rerum jacturâ factâ, in exiguos fines se contraxit, & oppiduli speciem refert, ut *Janssonii Atlas* docet. Arx prope portum satis valida, habitatio est Regii Præfecti insulam gubernantis. In Sacris Insulæ præpositus est Episcopus vel potius Superintendens à Rege *Friderico* II. Pontificiam doctrinam abrogante, & omnes Gothlandiæ vel Gothiæ, aut Gulandiæ (quo nomine Incolæ, Dani, & Sueci ipsam appellitant, apprime nimirum cum *Ptolomæi* Gutis, quos alii Gothos vocant, conveniente) Ecclesias, & parochias, quarum centum circiter sunt ipsi subjiciente. Collapsam autem ejus authoritatem Rex *Christianus*

nus

nus IV. redintegravit. Insulæ logitudinem quidam 18. circiter, & latitudinem vix 5. alii illam 20. hanc 6. milliaribus metiuntur. Emporiis illis Pomeraniæ clarissimis Wineta & Julino pessum euntibus, Visbya inter omnia Regionum Septentrionalium emporia caput extulit. Ex hac Urbe exortæ sunt tabulæ hydrographicæ, postea emendatæ, & ad navigationis usum maximum adhibitæ. Leges quoquè navigationi, & commerciis primas hæ civitas præscripsit, ut olim à Rhodiis factum legitur. *Olaus M.l.*10.*cap.*16. *Licet urbs vetustissima Visbycensis potentissima ac opulentissima quondam fuerit, & pro minima occasione, nempe fractione unius fenestralis vitri, vix voloris obularis, humilitata sit; tamẽ leges maritimæ & decisiones omnium controversiarum singulariter longè lateq; usq; ad columnas Herculis & ultimum mare Scythicum ex ea petuntur, & datæ observantur.* Olim 10. templa, & 4. cœnobia complexa

ad-

adhuc hodie muros ſuos habet, excepta parte illa, quâ portum aſpicit. Paſſim civium ædes cæſis marmoribus ſuperbiunt. Sunt, qui hodie adhuc 7. templa cum aliquot cœnobiis magnifice excitatis conſpici, civiumque ædes parum aut nihil Norimbergenſium, aut Colonienſium civium ædificiis ſplendidis concedere ſcribant. Ex deſtructa autem Wineta Pomeraniæ urbe Gothlandos incolas marmor, ferrum, cuprum, ſtannum, argentum,& inter alia duas æneas portas grandis ponderis petiiſſe,& ſecum in Gothlandiam avexiſſe. Eſſe autem proxime urbem Viſbiam ingentis magnitudinis ſcopulos cum epitaphiis Gothicis caracteribus ſcriptis, vide 5. *partem Georgii Braun de civit. Ioh. Iſaac. Pont. in Chorogr. Regni Daniæ, tractuſquè ejus univerſi borealis deſcript.fol.97.P.Bertium lib.3.comment.rer. Germ.p.713. & alios*, qui de civitatibus ſcripſerunt. *Chytr. lib.* 11. *Saxoniæ fol.* 272.

Goth-

Gothlandicam hanc Visbiam à proximo littore Ost-Gothico 14. à Churlandiæ ora maritima 20. Dantisco 30. ab Insula Bornholmia 50. & Rostochio 80. milliaribus distare ait. Insignibus utitur notatis agno crucem cum vexillo portante, & hanc circumscriptionem legendam offerente: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis; & da æternam pacem temporibus nostris.* Mensis Aprilis anni 1288. cives & cæteros incolas discordes & seditiosos magnâ pugnâ collisit. Civibus victoria potitis *Magnus* Sueciæ Rex litem & controversiam amicè composuit. Mox civitati muri & fossæ circundatæ sunt, ut *Pontanus* scribit, ex quo corrigendus *Bertii* error. Sed quod de infante ex magni piscis capti ventre exciso, anno sequuto, *Bertius* dicit, veritati congruum esse potest, cum hactenus à nemine contradictum sit. Anno 1361. alius hujus nominis Rex Sueciæ, qui Gothlandis,

dis, ſive hujus Inſulæ incolis, & Wisbienſibus cumprimis, qui fortunæ favore nimio elati dictum ſuum Regem Magnum Dominum ſuum deſpicatui habere viſi ſunt, non benevolus fuit, cum *VVoldemaro* Daniæ Rege egit, ut eos opprimeret, & peſſundaret: quod etiam factum. Nam hic Oelandia vaſtata Gothlandiam navibus petiit, & ter cum incolis acie congreſſus, ter victor evaſit. Visbiam venienti cives portas aperuerunt: Sed per eas ingredi nolens murorum partem dejici juſſit, & exercitu ſuo toto urbem intravit, in qua, emporio nimirum totius Europæ celeberrimo, divitias incredibiles nactus eſt. Una ex navibus pretioſarum mercium copia ac inprimis aureis & argenteis templorum ornamentis onerata ſub inſula Cariſee fundum in reditu petiit. *VVoldemarus* Visbia potitus poſtea, Danorum Gothorum, & Vandalorum Rex ſalutatus eſt. Poſſeſſionem Inſulæ ei po-

posteà confirmârunt *Albertus* Sueciæ Rex Dux Megapolitanus, & Regni senatus. Dani vero jure, quod in Ducatum Megapolitanum & Rostochium urbem habebant, se abdicârunt. Nihilominus tamen Visbiensium jura & privilegia *VVoldemarus* rata habuit. Quod factum Sueci & Hanseaticæ urbes ægrè ferentes fœdus contra Danum inierunt; qua de re *Pontanus lib.8.fol.*490. *seqq.* legi potest. *P. Bertius* in hujus insulæ urbisque occupatione mille & octingentos cives periisse, & adhuc apud portam ad meridiem, ubi pugna hæc facta est, monumentum marmoreum ostendi refert, cum hâc inscriptione: *Ante Portas Visbii in manibus Danorum ceciderunt hic sepulti.* Posteà *Ericum* Ducem *Alberti* Regis filium in hujus insulę arce Landscrona nomine in S. Mariæ sacello sepultum esse. Sequutis temporibus piratæ *Vitaliani* nominati Insulam & Urbem suæ potestatis fecerunt, eje-

cti iterum ab Equitibus Ordinis Teutonici in Borussia, qui sibi insulam retinuerunt. Hinc *Ericus* Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ Rex, trajecto in Insulam exercitu, Visbiam, frustra tamen, obsedit. Controversiam tandem composuit Cæsar *VVenceslaus*, ita ut Rex pro Insula & urbe sibi restitutâ, ac sumptibus impensis, Magno Ordinis Teutonici Præfecto novem millia Anglicorum Nobliorum solverit. Ita, *Bertio* referente, Gothlandiâ anno 1408. Ordo Teutonicus excidit. *Erico* dicto Regnum suum relinquente, Dani anno 1439. *Christophorum* Comitem Palatinum Regem crearunt, à Danis & Suecis approbatum. *Ericus* verò plures annos Visbiæ commoratus, post *Christoph.* A. 1448. denatum adhuc vixit. Sueci proprium sibi Regem *Carolum Canuti* constituentes Visbiam eodem anno 48. obsessam in potestatem suam redegerunt. Danis Ericus Rex arcem tradidit, in Pomerani-

raniam ſe conferens, ubi anno 1459. vitâ exceſſit. Dani ex arce ſequenti 49. anno urbem invaſerunt, ac Suecorum plurimis cæſis, ædibuſque exuſtis eam ſuæ poteſtatis fecerunt. *Ioh. Meurſius Hiſt. Dan. lib.* 1. *Iohannes Regkmannus in Lubec. Chron. lib.* 2. *fol.* 70. *Chriſtiernum* Regem Inſula & urbe anno 1449. potitum Suecos expuliſſe narrat. Anno 1524. poſtquam diverſorum dominatu exercita fuiſſet, in Danorum poteſtatem recidit: ægrè hoc ferentibus Suecis, ut *Chytr. lib.* 11. *Saxoniæ fol.* 272. *habet. Regkmannus fol.* 113. *tradit*; poſt Daniæ Regis *Chriſtiani* 11. obitum Gothlandiam ac Viſbiam in poteſtate fuiſſe *Severini Norbue*, graſſationibus ſuis navigationem & commercia magno damno afficientis. Lubecenſes verò Viſbia capta arcem militibus cinxiſſe. Cum ipſis egit Rex *Fridericus* I. ut Gothlandiam, & arcem Viſbiam 4. annos tenerent. *Severinum Norbue* autem fu-

ga evasisse. *Nicol. Heldvaderus part. 2. Sylv. Chronol. Circuli Balthici. pag. 65.* commemorat. Anno 1542. *Severinum Norbue* adhuc à Rege *Christiano* II. stetisse, & Gothlandiam contra Suecos defendisse: Sed Landscronæ ipsi à *Ioh. Rantzovio* Regis *Friderici* I. Duce militiæ conditiones præscriptas esse, ipsumque Regi Insulam & arcem tradidisse, Tandem *Christianus* IV. cum Regni Senatu in Reginam Suecię *Christinam* & Suecos pace anno 1648. facta hanc insulam cum urbe & arce, omnibusque ad eam pertinentibus, jure perpetuo & hæreditario possidendam transtulit: ita ut jam Gothlandia, de quâ apud *Ioh. Lyscandrum in antiquitatibus* multa inveniuntur, Suecorum propria sit.

ULSPECK, ULFFSBAECK in *Michaelis Hebereri Itinerario* apertus vicus vocatur, & in Suecia inter Oby (ad initium vię vulgari appellatione Holwegh dictæ, per quam ex Suecia in Dani-

Daniam iter fieri ſolet) & Hellenburgam ſitus eſt. Inter hunc autem, dictus author dicit, & proximum Daniæ vicum Rinarff fluviolum intercedere, & Sueciam ac Daniam diſterminare. In hoc loco Sueciæ & Daniæ Rex anno 1629. convenerunt, & collocuti ſunt.

UPSAL, UPSALIA, UBSALIA.

Pervetuſtam civitatem hanc Regiam Suecorum ſedem, & totius Arctoi Urbis caput olim fuiſſe plures credunt. De hâc *Iohannes Magnus Gothus ejus Archiepiſcopus lib. 1. hiſt. Goth. Sueonumque.* Annis 246. poſt diluvium inter Suecos principatum obtinuit *Vbbo* à quo, ante Abrahami tempora, Upſalia & condita, & denominata, quaſi *Vbbonis* Sal, vel quia in ripa fluminis Sal ſitum habet. Ab ea Sueciæ Principes Upſaliæ Reges vocari voluerunt. Occupat locum amœniſſimum mox ab initio non ſolum hominibus, Principibus, & Regibus, ſed etiam Gothorum ſum-

mis sacerdotibus, imò Diis ipsis dicatus & consecratus. Hæc *Magnus* quarto Gothorum & Sueonum Regi Urbis hujus originem acceptam ferens, *Olaus Magnus frater ipsius lib.* 4. *cap.* 6. tradit: Archiepiscopalem hanc urbem mediam secari fluento lato plærunque Februario ineunte tam firma glacie constringi solito, ut innumerabilem pecudum, pecorum, & hominum copiam, merciumque multarum onus ferre queat. Hinc mercatum eo tempore in glacie magna hominum frequentia quotannis celebrari. *Idem lib.* 1. *cap.* 31. *& lib.* 8. *cap.* 1. Cum Regis alicujus electio habenda esset, nimirum antequam Regnum sub *Gustavo* Rege, cujus coætaneus *Olaus* fuit, hæreditarium factum, Senatui, Ordinibus, Legatis, & civitatibus omnibus hic Upsaliæ conveniendum fuisse. In campo autem Upsaliæ, proximo grandem cerni lapidem Incolis Morasten dictúm, ac aliis duodecim minoribus cin-

cinctum. In hoc ipso lapide novum Regem eligi, in multitudinis hominum innumerabilis præsentia, &, postquam se Religionis defensioni sacramento solemni obstrinxit, sacris ceremoniis ab Episcopis Catholicis confirmari solere. *Ioh. Is. Pontanus lib.9 rer. Danicar. fol.526. Moris fuit antiquitas, ut paracta Regum Sueciæ designatione, & annus, & dies inaugurationis, nomenque Regis, lapidi, qui Morasteen vulgo dictus extrà civitatem Upsalensem ad unum milliare in plano campo situs, incideretur ad perennem rei memoriam. In quo, & super quem Reges Sueciæ de novo electi, statim post eorum electionem, etiam consueverunt ab antiquissimis temporibus sublimari, & intronizari, ut loquitur Notarii Publici Instrumentum, quod produxit Ioh. Messenius Suecus, (in paraphrasi Theatri Nobilitatis Suecanæ pag.108. videatur etiam Ioh. Magnus lib.21.)* De Upsalia ipsa *Pontanus in descriptione Sueciæ*: Archiepiscopalis sedes in

media Uplandia, & fluvii Salæ in paludem Vekelen labentis ripa, loco plano & amœno insidet. *Janssonii Atlas novus* & alii opinantur, quoniam hæc civitas olim totius Regni caput antiquissima metropolis, ac Ecclesiastici & Politici Juris summa sedes fuisset, ipsi etiam regium titulũ Upsala Konung obtigisse. Jam Sedem Archiepiscopalem, celeberrimo templo Cathedrali, ac proximè arce pulchra in alto & præcipiti colle sita exornari. Spatiosam quidem, sed non firmam in media Uplandia, ad ripam fluminis Salæ in parvam paludem Ekolen, (Eloken *liber de Republica Suecica* habet) aquas suas evehentis loco plano & amœno sitam esse. In templo Cathedrali, in quo *Sanctus Ericus* in arca argentea, & juxta illum *Gustavus* Rex superius in cella sacra sepulti sunt, Reges Sueciæ coronantur; & artificiosissimum horologium etiam conspicitur. *Augustini Liberi Baronis in Moersperg itinera-*

nerarium Upſaliam ità deſcribit: Totius Sueciȩ templum pulcherrimum *hîc* eſt, cupro ubiquè tectum, ac turribus multis ornatum, monumentis Regiis etiam famoſum. Inter hæc memorabile illud *S. Erici* Regis, in quo arca argentea deaurata, olim aurea tota, ut ferunt. Imaginum elegantia eminens propter altare grande longa & grandi catena aurea circundatum: Supra monumentum Corona Regia ex argento puro, olim ex auro puro, ut perhibetur, multis gemmis pretioſis ſplendore amœno radiantibus diſtincta pendet. Poſt altare Sacellum Regis *Guſtavi* monumentum continet. Staturam vivam imitans ejus ſtatua ex marmore albo, altior aliquantulum, inter duarum uxorum ſtatuas ſupina jacet; monumentum ipſum multis imaginibus & hiſtoriis plurimis in locis deauratis præclarum eſt. Circà monumentum Regis, ac utriuſque uxoris inſignia artificiosè ſculpta cer-

nuntur. Juxta & ſupra idem vexilla multa Equeſtria appenſa cum inſignibus principatuum & Regionum ad Regnum Sueciæ pertinentium circa monumentum depictis ac tota Regis Genealogia. In ejuſdem templi ſacello alio oculis ſe ſubjicit monumentum uxoris primæ Regis *Iohannis*, quæ *Sigiſmundi* III. Poloniæ Regis mater fuit. Elegans monumentum ex albo marmore totam ad vivum repræſentat: Supra monumentum argentea corona deaurata conſpicitur. In alio Sacello quieſcit Comes *Steno Leevvenkoepf* militiæ dux gladio confoſſus Holmiæ in cœmiterio à ſatellite, cum *Carolum* Ducem comitatus *Ericum* regem templo egreſſum capere vellet. In ſiniſtro latere monumenta haud magni momenti, & panno tantum nigro velata procerum quinque Erici Regis juſſu interemptorum corpora tegunt. Porro in hoc templo multi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliiquè

ma-

magni nominis viri monumentis ſuis reconditi jacent. *S. Brigittæ* item Pater, magni nominis & generis vir. Supra civitatem, in colle eminet pulcherrima arx & munitio ędificari cœpta à Rege *Erico*, & à Regibus *Ioanne & Carolo* continuata. Italorum more elegantiſſimam, & magnificentiſſimam ſtructuram adornari curaverunt, eò quod proſpectu admodum amœno circumjacentem regionem cum ipſa urbe oculis ſubjiciat. Templum, aulas, cœnacula & conclavia inſigni artificio adornata continet. Urbem alluit amœnus fluvius, ſub eâ paludem efficiens, cujus aquas iterum collectas per alveum anfractibus frequentem inter ſcopulos & montes Holmiam dimittit, ac inde in mare egreditur. Hactenus *Itinerarium* illud. De Templo illo cathedrali olim auro refulgente plura quære apud *Olaum M. lib. 3. c. 6. Alb. Crantzium in præfat. lib. 1. Sueciæ, & Olaum VVorm lib. 1. Dan.*

Monum. cap. 3. *Chytr. lib.* 11. *& alios.* *Gustavum* Regem, ajunt, Anno 1527. Religionem, ut alibi, itá etjam hic mutasse, quamvis plures se opponentes ementitum quemdam *Nicolaum Stur*, defuncti Gubernatoris *Stenonis* filium falsò dictitatum Regno obtrudere conati fuerint, postea tamen captum, & capitis supplicio mendacium Rostochii luentem. Divinus cultus cum ceremoniis solitis, Missa, nempe, & Horis Canonicis, ut à *Luthero* institutus est, & in plærisque Saxoniæ, Daniæ, aliarumque Regionum Septentrionalium locis observatur, hîc & ubique in Suecia in usu est. De viris autem Erici Regis jussu interemptis *Chytræus lib.* 21. *Saxon. fol.* 566. hæc habet. Anno 1567, Rex *Ericus* Regni Senatores Comitem *Suantonem Stur* cum duobus filiis *Nicolao* & *Erico*, *Abrahamum Gustavi*, *Ivarum Ivari*, *Dionysium Burgium* præceptorem suum, & alios falsò apud se de-

la-

latos à *Georgio Petri* vel *Peerson* Secretario suo intimo de conjuratione clandestina, Upsaliæ per Satellites suos interficiendos curavit. Cum verò sequenti anno 68. *Iohannes* & *Carolus Gustavi* II. filii duo Juniores, fratrem Regem *Ericum* XIV. Holmiæ obsedissent, ut *Chytr. lib.* 22. *pag.* 576. commemorat, *Georgius Peerson* ipsis traditus, & per castra duabus rotis vectus, auribusque patibulo affixis mutilatus, in crucem actus est; horam ferè ibi cum adhuc viveret, iterum demissus, brachiis & manibus rota contusis, in quatuor partes securi divisus est. *Nicol. Heldvaderus p.* 2. *Sylv. Chronol. Circuli Baltici pag.* 167. prodit, *Stenonem Sture* Sueciæ Gubernatorem *Suantonem* filium ex *Christina Guldensternia* suscepisse, quem *Ericus* Rex ad Comitis dignitatem evexit, & cum duobus suis filiis anno 67. uti dictum est, interfici jussit.

Ad Academiam Upsaliensem venia-

niamus. Ortus ejus fuit Collegium 4. Professoribus constans & institutum sub Archiepiscopo Jerlero, cum *Ericus Balbus* regno præesset. Ex hoc Collegio nata Academia, & à Papa Sixto IV. iisdem immunitatibus & privilegiis, quibus Bononiensis Academia gaudet, anno 1476. donata. Collapsam anno 1595. instauravit, & ad pristinum splendorem revocavit *Carolus* IX. cujus vestigiis insistens filius *Gustavus Adolphus* eam ad dignitatis gradum tantum evexit, ut se cuivis in Europa Academiæ æquiparare possit. Paternam munificentiam imitata incomparabilis Heroina *Christina*, cum anno 1646. Holmia per Moerhstau & Salneck iter faciens huc veniret, & hinc ad æris fodinas in Jæsfel proficisceretur, insigne auctarium adjunxit. Pater laude nunquam intermoriturâ clarus, ut futuram aliquam tantæ Academiæ ruinam omnino præcaveret, ex hæreditariis suis bo-

nis

nis Anno 1624. sufficientes reditus annuos huic Academiæ perpetua possessione proprios destinavit, literisque Regiis confirmavit, ut iisdem privilegiis & immunitatibus, quibus allodialia sua bona nobiles, possideat.

De Archiepiscopatu hæc habemus. *Carolo Magno* Imperii Germanici habenas moderante Saxones fidem Christianam amplexi sunt. Ipse Cæsar Hamburgensem & Bremensem Archiepiscopatum fundavit. Filius *Ludovicus Pius* Corbey cœnobium in ripâ fluminis Visurgis erexit. Ex his locis diversi Doctores in Gothlandiam, & Sueciam venerunt. Inter alios *Herbertus* primus Lincopiæ Antistes fuit, quem circa annum 816. cum *Biornus* 100. Rex Regno præesset, sequutus est S. Ansgarius primus Gothornm & Suecorum Episcopus. Cum ipsi, tum successoribus Ethnici illi populi multum adhuc negotii facesserunt, ac nonnullis vitam

vitam eripuerunt; donec tandem miraculi cujusdam admiratione rapti animum mutaverint, & Rex *Stonebillis* per legatos ad Episcopum Bremensem missos virorum piorum & doctorum haud parvum numerum evocaverit. Inter alios ab Episcopo missus est *Adalvardus*, cui secundus post *S. Ansgarium* in Episcopatu locus assignatur. Eum sequutus *Stephanus* cum ipso in Sueciam profectus, cum apud Helsingos Euangelii annunciandi munere fungeretur, Martyrum coronâ acquisitâ, in templo apud pagum Noralam versus meridiem in Helsingorum regione sepultus est. Post ipsum aliquot annis Ecclesia Upsalensis Antistite caruit, usque ad Regem *Olaum Skotkonung*, cui *Eldredus* Angliæ Rex per legatos petenti *S. Suffridum* vel *Sigfridum* misit, sicuti suprà in urbis Vexio descriptione diximus. Euangelii prædicatione restaurata 4. Episcopus factus est *Suerinus*, quem sequuti sunt

5. *Ni-*

5. *Nicolaus*: 6. *Sueno*: 7. *Henricus*, qui Finlandos *Erico* Rege 124. Sancto cognominato, & anno 1160. interfecto regnante ad Christum convertit: & tandem 8. *Coopmannus*. Successerunt Archiepiscopi, postquam Regis *Caroli*, qui *S. Ericum* sequutus est, rogatu Papa *Alexander* III. hunc Episcopatum Lundensi Archiepiscopatui in Dania hactenus subjectum in Archiepiscopatum mutasset. 1. igitur Archiepiscopus fuit *Stephanus* anno 1185. mortuus: 2. *Iohannes*: 3. *Petrus*: 4. *Olaus*: 5. *Valerius* 6. *Olaus* II. 7. *Ierlerus*: 8. *Laurentius*: 9. *Falco* Upsaliensis templi conditor, anno 1277. fato functus: 10. *Iacobus Erlandi*: 11. *Nicolaus Allonis*: 12, *Nicolaus Catulli*: 13. *Olaus* III: 14. *Petrus Philippi*: 15. *Hemmingus*: 16. *Petrus* III: 17. *Birgerus Gregorii* Historiæ Ecclesiasticæ scriptor, qui anno 1383. vitâ excessit: 18. *Henricus*: 19. *Iohannes Gerichini*: 20. *Iohannes Haquini* Leprâ laborans, & anno 1431.

1431. ſubitâ morte extinctus: 21. *Olaus Laurentii* : 22. *Nicolaus Ragualdi* Gothicæ hiſtoriæ author, qui in concilio Baſileenſi in publica ſeſſione Patres movit, ut Gothlandiæ Regibus primum inter Reges locum decreverint. Oratio ipſa apud *Iohannem Magnum* occurrit. Ipſe A. 1448. diem obiit. 23. *Iohannes Benedicti de Saleſtat*, vir Nobili genere natus, qui, exiguo tamen commodo ſuo, effecit, ut *Carolus Canuti* Rex regno exutus Daniæ Regi *Chriſtierno* I. locum cedere coactus fuerit. Coætaneus ejus erat *Ericus Olai* SS. Theol. D. & Eccleſiæ Upſalienſis Decanus, qui Suecicam, & Gothicam hiſtoriam uſquè ad *Chriſtierni* Regis tempora deduxit: 24. *Iacobus Vlfonis* anno 1522. in monaſterio Gripsholmienſi denatus, poſtquam octo annis ante Archiepiſcopatu ſe abdicaſſet: 25. *Guſtavus Trolle* Nobilis cum Rege *Chriſtierno* II. Suecia ejectus: 26. *Iohannes Magni* Gothlandus, *Guſtavo*

re-

regnante electus, & rejectus postea, quod Augustanam confessionem reprobavit. Romam profectus, post Gothlandicam, & Upsalensis Archiepiscopatus Ecclesiasticam historiam literis mandatam 11. Kal. Aprilis anno 1544. in mortalium numero esse desiit. De ipso *David Chytraus lib. 11. fol. 294. Iohannes Magni, Archiepiscopus Upsaliensis, à Gustavo objurgatus, quod Ecclesiarum emendationem, superioribus comitiis decretam, non exequeretur, convasatis occulte (Anno* 1527) *rebus omnibus & antiquissimis Regni literis, & annalibus collectis, Dantiscum, ac inde in Italiam Venetias, & tandem Romam commigravit, ubi Gothorum historiam, quæ extat, conscripsit, & in Hospitali S. Spiritus tandem, Patria nunquam iterum visa, decessit.* Quid autem de ejus historia, & Regum Suecicorum ante Christi nativitatem catalogo docti viri, ac præcipue *Philippus Cluverius in antiqua Germania & Ioh. Isac. Pontanus in historia*

ſtoria rer. Danic. judicent, alibi dictum eſt. 27. Ejus loco conſtitutus eſt anno 1531. *Laurentius Petri* etiam Gothlandus primus Archiepiſcopus Lutheranus, qui cum fratre Olao Petri Sacra Biblia ex Germanica Lutheri verſione in Suecicam linguam tranſtulit. Ipſum ſequentes omnes ad hoc uſque tempus Auguſtanæ Confeſſioni addicti fuerunt. *D. Laurentius Paulinus* III. Kal. Decembr. ſtyli veteris mane hora 4. cum priori die nullum morbum ſenſiſſet, dormitans placide expiravit, & locum dedit Doctori *Linæo* Profeſſori Upſalenſi anno 1647. electo. Quanquam verò hi Archiepiſcopi potentia, divitiis, & pompæ magnificentia minime anteceſſoribus Catholicis reſpondeant, nec quadringentis aut quingentis equitibus ſtipati in publicum prodeant, annuis tamen ſtipendiis admodum opulentis fruuntur, in Regni conſilio, & comitiis ſuffragia ferunt, & primum inter Eccleſi-

aſti-

aſticos omnes locum obtinentes ubiquè ſummo honore afficiuntur. Olim ad Archiepiſcopos Upſalienſes pertinebat Jemptia, vel Jempterland cum Veſterhuſia, ut *libr.* 2. *cap.* 14. *Olaus Magnus* docet, cui Papa etiam titulum Archiepiſcopi Upſalienſis donavit, quamvis Archiepiſcopatus poſſeſſionem nunquam nactus ſit. Situ & operibus munitiſſimam arcem Stegam Upſalienſium Archiepiſcoporum ſedem quondam fuiſſe tradit *Iohannes Meurſius lib.* 3. *Hiſtor. Danicæ.*

WESTERAS, AROSIA.

Primaria Weſtmanniæ civitas ſede Epiſcopali, templo Cathedrali, & arce nobilitata, in quam maxima cupri ac ferri vis à foſſoribus metallicis convehitur. *Frœlichius* argenti fodina divitem aſſerit. Pactum, quo Regnum Sueciæ electivum anno 1544. (aut ſecundum *Heldvaderum* 1543.) in hæreditarium mutatum eſt in hac civitate, ab eadem Aroſienſe denomina-

minatur. *Itinerarium Augustini Liberi Baronis in Moersperg* commemorat, in amœna hujus loci arce Regem *Ericum* captivum, filium natu maximum *Gustavi*, cui Regnum hęreditaria possessione tenendum decretum est, vitam finivisse, & in urbis templo conditum esse monumento, quod ferreis cancellis septum, & pede uno elevatum nigrum velamentum Suecicis insignibus exornatum obducat. In pariete proximo tabellæ aureis literis inscripta legi hæc verba: *Translatum est Regnum meum, & factum est fratris mei, & à Domino constitutum est ei.* Epitaphium autem hoc *Ericum* sibi ipsi fecisse. *Heldvaderus part.* 2. *Sylvæ pag.* 205. Regem *Ericum* Orebroæ in Finlandia anno 1578. captivum obiisse asserit. Quod si verum, inde corpus mortuum huc translatum, oportet. Cæteri de ejus morte & sepultura nihil habent. Accubat autem Episcopalis hæc civitas famosissimæ paludi

ludi Meler, & in templo Cathedrali ostentat magnos lapides Gothicis literis signatos, de quibus pluribus egimus in descriptione urbis Stregnesiæ. Anno 1512. Regni Regius Administrator *Suanto* hîc mortem oppetiit. Regni porrò administrandi curam suscepit *Steno Sture* filius. Anno 1520. arcem urbis Dani occuparunt. Sequente 21. circa meridiem ipsius diei Pentecostes validus *Christierni* II. Daniæ Regis exercitus hic cæsus & fugatus est à *Gustavo Erici* Dalecarlorum ductore, posteà Rege. *Olaus Magnus lib. 7. cap. 16.* *Gustavus* postea urbe capta, arcis à Danis defensæ anno 22. etiam potitus est. *Heldvaderus* urbem à Danis anno 21. incensam esse dicit.

VIBURGUM, WIBURG, WIBORG.

Careliæ Finnonicæ caput, & sedes Episcopalis, vallorum, fossarum, propugnaculorum, & arcis validæ tutela hostiles impetus arcet, quod Russi, seu Moscovitæ eam centies mille

mille militibus aliquoties frustra obsidentes experti sunt. Mercaturam frequentem & opulentam exercens octidui ferè itinere ab Episcopali Finnoniæ oppido Abbo distat. Conditorem habet *Turgillum Kunthsonum*, qui hâc Careliæ parte Regno Sueciæ subjectâ, ut Regionem in obedientia debita contineret, & Russorum invasiones cohiberet, circa annum Christi 1193. Wisburgum erexit. *Olaus Magnus lib.* 11. *cap.* 4. *&* 5. tradit; In hujus maritimæ urbis vicinia speluncam esse subterraneam, ex qua, si animal aliquod vivum in eam conjiciatur, tam horrendus sonitus prodeat, ut homines eum auditu haurientes vel auditum, loquelam, & consistendi facultatem amittant, vel planè moriantur. Hostibus ingruentibus urbis Præfectum mandare, ut unusquisquè aures cera obturans cellas, & cavernas ingrediatur. Ipsum autem probè munitum accedere, ac animæ in speluncæ fauces con-

conjicere. Hoc facto tam horrendum sonum existere, ut hostes circumcirca instar bestiarum mactatarum concidant, & tamdiu insepulti jacentes, quamdiu incolis placeat, ab omnibus spoliari possint. Sequentia porrò verba addit: *Quo casu evenit, ut qui armis & viribus à bellico furore reprimi non poterant, solo terrore mugientis naturæ tabescant, pristinum vitæ robur vel tardè, vel nunquam recuperantes. Hujus autem specus ratio, undecunque constat, à provido semper viro dirigi, ac custodiri debet, etiam infrà plures, &c. circumpositos muros.* Si hæc vera essent, quî fieri potuisset, ut Dani anno 1456. urbem occupaverint, & arcem adjunctam exusserint, ut *Meursius lib.* 1. *Histor. Danicæ* prodit: & præterea lib. 2. etiam narrat, quod Russi obsidione irrita ipsam anno 1495. circumsederint.

Atque hæc Suæcici Regni est descriptio: Regionum, quæ in Ger-

mania ſitæ ad illud pertinent, fit mentio in *Topographia Germaniæ*, & *Itinerario Germanico*. Livonicarum Deſcriptionem peculiaris libellus complectitur, uti in Generali particularibus præmiſſa Deſcriptione, ejuſque fine dictum eſt.

FINIS.

LIVO-

LIVONIÆ
NOVA DESCRIPTIO.

LIVONIA, LIEFLAND, LIFLAND.

A Finlandiâ Regione oppoſitâ Sinu Finnico intermedio ſejungitur: Cæteris ſuis finibus Moſcoviam, Lituaniam, & Balthicum mare tangit. Terminos hos ità definit *Alexander Guagninus*: Livonia Solem orientem ſpectans Ruſſiæ ſeu Moſcoviæ contermina, quà Septentrioni ſe objicit, maris Balthici ſinu Finnico à Suecia, & Finlandia ſegregatur: quà ad Occiduum Solem vergit, Mari Balthico ipſo, quod & Germanicum & Boruſſicum appellari ſolet finitur: Meridiem verſus Samogitiæ & Lithuaniæ confinis, inde aliquantum ad Occaſum declinat, & Boruſſiam attingit. Sed hic author dictus hal-

lucinatur, cum Samogitia Poloniæ portio ad mare inter Livoniam, & Borussiam proficiscens illam prohibeat, quo minus huic contigua esse possit. Milliariis Germanicis nonaginta longitudinem, quinquaginta latitudinem, sinu adjuncto idem metitur. Longitudinem cum mari proficiscentem centum viginti quinque, & latitudinem quadraginta milliaribus alii describunt. *VVerdenhagen* longitudini usque ad Nervam emporium celebre ducenta & viginti milliaria assignat, ubi error forsan à typographo commissus, qui numerum perperam inspiciens hallucinatus est. Tota Regio paludibus & stagnis passim referta, pluribus fluminibus, & rivis humectata perennium aquarum penuria laborat nulla: Nullo item piscium defectu, qui numero incredibili, cum ex finitimo mari, tum ex fluviis, paludibus, & stagnis habitatoribus suppetunt. In Orientali latere Lacus est satis grandis, nomine

mine Peipus, vel Peibas, Pebs, Pelba, Beibas, 72. fluviolos excipiens, cujus dimidia pars Moſcovico, altera Livonico dominatui ſubjicitur. Duplex autem major & minor ferè in media longitudine arctiori riparum coitu fretum anguſtius efficiente disjungitur. Minorem inſularum parvarum frequentia ſcatentem Welika, vel Wielka, & Wop fluvii ſubeunt: Ille ab urbe Moſcovica Pleſcow deſcendens ripam auſtralem; hic ab oppido Livonico Nienhuſen defluens marginem Occidentalem ſecat. Aquas horum fluminum cum ſuis minor in majorem lacum ingerit. Major Embeck fluvium ab urbibus Livonicis, Derpt, & Warbec aliosque ex Livonia, delabentes occiduo, & nonnullos alios ex Moſcovia diſcedentes orientali margine excipit, Palamki inſulam majuſculam cingit, & propè Nieſlot, vel Neuſchlos in Alentakia exitum inveniens longiore alveo Nerva, Narva, vel

Nervico Rivo appellato, & civitates Germanicam ac Russicam Nervam, hanc dextra, illam sinistra ripa, sustinente in sinum Finnicum aquas suas educit. Aqua autem hujus lacus dulcis est; longitudinem quidam viginti milliarium ac latitudinem eandem, alii longitudinem quadraginta, latitudinem ad summum 12. milliarium esse ajunt. Alter lacus Werczerensis, (Werczer) nomine inter priorem, & sinum Livoniæ magnum, illi tamen, quàm huic propior, fluvio Embeck emisso lacum Peipus aquarum suarum participem reddit: Reliquas vero fluvio Felæ committit, qui occidentem versus iter faciens in via Pernavio fluvio associatus cum eo sinum Livoniæ magnum ingreditur. Lubanskensis tertius utroque præcedente minor, ab urbe Luban in Lettia nomen sibi adscilcit, & fluminis Evest operâ in Dwinam fluvium sibi vicinum aquas suas evacuat. Fluviorum Livoniæ princeps est Duna

vel Dzwina, cujus origo ex Moſcovia ducitur. Diverſi fluvioli ex diverſis paludibus emergentes undas in lacum Lobeck convehunt: is lacus Lobeck; aliis Lukoie, Lituaniæ finibus confinis undas ſuas in alveum coactas Lituaniæ tranſmittit, ubi proximè oppidum Wicliſs ejuſdem nominis fluviolo adjunctæ, & ſub eodem alterum Viwiatozycam ſuſcipientes nomen Dunæ vel Dzwinæ nanciſcuntur. Hoc nomine inſignitum flumen, Szomba, & Caſpla fluviolis in alveum ſuum reconditis properat ad urbem Witepsko, munimentum Moſcowitarum incurſionibus ſe opponens, à quo porrò decurrit, ſiniſtro margine Witepskam, Lucioſſam, Dobrziniam, Krſchiwinã & Ulam fluenta abſorbens. Ubi Ula Dunæ ſe jungit, arx Ula ſedet nobilitata prœlio illo, in quo, an. 1564. exercitus Moſcovitarum tricies mille militibis conſtans, quem Sineſcius ducebat, fuſus eſt à Principe

Nicolao Radzivilio, cujus curæ exercitus Polonicus à *Sigismundo Augusto* Rege commissus erat. Ulâ Polozkam festinantis ripam dextram Obola, vel Obolia, & Solna fluvii perrumpunt. Sub urbe Polotzka, dextræ ipsius se immergit Palotta, vel Polotta, & sinistræ Usatzka flumen. Post Drissæ vel Dryssæ fluvio ex Lituania Orienti, à dextra accedenti, & Livoniam ejusque partem Lettiam terminanti jungitur. Druiam arcem & oppidum præterlapsum sub iis Druyam sinistro, & mox Indricam dextro margini immersa flumina aufert. Posterius secundum nonnullos Livonię & Lettiæ terminus est, ut & Semigalliæ, cujus linea usque ad hujus fluvii ostio oppositum marginem ducitur. Inter Dodinam & Creutzburg urbes, secum abripit hinc Medertz suprà Mederitz oppidum, Louwze supra Calcunam ex adverso civitatis Luneburgi, & Dwetam supra Dubenavium oppidum:

dam: *Illinc* Dubenavium ex adverso *oppidi* Dubenavii influentem; & *Evestum* fluvium, cujus ostium alii *infrà* Creutzburgum collocant. Kackenhusæ, quod munimentum est fortissimum in dextra ripa locatum, Kocknam, vel Kockenam, fluvium ex Lettia emanantem suscipit. Per eandem ripam irrumpentes recipit Ugram & Wogam fluvios. Cunctis aquis cumulatum Riga urbe dextræ ripæ insidente humectata, tandem duobus sub ea milliaribus, quicquid aquarum in itinere collectum est, propè Dunemundam arcem, & munimentum validissimum in Livoniæ sinum Magnum effundit. Ostium, in cujus exitu dextro Dunemunda conspicitur, varium est, & admodum mobile, adeò ut verno tempore glacies soluta, & aqua nivium liquatarum incredibili augmento cumulata annua mutatione arenas ejus confundat, ac profunditates mutet, eaque de causa nautis adventantibus, aut ab

ipſa urbe Riga deſcendentibus piſcatorum & aliorum ejuſmodi nautarum opera utendum ſit, qui ex quotidiana inveſtigatione loca illa probè cognita ac perſpecta habent. Eſt vero fluvius hic Duna vel Dwina *Peucero* ῥοῦβον vel Rubo veterum, cui *Claudius Bartholomæus Moriſotus in orbe ſuo maritimo lib. 1. cap. 37. pag. 286. & pag. 260.* ubi nova nomina habet, aſtipulatur. Cæteri alicujus nominis fluvii ſunt Treidera, & Pernavia, quorum in ſinum Livoniæ ſe præcipitantium deſcriptio infra ſequetur, ut & minorum, qui haud infrequentes totam Regionem humectant. Ejus maxima pars æquâ planitie conſtrata, humectationis tantæ beneficio mira fertilitate gaudet, imò tantâ agrorum ubertate luxuriat, ut copioſiſſimum frumentum ferens non incolis tantum ſuis ejuſdem copia ſufficiat, ſed etiam exteros proventus ſui largi participes faciat. Præcipuè verò quàm commodiſſimè id facere

cere poteſt, eò quod duo ejus latera, imò dimidia pars mari contigua negotiationis, & navigationis commodum ingens incolis offerat. Hinc non exigua navium Hollandicarum copia quotannis Rigam & Revaliam petunt, ut frumento, cannabi, lino, pice ſiccâ & liquida, cere, melle, cineribus, coriis, aliiſque id genus mercibus oneratæ domum redeuntes non Livoniæ ſolum incolis, ſed & ſibi lucrum pariant. Frumenti enim, ceræ, mellis, cannabis, lini, pellium præcioſarum in Livonia largitas eſt maxima: Animalium cicurum abundantia item ſumma, & in ſylvis par ferarum, & avium affluentia. Sylvarum enim multitudine ſolum veſtitum ac tectum diverſas arbores producit non ſolum feras, & aves, ſed etiam homines utilitate multiplici cumulantes. Inter eas betula copioſa & frequens admodum, cujus vulneratæ liquorem Menſe Majo ruſtici collectum bibere ſolent. De ejus

viribus calculi ortum prohibentibus meminit *Iohannes Baptista ab Helmont in tractatu de Lithiasi*. Equi, qui in hac regione aluntur, alacritate & generositate mirâ excellere dicuntur. In sylvis occurrunt Apes, Alces, Vulpes, Lyncei, Martes, Zabelli, Hermelini, & Castores. Lepores coloris & pellis mutatione anni tempestates sequuntur, ac hyberno tempore albis pilis vestiti, æstivis mensibus eosdem cinereos habent. Equi, boves, & pingues porci non minus copiosi, quam viles exiguo pretio comparari possunt.

Qui veteres populi olim Regionem hanc inhabitaverint, certò affirmari nequit. Incertitudinis causa est, quod veteres isti populi nomine tenus tantum Romanis noti scriptoribus Latinis mirâ confusione illuserint. Hinc nostri seculi eruditis antiquitate istâ eruendâ multum negotii facessitur, in tantis tenebris conatibus ipsorum frustrà desudantibus.

bus. *Cluverius* Guttones, Gotones, vel Gothos, quos alii in Suæcia sedisse affirmant, in hac & cæteris ad Venedicum sinum sitis regionibus locat, & ex iis se in Germaniam, Galliam, Italiam & reliquas Europæ partes effudisse asserit. Contradicunt ipsi *Iornandes*, & hunc sequuti *Iohannes Isacius Pontanus in Danica Historia*, & *Iohannes Micrælius de antiqua Pomerania*, ut & multi alii, qui Gutas, Gothos, Guthones, Gythones &c. inter se distinguunt: qua de re videnda præfatio Martini Zeilleri præcedenti Suæciæ descriptioni præfixa. De eadem ex Morisoti lib. 1. Orbis maritimi, cap. 36. p. 258. 259. sequentia subjungimus. *Post Vistulam Sarmatia incipit, intus, quàm ad mare, latior. Populi maritimi ad Venedicum sinum, Githones, Venedesque, qui posteà Borussi, mox Prussi dicti sunt, & Hossii, quos Chronon, Rubon, Turuntus, & Chersinus alluunt. Sequuntur AORSI, aliâs SCYTHÆ degeneres, &* à ser-

à servis orti, tum Agathyrsi, Sali, Careotæ, Carbones, Pagyritæ, Samogitæ, Massovii, Lituani, & Mosci solis nominibus olim cogniti. Sic Sarmatia tot populos complexa, in Scytharum, pæne etiam & Germanorum confinia, & nomen pertransiens, à Septentrionibus Oceano, à Meridie Mysia, & Daciâ, ab occasu Vistula amne, ab Oriente Tanai, Mæotide, & Ponto terminatur. Sed antequam ad Sarmatiam Europæam transeam, quæ duobus amnibus Tanai & Tyrâ concluditur, non omittenda est GOTHIA, omnium Insularum, exundanti gentium variarum examine celebratior. Hæc in Venedico sinu ante Chersini ostia jacet, mater Gepidarum, Rugiorum, Vandalorum, Longobardorum, Herulorum, Turcilingorum, Hunnorum, Vinulorum, Visigothorum, Ostrogothorum, & Gothorum: Infesta & formidata terris nomina. Hæc authoris dicti verba sunt, de quibus pauca di[illegible]mus: Populos ad Venedicum Sinum Chronone, Rubone, Turunto, & Chersino allui indi-

indicat. Chronon est ipsi Czise, &, ut ego conjicio, Niemen fluvius, qui aliis etiam Memel, in Curonium lacum se conjicit. Rubonem interpretatur Dunam vel Dwinam flumen ex Livonia in magnum Livoniæ sinum egrediens. Turunto, & Chersino nova nomina non assignat. Per Venedicum ergo sinum cum *Abrahamo Ortelio* illam maris Balthici partem intelligit, quæ inter Borussiam, Livoniam, ac Suæciam interjecta est. Quanquam & *Ortelius* sibi ipsi non constat. Nam in *Europæ typo Geographico* Balthicum mare in tres distribuit partes: Codanus sinus ipsi tractus est iste, qui inter Jutiam Septentrionalem, Suæciam ac Hallandiam intercedit, & Septentrionalibus Fioniæ & Zelandiæ Insularum marginibus terminatur. Partem illam, quæ inter Suæciam & Megapolitanum Ducatum ac Pomeraniam interposita est, Suævicum mare, reliquam Venedicum sinum nuncupat. *In Germaniæ*

maniæ typo Geographico, ut & Thesauro Geographico sinum illum, in quem Vistula sub Dantisco elabitur, Venedicum, & Clylipenum appellat. In Thesauro, *Clylipenus sinus*, ait *Plin. qui Venedicus Ptolomæo, maris Germanici, quod Germani recens mare appellant, inquit Marius. Hoc recens mare video factum ex Frischaff, quod sonat, per recens, vel potius subfrigidus portus. Italus porto Fresco rectè interpretaretur; Frischaff vocatur incolis sinus, quem Vistula fluvius efficit. Fischhausen, id est, piscium domicilium vocari tradit Mariangelus Accursius. Sed condonanda sunt hujusmodi Italis, & peregrinis, qui ipsi linguæ nostræ ignari, ex relatu aliorum fortasse minus intelligentium, pejus transferunt. Ego hunc Clylipenum sinum hodie Pantzker VVyck appellari puto.* Videatur *Cluverius in Germ. antiq. lib.* 3. *pa.* 651. Chronum, χρόνον *Ptolomæo* Sarmatiæ Europææ fluvium *Pircheimerus, Decius, & Cromerus* Lithuaniæ fluvium, Memel Germanis, Niemen

Slavis

Slavis dictum interpretantur. *Erasmus Stella, Rithaymerus, Fidlerus, & Chyonarinus* Pregelã flumen Regiomontem in tres partes ſecans, & ſub ea urbe in ſinum Dantiſcanum effluens eodem Chrono intelligi volunt. *Ortelius in Theſ. Geog. in voce Chronus. idem in voce Rubo,* Dunam, vel Dwinam Ptolomæi Rubonæ deſignari credit. *Et in voce Turuntus Becanum* authorem eſſe dicit, hodiernam Dwinam cum *Ptolomæi* Turunto convenire, ſed *Herberſteinium* docere, quod Rubo *Ptolomæi*, & Duna vel Dwina Livonię non multum diſcrepent. Alii Turuntum fluvium cum Wielka Moſcoviæ flumine per lacum Peipus vel Peibas, & alveum ex eo egredientem ſub Nerva urbe in Finnicum ſinum exeunte eundem eſſe ſtatuunt Cherſinus, Cheſſinus, Χησίνος *Ptolomæi* eſt apud *Ortelium*, qui præcedentem fluvium eo ſignificari arbitratur. De populis ex *Ortelio* ſequentia adjicimus. Githones, Gy-

Gythones γυθῶνες *Ortelio*, Sarmatiæ Europæę gens apud *Ptolomæum*, quos *Peucerus* cum *Taciti* Nuithonibus unam gentem esse putat, *Rhenanus* autem in Helvetia locat. Vandalorum, Venedorum, Fennorum & Sclavorum meminit *Melanthon in Tacitum*. Gentis unius variæ sunt appellationes. Vandali sunt apud *Eutropium*, Bandili βάνδιλοι apud *Zosimum*, & *Suidam*, Bandali apud *Mamertinum in Panegyrico*. *Crantzius* Vandalorum nomine Bohemos, Polonos, Russos & Dalmatas indicari arbitratur, ut & Vandaliæ nomine omnes istorum populorum Regiones & Sedes appellari putat. Germanis sunt Wenden & Winden. Sententiæ huic refragatur *P. Nivemontius in Misniæ Commentario*. Vide *Davidem Chytræum in Histor. Saxon.* Venedi, Germaniæ sunt populi *Plinio & Tacito*. οὐενέδαι *Ptolomæo*. Effluï apud *Tacitum* Germaniæ Septentrionalis populi, Livones *VVillichio*. Lemorios *Taciti* in

ti in Livonia *Curæus* in Ducatu Megapolitano *Ortelius* habitasse opinatur. Euphraste, sive Inflaste Regio Sarmatiæ versus Oceanum; Lyflandiam sive Livoniam interpretatur *Leunclavius*, & Eiflante legendum esse docet. Carbonibus, Pagyritis, Careotis, Hossiis vel Osiis aut Osis, Ptolomæi in Livonia sedes antiquæ assignantur. Hæc ex Ortelio. De Gothia Insula in Venedico sinu ante Chersinum amnem quid dicendum, aut statuendum sit, alii judicent. Gothlandiam Insulam, quæ antiqui nominis vestigia ostendit, tot populos in Germaniam & reliquas Regiones effudisse verisimile alicui fieri posse vix videtur. Nisi forsan hîc intelligendæ Regiones illæ omnes, quas Daniæ, Norwegiæ, & Suæciæ Regna complectuntur, & sub Scandiæ, vel Scandinaviæ nomine grandem Insulam esse antiquitas credidit. De Venedis *Cluverius antiq. Germ. lib.* 3. *c.* 43. Peucinorum vel Bastarnorum

ad

ad Viſtulam habitantium vicini erant Venedi à Sarmatis; non Germanis oriundi, & longè alius originis, quam Veneti, qui Venetias & Italiæ partem hodiê incolunt. In Livoniæ & Boruſſię littoribus Balthico mari humectatis ſedem habebant. Eorum poſteri hactenus Moſcoviam, Lituaniam, Poloniam, Ruſſiam parvam, Podoliam, Moldaviam, Wallachiam, Bulgariam, Serviam, Slavoniam, Dalmatiam, Croatiam, Krainiam, Moraviam, Bohemiam, Luſatiam, Caſſubiam &c. poſſident. *Matth. Dreſſerus part.* 5. *Iſagog. Hiſtoricæ* arbitratur, Slavos ſive Vandalos, (Wenden) quod nomen ipſis poſteà obtigit, circa Cæſaris *Conſtantini Magni* tempora, vel non multò poſt primò in Germaniam, ac deinde *Iuſtiniano* ac *Mauritio* Cæſaribus in Illyriam, & tractus Adriatico mari lavatos veniſſe. Quo tempore autem vetus illud Venedorum aut Winidorum, & poſtea Slavorum, Slavacorum, & Slovacorum

nomen

nomen adepti ſint, certò non conſtat. *Iornandes* Winidas appellat. Nomen Wenden in Marchionatu Brandenburgenſi, Pomerania & Luſatia hodierno adhuc tempore ipſis familiare eſt. Inter Hiſtriam, Forum Julium, Slavoniam & Croatiam regio eſt Vinidorum Marchia, Windiſch Marck nuncupata, ex qua multi incolæ in Carinthiam, Stiriam, & vicinas regiones ſe recipientes Vinidi (de Windiſche) appellari ſolent. Ab his Comitatus Zips in Ungaria habitatores *Cluverius* derivat, ibique pagum eſſe ait, Windiſche Prob nominatum; aliumque non procul inde ad Wagam, qui totius populi nomen Slawinam retinet. Saxones, qui veterum Wandalorum ſedem in Germania occupavere; olim Wandalorum nomine innotuiſſe fertur. His addendi ſunt Æſtii originis incerti, Germani tamen, qui veteri ſede ſuâ ad Rhenum relictâ longo ante Cæſarem tempore in Sar-

Sarmàtiam ſe contulerunt, & inter Venedos in Livonia & Boruſſia ſedem locarunt, unde adhuc tertiæ partis in Livonia incolæ antiquum nomen obtinent, & Eſtii, Eſten nominantur. Livoniæ igitur, Boruſſiæ, Samogitiæ vel Samodzkæ regiones, partemque Lituaniæ, & Maſoviæ poſſidentes vicini fuêre Venedis & Slavis Viſtulæ ripam & Caſſubiam incolentibus. Hinc Germanos olim Livoniam & Boruſſiam inhabitaſſe, & non poſterioribus temporibus, ut alii volunt, in eas regiones veniſſe liquet. Et apud hos Æſtios Gleſſa ſive Succinum, quod adhuc hodie non procul à Regiomonte colligitur, olim quæſitum in exteras regiones & Romam ipſam delatum eſt. Dividebantur autem Æſtii vel Hæſti, qui cum Gothis Viſtulæ accolis Legatos in Italiam ad *Theodoricum Regem* miſerunt, in Scyros, & Hirros. Scyrorum poſtea Pruſſorum, vel Pruſſiorum in Boruſſia ſedentium nomine

noto-

notorum pars cum Gothis vicinis in alias regiones abiit. Horum primus meminit *Helmoldus in Slavorum Chronic.* *Adamus Bremensis* Prutzos appellat: Hamburgenses & Lubecenses hodie ipsos Prutzen appellant. Hirri Livoniam tenuêre.

Livonia ergò aut Sarmatiæ Europææ, aut Germaniæ pars olim proculdubio diversis populis habitata sæpius incolas suas mutasse credibile est, cum sæculis istis gentium & populorum migrationes frequentiores sæpius homines in novas sedes transtulerint. De quibus cum nihil certi sit, quod constituatur, & ipsa temporis vetustas perfectam nobis cognitionem inviderit, ne Andabatarum more in tenebris pugnemus, earum inquisitione supersedentibus ad superiora & nostra sæcula propius accedere consultum videtur.

Quantum verò ultimam superiorum sæculorum memoriam Historici repetere possunt, Livoniam docent

cent Livonico Ordini, ſeu den Schwerdbrudern, primam obedientiam præſtitiſſe. Schwerdbruder, id eſt, Fratres ferentes gladios, appellati, quod in eorum palliis gemini gladii figurati, & inſuti eſſent, circà annum ſalutis milleſimum ducenteſimum ſecundum, aut tertium Ordinis ſui Magiſtrum primum habuêre Vinnonem. *Cauſa inſtitutionis, ut à Livonianis Idololatriam arcerent. Sed cum impar tanto honori virtus eſſet, hoſtiumque numerus indies creſceret, Fratres iſti Ferentes gladios, ſumptis Teutonici Ordinis inſignibus, eidem aggregati ſunt anno* 1237. Verba ſunt *Moriſoti in Orbe maritimo lib.* 2. *cap.* 16. *pag.* 435. *Caſparus Hennebergerus in majoris typi Boruſſici explanatione fol.* 364. ejus ordinis ortum ad ducenteſimum quartum ſæculi milleſimi annum refert. De Teutonico autem Ordine, qui cum cæteris provinciis Livoniam quoque poſſedit, & ejus Magiſtris Magnis, quorum Sedes Windæ in Cur-

Curlandia fuit, *Morisotus in Orb. Marit. lib. 2. cap. 16. p. 434. & 435.* sequentia refert. *Horum institutio in certo authore, qui è Germaniâ fuit, refertur ad annum Salut.* 1091. *Alio nomine fratres Xenodochii Beatæ Mariæ Hierosolymitanæ vocantur. Primum Magnum Ordinis Magistrum, ut ipsi vocant, Henricum Valpotium (De Valpot) habuere, sub quo magnum Xenodochium in Acrâ urbe, quæ olim Ptolemais dicebatur, erectum est. Horum munus & officium, pauperibus & languentibus opitulari, pro fide contra infideles pugnare. Syria pulsi anno* 1229. *à Frederico II. Imperatore, Borussiâ, quæ nunc Russia, donati sunt, cujus populi Idolis servientes Saxoniam vastabant. Fratribus Teutonicæ domus Hermandus Saltzaus imperabat, qui, fractis prœlio Prussis, in eodem loco, in quo pugnatum est, ad Vistulam fluvium, de nomine Beatæ Mariæ, Ordinis Teutonici tutricis & Patronæ Mariæburgum fundavit. Additæ huic victoriæ Livoniæ, Lituaniæ,*

Poloniæ & Moscoviæ partes. Tentata deinde maria, occupata Gotlandia, validisque præsidiis firmata, victis prœlio navali Vitalianis, qui eam Insulam à Rege Suaciæ Alberto tenebant Albertus ulturus injuriam de Rostochio & VVismaria infelicibus auspiciis solvens, anno 1399, in ora Prussiæ commisso prœlio fugatus est. Additæ victrici classi captivæ naves, & in Samagethas (Massagethæ antiqui putantur) pugnatum, ingenti repugnantium clade. Sed ut solet in humanis ingeniis felicitas, avaritiam, superbiam & tyrannidem patefecit. Hinc vicinorum in eos odium & bella donec perirent. Nam cum Magnus hujusce Ordinis Magister Albertus, bello à Sigismundo Poloniæ Rege fractus resurgere ad arma non posset, Ordine exterminato, à victore Ducatum Prussiæ in feudum accepit, quem suis hæredibus transmitteret, quibus deficientibus, Poloniæ Prussia accederet nunquam, ab eo Regno separanda. Sic Albertus anno 1525. abdicato Teutonicæ domus Ordine,

ne, primus Prussiæ Dux creatus est. Cæteri verò ejusdem Ordinis in deficientis locum alterum Albertum, VVolfgangum cognomine, suffecerunt, pulsique Prussia, in eas terras Germaniæ abiverunt, in quibus Imperatorum superiorum beneficio, ingentis reditus beneficia, agrosque possidebant, durantque in Germania ad hanc usque diem conservati sub Maximiliano Austriaco Magno Ordinis Magistro. De dicti Ordinis origine, ejusque Magistris Magnis sequentia refert *Casparus Hennebergerus lit.p.fol.* 360. Cum Urbs Acra, olim Ptolomais obsidione à Christianis circumsessa esset, votivæ peregrinationis viatores octo, quinque Bremenses, & tres Lubecenses anno 1190. hujus Ordinis initium facientes ex Lubecensis cujusdam navis velo tentorium paraverunt, & ægros milites Germanos sub eodem curarunt. Urbe anno sequenti occupatâ Xenedochium, & templum Mœnibus civitatis contiguum ædifican-

tes poſtea principum Germanorum interceſſione & opera Ordinis inſtituti confirmationem impetrarunt à Papa *Celeſtino III.* Eidem verò Magiſter primus præfectus eſt *Henricus à VValpot.* Perſpecta novi Ordinis Induſtria incredibili, Rex *Balduinus* ipſi Hieroſolymis, in monte Sion Xenodochium cum templo conceſſit. Anno 1200. dictus Magiſter Acræ mortalium numero exemptus, cumque ſequutus eſt *Otto à Karpen* nobili genere oriundus, & civis Bremenſis filius, qui Acrę ſucceſſorem habuit *Hermannum Bart,* in cujus locum ſuffectus eſt anno 1210., *Hermannus à Saltza* Thuringus, qui quartus Magiſter, & primus Magnus Magiſter, ſibi regionum Magiſtros adjunxit. Hunc Veneti Palatio in urbe ſua magnifico, & *Conradus Maſaviæ Dux* anno 1226. Culmenſi regione in Pruſſia donaverunt. Eam occupandam & colendam curavit, ac Barlettæ in Apuliâ regione Italiæ

anno

anno 1240. è vita decessit. Ei successerunt *Cunradus* Thuringiæ, & Hassiæ Landgravius; *Poppo de Osterna*; *Hanno de Sangerhausen*; anno 1275. *Hartmannus Heldrungensis Comes* Venetiis sepultus; anno 1283. *Burchardus à Schvvanden* in Insula Rhodo vita functus; *Conradus à Feuchtvvangen*, quo Ordinis regiones administrante anno 1291. Accon vel Acra amissa est, & Teutonicus Ordo omnium suorum in Terra Sancta bonorum, ut & eorum, quæ Venetiis, in Neapolitano Regno, & Anglia possederat, propter Imperatorem *Adolphum Nassovium* jacturam fecit. Hinc errant, qui ad quarti Magistri Magni *Hermanni de Saltza* tempus hanc jacturam referunt. Quippe sequentes Magistri Acram vel Acconem subinde iter facientes, ac iterum inde discedentes cum Borussis & aliis vicinis bella gessêre, & Livoniam ac Borussiam Magistro regionis (Landmeister) regendas commise-

miserunt. Nominatus *Cunradus à Fenchtvvangen* in Borussiam iter facturus Pragę in Bohemia diem obiit, locumque cessit *Gotfrido Comiti de Hohenlohe* anno 1297. qui post Ordinis rectionem acceptam in literis Henricus nominatur. Cum quinquaginta Fratribus in Borussiam veniens Marienburgum urbem condidit, ac in Germaniam profectus ibi vitæ finem invenit. Post eum *Seifridus à Feichtvvangen* primus Marienburgi in Borussia sedem suum habuit, & abrogato Regionis Magistro, Magnum Commendatorem proximum à se constituit. Marienburgi mortuus Colmenseeam translatus, & ibi sepultus est. Reliquorum Magnorum Magistrorum usque ad *Albertum* Marchionem Brandenburgensem, qui trigesimus quartus & ultimus eorum fuit, catalogum vide apud *Hennebergerum*, *Munsterum*, *Casparum Schutzium*, *Bernhardum Hertzogen*, & *alios*. Postremus hîc etiam

etiam ordine omnes Magistro Merganthaliæ in Germaniâ à *Bottone Comite de Hohenlohe* ann. 1253. vita functo usque ad *Maximilianum Austriacum* recenset. Qui aliorum de hujus Ordinis ortu, & quo pacto Borussiæ compos factus sit, sciendi cupidus fuerit, consulat *Munsterum lib.5.cap.448. Vitriacum in Histor.Oriental.cap. 66. Bernardum de Luthenburgo de Ordinibus militaribus; Aubertum Miræum de Orig. Ord. Equestrium Cap. 3; Salomonem Neugebauer lib. 3. histor. Polon. pag. 133. Christophorum Lehmannum in Chron. Spirens. lib.5.c. 77. Bernhardum Hertzogen in Chron. Alsat. lib. 10. c. 4. Davidem Chytræum in Saxon.; & Iohannem Limnæum de Iure publico lib. 6. cap. 2. num. 57. seqq.* Horum authorum ultimus indicat etiam, Ordinis hujus Equitibus certum quoque insigne concessum esse, album nimirum pallium nigra cruce insignitum. Ex S. Augustini præscripto viventes matrimoni-

um respuebant, & , sacerdotibus ipsorum exceptis, omnes prolixam barba alebant, ac in precibus fundendis à Johannitis vel Melitensibus aut Malthensibus Equitibus non abludebant. Quisque Ordini huic se dediturus castitati, paupertati, pauperum defensioni, & patrocinio, ac, necessitate ita postulante, bello contra Turcam, sacramento solenni se obstringere tenetur. Sed ut omnia humana semper à bonis initiis in pejores exitus degenerant, & deteriora ruunt; Ita & hic ordo tandem ad pejora delapsus in luxuriâ finem invenit, adeo ut tandem vulgò fabula factus in contemptum maximum abierit, & tandem ex inordinata ipsorum vita Germanicum proverbium à Limnæo ibidem recitatum, natum fuerit:

Kleider aus / Kleider an /
Essen / trincken / vnd schlaffen gahn /
Ist die arbeidt / so die Teutschen Herren han.

Id est, Vestes exuere, & induere, edere,

re, bibere, & cubitum ire, labores ſunt, quibus Teutonici Domini exercentur. Videatur *Meiger. in Nucleo Hiſtor. lib. 1. cap. 15 f. 78. Thraſybulus Lepta de ortu, vita & rebus geſtis Georgii Ludovici à Seinsheim* refert, quænam hujus Ordinis emendatio inſtituta, ſed non ad finem perducta fuerit, & an hi Equites ad Eccleſiaſticos, an verò ad ſæculares pertinuerint. Tandem etiam conſulantur, quæ *Henricus Andreas Cranius de pace Religionis probl.* 12. collegit.

Porrò Livonia olim Archiepiſcopatus fuit Rigæ ſedem ſuam habens, de cujus origine plerorumque ſcriptorum opinio hæc eſt. Anno ſexageſimo ſuprà ſæculum à nato noſtro Servatore undecimum Bremenſes in Livoniam delati incolis ad Chriſtianam Fidem ab Ethniciſmo ſuo deducendis operam dare inceperunt. Anno ejuſdem ſæculi ſeptuageſimo *Menardum* Monachum quendam Segebergenſem, qui Lubecæ com-

moratus cum Bremensibus in Livoniam se contulit, primum Episcopum instituit Papa, ut Religio Christiana majori contentione & studio propagaretur. Post eum Bremâ missus *Bertholdus* urbis Rigæ conditor ab incolis occisus. *Albertus* anno 1196. ex collegio Bremensi eodem ablegatus Episcopus fuit tertius, qui urbem Rigam sæculo duodecimo mœnibus inclusit. Hic Fratres exercituum Christi, seu Fratres gladios ferentes, aut Crucis propugnatores (diversis nominibus insignitos quidam Templarios fuisse arbitrantur) Religionem Christianam protegendi causa in Livoniam accersivit, ea conditione, ut tertiam regionum, quas occupaturi essent, partem sibi propriam servarent. Horum primus Magister *Vinno* fuit. Infelicia prœlia tamen plerumque facientes auxilium imploravêre Marianorum, seu Germanorum Equitum in Borussia, cum quibus sub *Alberto II.*
Episco-

Episcopo quinto, qui Archiepiscopus eodem tempore factus est, ejusmodi pactum est initum, ut Episcopi Borussiæ Rigensi Episcopo, Livonici verò Equites Magno Equitum Borussiæ Magistro subjecti essent. Archiepiscopus autem Rigensis Imperii Romani Archiepiscopis annumeratus inter eos septimus habebatur. Multæ autem interea lites & controversiæ utrinque oriebantur, quæ vires utriusque partis haud leviter prostraverunt. Anno 1513. Livonici Equites sub Magistro suo *VValthero à Plettenberg*, Magno Magistro *Alberto, Marchioni Brandenburgico* pecuniæ summâ haud exiguâ persolutâ pactam obedientiam & subjectionem redemerunt, ipseque Magister Imperii Romani Princeps ab Imperatore renunciatus est. *Albertus Brandenburgicus Sigismundo Augusto* Poloniæ Regi, avunculo suo se submisit anno 1325. & ex Principe Ecclesiastico sæcularis factus est. Submis-

ſione hac Magnorum Magiſtrorum potentia, quæ ad trigeſimum quartum pervenerat, finem ſortita eſt. Livoniæ autem Magiſtri, qui Windæ in Churlandia ſedem ſuam habebant, & Archiepiſcop. multis controverſiis ac litibus ſe mutuo exercentes tandem anno 1557. eas bello finire tentarunt. Silveſter Epiſcoporum decimus octavus Rigâ urbe, in qua anno 1522. Confeſſioni Auguſtanæ introductæ Romano Catholica Religio cedere coacta fuerat, exciderat; Civibus verò libertatem Religionis confirmârat Equitum Livonicorum Magiſter. Urbem Archiepiſcopo ereptam eidem ſententiâ latâ Cameræ Spirenſis Judicium Cæſareum reſtituendum adjudicaverat. Sententię refragabantur cives Magiſtri Livonici partes ſecuti. Anno 1563. Archiepiſcopus *VVilhelmus* Marchio Brandenburgenſis ex hac vita deceſſit. *Chriſtophorus* Coadjutor ejus, Suecorum, qui Polonis infenſi erant,

auxilio fretus, & Archiepiſcopatum ſibi vendicare conatus in captivitatem incidit, & in Polonia quinque vel ſex annorum ſpatio captivus detentus eſt. Interea Archiepiſcopatus Rigenſis Boruſſiæ, Revaliæ, Curlandiæ, Oeſiliæ, Derptæ, & Habſaliæ Epiſcopatibus imperans, etiam expiravit, & anno 1566. in Ducatum mutatus eſt. Ipſe autem *Chriſtophorus* anno 1592. diem obiit. Neugebauer lib. 8. hiſt. Polon. p. 609. ſeqq. Lundorpius l. 4. contrà Sleidanum p. 521. Bello hoc inteſtino utramque partem frangente, interea ſuarum rerum ſatagens Moſcoviæ Princeps Magnus impetu in Livoniam facto modò hanc, modò illam, urbem in poteſtatem ſuam redegit. Sueci quoque commodi ſui haud obliti diverſorum locorum partim ſponte, partim vi in ipſorum poteſtatem concedentium potiti ſunt, ut ex peculiari cujuſque loci deſcriptione ſequutura patebit. *Iohannes Baſilovvitz*

(Ivan

(*Ivan Vasilovvitz*) Moſcoviæ Princeps Magnus anno 1528. natus, anno 1540. Moſcoviæ gubernationi admotus, & anno 1584. denatus, poſtquam aliquoties Livoniam adortus fuiſſet, tandem Livonibus ingenti prœlio victis, *VVilhelmum Furſtenbergerum* Ordinis Livonici Magiſtrum Magnum captivum fecit, ac in Moſcoviam miſit, ubi miſerâ morte periit. Nobiles haſtis affixos horrendâ morte trucidavit, & incredibilem tyrannidem exercuit. De quo bello *Tilmannus Bredenbach in hiſtoria belli Livonici legendus.* In tantas anguſtias redacti Livones ab Imperio Romano, ad quod Livoniam pertinere *Limnæus de jure publico lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 50. probat, & Cæſare Carolo V. anno 1551. opem & auxilium petierunt, quibus anno 1553. permiſſum eſt, ut vicinorum Magnatum tutelæ & patrocinio ſe committerent. Eâ occaſione *VVilhelmus* Archiepiſcopus cum Magiſtro E-

qui-

quitum in Poloniȩ Regis poteſtatem cum potiſſima regionis parte conceſſerunt. Reliquiarum partim Sueci, partim Moſcovitæ domini erant. vide *Chytr. in Saxonia*, *Dreſſerum pag. 4. Iſag. Hiſtoricæ. Magerum de Advocatia armata cap. 5. num. 513. fol. 173. & Lundorpium lib. 2. pag. 331. ſeqq.* Eſtonia enim cum Revalia metropoli, cæteriſque urbibus anno 1561. Suecorum patrocinio ſe tradidit, totaque poſtea in Regis Johannis III. poteſtatem venit. Fuerat autem prius in Suecorum poſſeſſione, poſtea ad Daniæ Regem *Valdamarum III.* anno 1347. devoluta, qui Harriam & Viriam cum tribus civitatibus & arcibus Revalia, Varvia, & Weſemberga Magno Magiſtro Teutonico undeviginti millibus marcarum argenti vendiderat, ut *Andraeas Bureus in Orbis Arctoi deſcriptione ex Balthaſaro Ruſſone Hiſtorico Livonico docet.* Eodem anno 1561. potiſſimæ quoque partis in Livonia Poloniæ Rex parti-

ceps

ceps redditus quadragesimum sextum & ultimum Livoniæ Magistrum, *Gotthardum Ketlerum à Nesselrot*, ex Rhenano tractu oriundum, Curlandiæ, & Semigalliæ Ducem constituit, qui *Alberti* Megapolitani Ducis filia Annâ in uxorem ductâ anno præcedentis sæculi octogesimo sexto è vivis excessit, & Ducatum hæredibus reliquit, ex quibus *VVilhelmus* à *Sigismundo III.* Ducatu illo orbatus, eundem tamen multorum intercessionibus recepit: ita ut Curlandię ac Semigalliæ Possessores dicti Principis posteri hactenus maneant. Quo pacto autem inter Regem Poloniæ, & Magnum Magistrum Livoniæ negotium totum transactum sit, brevi narratione expediemus. Cum tandem Livoniam totam Moscovitarum, Polonorum & Suecorum direptionibus expositam viderent incolæ, tandem certo Domino se tradere decreverunt, & cum Rege Poloniæ anno 1559. agere cœperunt, eo suc-

cessu (ut Livonia in Poloniæ Regis *Sigismundi Augusti* tutelam recepta fuerit, ut Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lituaniæ membrum sub *Gothardo Ketler* ultimi Magistri Ordinis Equitum Teutonicorum. Postea III. Non. Martii anni 62. dictus *Gothardus Ketler* Ordine illo se abdicans, crucemque Ordinis relinquens, in Urbe Riga *Nicolao Radzivilio* Palatino Vilnensi sigillum, literas, & privilegia omnia à Papis & Imperatoribus Ordini donata cum clavibus portarum arcis & urbis tradidit. Hoc facto publica proclamatione dictus Princeps *Radzivilius* Regis nomine ipsum Ducem Curlandiæ & Semigalliç renunciavit, cui, tanquam Domino suo hæreditario, utriusque regionis Nobiles fidelitatis sacramento se obstrinxerunt. Sequenti die idem Dux pronunciatus, & confirmatus est Regis præfectus & Gubernator summus in Livonia, & recepit claves portarum

rum arcis & urbis Nobilibus autem ipsis, ut & civibus Rigæ habitantibus omnia sua jura, & privilegia restituta sunt. Anno 1582. pax tandem inter Poloniæ Regem & Moscoviẹ Principem Magnum conciliata, Regique à Johanne Basilide Livonia restituta est, qui à Suecis postulavit, ut, quæ in Livonia possiderent, sibi tanquam legitimo Domino redderent. Sed illis restitutionem eorum, quorum possessionem legitimam se tenere ajebant, detrectantibus, bellum inter Polonos & Suecos ortum est, in quo hi superiores facti tandem Livoniam ferè totam juris sui fecerunt, & hactenus in sua potestate habent. Quantum ad incolas attinet, vel Germani sunt vel à Germanis oriundi, vel indigenæ nativi: Illi in civitatibus plærisque habitant; Hi in pagis commorantur, & non modo duriter admodum à Dominis suis tractantur, sed etiam servilis admodum sunt ingenii, adeò ut

ut Stephano Poloniæ Regi, qui à durissimâ ipsos servitute liberare cupiebat, responderint, se nihil novi admittere velle, ac posse. Vide *Munsterum lib. 4. cap. 453. Mulleri historiam Septentr. p. 32. I. Bruning de homagiis subjectivis c. 2. n. 54. Besoldum lib. 1. polit. c. 5. p. 204. n. 21. v. 2.* Quinque in Livonia Linguę in usu sunt: 1. Germanica, quam Germani, Nobiles, & cives in urbibus usurpant. 2. Suecica, quæ insularum, & maritimorum locorum habitatoribus usitata est. 3. Estia, quæ incolis Esthioniæ frequens est. 4. Livonica, quæ in desuetudinem ferè abiit, & tantum in paucis quibusdam pagis auditur. 5. Ac tandem Lettia, Chaos fere linguarum, quam ferè ex omnibus linguis mixtam Curetes sive Curones quoque in usum adhibent. Vide orationem Dominicam Livonica Lingua editam apud *Saurium in p. theatro Vrb. in descriptione Rigæ.* Livonum verò mores, ritus, & bella quære

re apud *Guagninum.* Religio in Livonia eſt varia, ac inveniuntur quoque in pagis, qui Ethnico more vitam degentes Soli, Serpentibus, & aliis creaturis divinum honorem exhibent, mortuos hilaritate ſumma ſepeliunt, cadaveri ſecurim, cibum, potum, & pecuniam, ut viaticum habeant, apponunt, & dicunt; In alium mundum proficiſcere, & ibi Germanis dominare, quemadmodum in hoc mundo in te dominati ſunt.

Quomodo autem ſe res hac noſtra ætate cum Livonia & incolis ejus habeat, liquebit ex brevi & ſuccincta *M. Adami Olearii* deſcriptione, quam ex ejus *Itinerario Perſico* hic ſubjungimus. Livonia à Duna fluvio uſque ad Finnicum Sinum in Lettiam & Eshoniam dividitur. Hæc quinque circulos comprehendit, Harriam, Wiriam, Alentackiam, Jerviam, & Wieckiam. Mirâ fertilitate luxuriantes frumenti feraciſſimæ ſunt terræ. Ac quanquam bellis vaſtatæ in ſoli-

ſolitudines & ſylvas mutatæ ſunt, diligens tamen & annua cultura haud exiguam earum partem quotannis arborum ſectione, radicumque, exuſtione in agros commutatam ad fertilitatem priſtinam revocat, adeò ut etiam primò ſtatim anno fructus ſperatos proferant. Rem pecuariam quoque incolarum cura & ſtudium ſingulare prolixo & largo commodo ſibi inſervire jubet. Ferarum minorum venatio & avium ſapore ſuo grato palatum mirè afficientium dives aucupium faciunt, ut longe viliore pretio, quàm in Germania, deliciæ illæ comparari queant, cum lepus ut plurimum duobus groſſis Miſnicis, aut quatuor ſtuferis monetæ Hollandicæ, & Gallus pinguis eodem precio venales eſſe ſoleant. Equeſtrem ordinem in Eſtoniæ principatu fortia & ſtrenua facinora, quibus Ruſſorum invaſiones olim fortiter ſuſtinuerunt, & exceperunt, inſignis famæ gloria nobilitavêre. Hinc Daniæ regibus

gibus Livoniæ Nobiles ſemper grati & accepti fuêre, adeò ut à *VVoldemaro I.* Auratorum Equitum jure & ordine anno 1215. donati fuerint, quod anno 1252. Rex *Ericus VII.* ſcripto complexus eſt. Sequutus eſt Fratrum gladios ferentium (Swerdbruder) ut & Magnorum Magiſtrorum Boruſſiæ Ordo, ex quibus Magiſtris *Conradus à Iungingen* Nobilibus in Harriâ & Wiriâ hæreditatis in filios & filias ad quintam uſque progeniem transferendæ jus conceſſit. Magnus porrò Magiſter *VValtherus à Plettenburg* Imperii Romani Princeps anno 1495. conſtitutus inſignibus ac præclaris privilegiis & immunitatibus totam Eſtonię Nobilitatem ornavit, ac omnibus oneribus liberam eſſe juſſit, unico illo excepto, cui ratione Equeſtris ſui Ordinis ferendo obnoxia erat. Cum tandem in bello cum *Iohanne Baſilide* Magno Duce Moſcoviæ ab omnibus deſerti eſſent nobiles, in Sueciæ Regis

gis *Erici* tutelam, & patrocinium se receperunt, & sub Sueciæ Regibus privilegia & jura sua hactenus sarta & tecta conservarunt. Politicæ Rectionis ac justitiæ administratio in Estoniæ principatu Senatui commissa est, constante ex duodecim Nobilibus in Regione ipsa natis, quorum præses & caput est Regius Estoniæ Gubernator. Huic Senatui, qui plærumque mense Januario singulis annis congregantur, partes litigantes disceptationes suas scriptas exhibent, quibus probè, & accuratè examinatis sententia mox fertur, ne incolæ longis & diuturnis disputationum ambagibus divexati nummis suis emungantur. Regionis onera & difficultates à Nobilitatis præfecto, qui ex Nobilibus electus tertio quovis anno mutatur, Regio Gubernatori & Senatoribus proponi, & exponi solent. Ac quoniam de finibus & terminis agrorum in Russicis & Polonicis bellis valde mutatis frequenter

ter ambigitur, quovis triennio tres Judices, in Harria, Wiria, & Wikia constituuntur, qui cum assessoribus & secretario suo fines illos obeunt, diligenter inspiciunt; & sententiam ferunt, qua qui non acquiescere cupit, adversarium ad virorum illorum duodecim tribunal provocare, & caussam suam novo examini subjicere potest. Hi delectis quibusdam (commissarios vocant) loca, de quibus ambigitur, inspicienda committunt, qui inspectione diligenter peractâ litigantes audiunt, & sententia pronunciata priorum Judicum sententiam aut confirmant, aut emendant. Alii etiam sunt Judices (Hacken-Richters vocant) qui in quatuor hujus Estoniensis principatus circulis aut tractibus pontium, viarum, semitarum, ac aliarum ejusmodi rerum vias ob frequentes lacus & paludes, uliginosasque terras admodum incommodas & molestas concernentium curas gerunt. Nobiles in debitis

one-

oneribus ſuis ferendis ac præſtandis admodum ſolliciti equites ſuos in promptu ſemper habent, & neceſſitate poſtulante, optimo apparatu inſtructum equitatum in campum educere poſſunt, quod ex delectu patet, qui ſingulis annis habetur.

Religionis Chriſtianæ in Barbarica hac regione propagatio *Guſtavum Adolphum* Sueciæ Regem nunquam ſatis laudatum valde ſollicitum habuit. Ejus rei cauſa *M. Henricum Stahlium* virum pium & doctum rebus Eccleſiaſticis in Alentackia & Ingermannia, conſiſtorioque Marvenſi præſidem præfecit, & Superintendentem, ut vocant, conſtituit. Hic Lutheri Catecheſin parvam, Euangelia cum interpretatione, & nonnullos alios libros in linguam ruſticis in Eſtonia familiarem convertit, ac imprimendos curavit, inſigni ſtudio & contentione operam dans, ut Barbaricam & Ethnicam hanc gentem ad pietatis ſtudium, & veræ Re-

ligionis cognitionem informaret. In eodem labore desudavit Henricus Brockman anteà Græcæ Linguæ in Gymnasio Revaliensi Professor, postea concionator in pagis nonnullis Estoniæ, qui multas cantiones Lutheri sacras, & Psalmos eadem Barbarorum horum incolarum lingua donavit, & summâ contentione ipsis Religione Christianâ imbuendis incubuit. Ex Regis autem institutione & mandato Ecclesiastici Episcopi unius curæ commissi annis singulis Synodum celebrare, & de rebus Ecclesiam, & cultum Divinum concernentibus seriò agere, & deliberare coguntur. De propositis quoque materiis certis declamationes, & disputationes habentur, ut quasi examine quodam instituto concionatorum in pagis diligentia, & sedulitas investigetur, & ipsi ad studium magis serium, & librorum tractationem & lectionem frequentiorem incitentur. Prima enim concionatorum

torum in pagis Livoniæ exploratio rudes & imperitos admodum homines detexerat, qui ad interrogata vix quicquam aut nihil reſpondere noverant. Nam antea Nobiles concionatoris muneri præficere ſolebant quoſvis homines, nulla ratione habita, an ejuſmodi oneri ferendo pares futuri eſſent, ſi modo concionem aliquam hinc inde memoriæ mandatam recitare potuiſſent. Quantò autem majori ſedulitate in Livoniæ civitatibus cultui divino, & Religioni Chriſtianæ promovendæ incumbitur, tanto majori pertinacia vulgus ruſticorum in Eſthonia & Lettia ethnicæ ſuæ idololatriæ adhæret, quia in diverſis tractibus, præcipuè autem in collibus quaſdam arbores eligunt, quibus ramos uſque ad verticem ſecando demunt, & corticem faſciis ac vinculis circundant, ut ſub iis Ethnicæ ſuæ impietatis exercitio vacare queant. Inter Revaliam & Narvam duobus milliaribus poſt Kundam

 non

non procul à templo collapſum eſt ſacellum, ad quod in Mariæ viſitationis feſto maximus, etiam ex longinquis Eſtoniæ ac Lettię locis, agreſtium ejuſmodi hominum eſt confluxus; ubi in ſacellum nudis genibus irrependo ſaxum quoddam repentes ambiunt, & ſacra ſua faciunt, ea ſpe freti, ſe cum re ſua pecuaria toto illo anno ſartos & tectos conſervatum, aut ſi forſan futurum eſſet, ut aliquâ ægritudine obruerentur, priſtinam ſibi ſanitatem reſtitutum iri. His ſacris operati Baccho & Veneri operantur, comeſſantes, potantes, ſcortantes, rixantes, donec in mutuas cædes ruant, & ſacra tanta ſanguine ſuo tingant, ac multa alia ſcelera committant. Peſſima hæc conſuetudo nondum planè abolita eſt, quanquam concionatores ubiquè ei abolendæ multum laboris & operæ impenderunt. Illud tamen effecerunt, ut ſenſim evaneſcens tandem deſitura eſſe videatur. In pluribus

ribus autem locis Barbari hi homines nec concionum audiendarum causa templa frequentant, nec ad Sacram etiam Synaxin accedunt, neglectum hunc suum excusantes dura servitute, quam servire coguntur. Aut si forsan templum frequentent, non tamen id serio, sed coacti, aut certis quibusdam rationibus moti faciunt. Hujus rei exempla nonnulla mihi commemoravit præpositus Luggenhuysensis *M. Andreas Besick.* Rusticus morti vicinus, ut Sacræ Sinaxeos particeps fieret, postulavit. Rogatus à Præposito, cur jam id peteret, cujus usum aliquot annis intermisisset; hoc sibi propinquos, & amicos, ut faceret, consuluisse respondit. Ita enim futurum, ut mortuus in cœmiterio sepeliretur, & etiam ceremoniis Ecclesiasticis efferretur. Alius vicinum suum, quod cœnæ Dominicæ interfuerat, horrendis convitiis, & detestandis blasphemiis laceraverat. Homines sunt ad omnis generis ar-

tes Magicas, & incantationes adeò proni, ut non ſolum ipſi eas exerceant, verum etiam parentes liberos ſuos horrenda & deteſtanda earum cognitione imbuant. Miſeros nonnullos cœca ſimplicitas eò deducit, ut infantes ſuos primis ſex ſeptimanis admodum moroſos baptiſmo novo initiare ſoleant, nova nomina ipſis imponentes, & facto huic ſuo hanc excuſationem prætexentes, quod incommodi & inepti nominis impoſitio tantæ moroſitatis in infante cauſa præcipua extitiſſet. De vita æterna ſibi mira ſomnia fingunt. Concionator quidam in pago Rigæ vicino commemorabat, in Lettia fœminam marito ſuo terræ mandato appoſuiſſe filum, & acum, cauſamque interrogantibus reſpondiſſe, ideò ſe hoc facere, ut veſtes ſuas ruptas, ac laceras maritus reſarcire, & aliorum ludibria declinare poſſet. Simplices homines æternam ſalutem temporali poſtponunt, imo hanc illâ lon-

longe pluris faciunt. Jurisjurandi præstandi causa in judicium vocati sequentibus verbis jurare solent. *Nüth seisen minna, N. N. Sihu Kuy sinna Sundya minnust tahat eht minna se kokto perrast tunnistama pean, eht se sinnane mah, kumba pehl minna seisan, jumla nink min nu verteenitut mahon, kumba pehl minna minno co aialellanunt ninck prukinut ollen superrast silis mannut an minna jumla ninck temma pöhade eest. Ninck kuy nüed jummal peh Sundina sehl VVihmbsel pehvval, eht ses in nane Mah jumla ninck minna verteenitut permahcon, kumba minna ninck minno issa igkas prukinut ollemei, kus ma üllekocksо vvannutan, sihs tulko sedda minno tho ninck hinge pehl, minno ninck keick minno lapse de pehl, ninck keick minna önne pehl emmis se üdüya pölvve tagka, &c.* Verborum horum sententia hæc est: Nunc sto Ego N: N. hîc, sicut vos judices à me postulatis, ut jure confitear, quod hæc terra, (vel hic ager) in qua ego sto, Dei

& mea merita terra (ager) ſit, quam à parentibus meis hactenus tenui & uſurpavi. Itaque per Deum & omnes ſanctos juro, ita me Deus judicabit in ultimo judicio, quod hæc terra Dei & mea merita terra ſit, quam ego, & pater meus, & majores poſſedimus, & uſurpavimus. Si falſum juramentum præſto, devoveo meum corpus, & meam animam, me & omnes meos liberos, & omnem meam ſalutem in nonam progeniem &c. In Lettia & Rigæ urbis vicinia ceſpitem capite ferentes, & baculum album manu tenentes jurant, ſi jusjurandum falſum præſtent, ut ſui, & omnia ſua jumenta, pecudes & pecora contabeſcant, & morbis conſumantur. Quemadmodum verò haud libenter Ethnicam ſuam Religionem aut ſuperſtitionem à Majoribus ad ſe propagatam ſibi eripi patiuntur, ità ritus & conſuetudines ſuas veteres licet ſibi damnoſas & noxias inviti admodum delerunt, & novis ac melio-

lioribus commutant. Ab hominibus fide dignis referebatur, ætatis provectæ rusticum, quod perjurium commiserat, pro veteri consuetudine nudum expositum, ut virgis cæderetur, deprecante Domini uxore misericordia motâ, veniam delicti impetrasse, ea conditione, ut mulcta pecuniaria thaleri unius Suecici, aut octo grossorum se redimeret. Sed hominem gratiis pro venia impetrata actis nudum in terram procubuisse & dixisse: Quandoquidem ad tantam senectutem perveni, non est, cur aliquid novi admittam, & novas consuetudines inducam: quin potius pœna usitatâ, quam Majores mei luerunt, contentus ero. Gens est quasi à natura ad servitutem facta, adeò ut durę servitutis jugo à dominis suis coërceantur, & premantur, nec plus possideant, quàm vestitum & amictum suum vilem, quo corpus miserum operiunt. Naturam ac mores eorum patefaciunt rythmi sequentes,

qui in proverbialem uſum abierunt:

Ich bin ein Liefländiſcher Baur/
Mein leben wirdt mir ſaur/
Ich ſteige auff den Birckenbaum/
Darvon hauw ich ſattel vnd zaum/
Ich bindt meine ſchuch mitt baſten/
Vnd fül mein Junckern den Kaſten/
Ich gebe dem Paſtor die pflicht/
Vnd weiß von Godt Vnd ſein Wortt nicht.

Qui gentis indolem ac naturam probè callent, ea opinione imbuti ſunt, nimiam ei libertatem & opulentiam non conducere, nec cum indole ad ſuperbiam & faſtum prona convenire. Manet alta mente repoſtum, ac in memoria ipſa verſatur, Majores olim Dominos regionis fuiſſe, eamque in poſſeſſione ſua habuiſſe, ſed à Germanis ſuperatos, & in ſervitutis anguſtias conjectos fuiſſe. In eos igitur odio ſummo inflammati, ſi ex urbe aliquâ hyberno præſertim tempore eorum alicui forte fortuna obviam venerint, haud libenter ipſi cedent, aut verba amaritudine carentia exhibebunt. Cum Rex *Guſtavus Adolphus*

phus superioribus bellis districtus esset, & militiæ præfectus *Boot* Livoniam invaderet, seditiosa commotione nonnulli Rustici in Dominos suos insurgentes iis aut interficiendis aut hostibus tradendis pro virili incubuerunt, atque satis apertè præ se tulerunt, quid facturi fuissent, si invasio illa ex voto cessisset. Hactenus author, quem citavimus: Ipsam Livoniæ, locorumque in ea momenti alicujus descriptionem aggredimur.

LIVONIÆ divisio quadripartita exhibet districtus vel partes quatuor: ESTHONIAM, ODEPOAM, LETTIAM & CHURLANDIAM: quibus OESILIA, cæteræ insulæ adjiciendæ.

I. ESTHONIA, ESTIA, ESTHLAND, quæ appellatio ab Æstiis incolis veteribus ortum traxisse creditur, in occasu Balthici maris freto inter Oesiliam & Dagho insulas & continentem se immittenti littus su-

um abluendum porrigit: Inde longe tractu secundum Sinum Finnicum in Orientem proficiſcens littus ſeptentrionale Finnico Sinui objicit. In Orientali plagâ fluento Narva, & Lacu Peipus à Moſcovia ſecernitur. Meridionales ejus termini ſunt Pernavia, Fela, & Embeck fluvii cum Werczarenſi lacu, quibus ab Odenpoâ Provincia diſterminatur. Ejus partitio quinque dat diœceſes Alentakiam, Wiriam, Harriam, Wiciam, & Jerviam, quarum quatuor priores maritimæ ſunt, poſterior mediterranea.

1. ALENTAKIA inter Sinum Finnicum & Peipus lacum Narva fluvio ad ortum, Wiriæ diſtrictu ad occaſum terminatur. Loca ejus præcipua ſunt Narva & Nieſlot.

NARVA, Nerva Germanica dicta, ut à Ruſſica trans flumen Narvam ſita diſcernatur. In ejuſdem fluminis ſiniſtrâ ripâ ſedem habet. Ambitu non admodum magno cin-

cta

cta vallis ex lapide constructis, & propugnaculis admodum firmis defenditur, eò quod in finibus posita primum impetum hostilem, si quis ingruit, sustinere cogitur. Ea de causa præsidium numerosum & firmum ipsam tueri solet, sub rectione Gubernatoris Suecici, qui in arce fluminis ripæ insidente commoratur. Anno 1635. his locis, ut & Ingermanniæ præerat Dominus Ericus Guillenstierna. In dextra fluvii ripa conspectui patet arx Ivangorod triplici muro lapideo circundata, & à Moscovitis ædificata, quam Rex *Gustavus Adolphus* occupatam Suecico regno adjunxit. A tergo arcis locus est palis ligneis septus, in quo Russi habitant, Græcæ Religionis exercitio libero, *Gustavi* Regis permissu, utentes. Germano, qui Narvæ civitatis jure gaudent, Augustanæ confessionis studiosi sunt, & Germanica lingua conciones audiunt. Satis magna eorum ibidem copia

eſt, ob negotiationem, & iter, quo Narvâ Novogorodiam in Moſcoviam tendit, & plurimis tam mercatoribus quam aliis frequentatus. Hujus urbis conditor fuiſſe fertur Rex Daniæ *VValdemarus* 11. anno Chriſti 1223. Anno 1558. Moſcovitæ eam in poteſtatem ſuam redegerunt, quam Sueci anno 1581. cum Ruſſica Narva, Jammogorodia, Ceporia, & præfectura Livonica Wittenſtein Moſcovitis eripuerunt. Hi verò recepta Jamma, & Jammogorodia milliaribus 4. Narva diſtante anno 1590. Narvam urbem in tantas difficultates conjecerunt, ut Sueci ejus conſervandæ cauſa Ivanogorodium in altero fluminis margine ſitum ipſis reddiderint. Cuncta tamen hæc loca anno 1599. ad Suecos ea manu armata recuperantes redierunt, & hactenus jure pacis cum Moſcovitis factæ in Suecorum poſſeſſione manent. Narva fluvius urbem præterlabens ferè Albim Germaniæ fluvi-

um

tum latitudine æquat, & aquas pinguis alicujus lixivii colorem referentes volvens celeri admodum cursu in mare properans duobus sub urbe milliaribus à Sinu Finnico absorbetur. Dimidio milliari supra urbem de scopulo satis alto aquas suas vehementer strepentes præcipitat, adeò ut bona quæ ex lacu Peipus Narvam devehendæ sunt, in quodam pago ante istum fluvii præcipitem casum exonerari, & curru Narvam vehi soleant. Narva urbs 60. latitudinis gradui subjecta est: & Pleskovia 40. milliaribus abest, quod iter vento secundo Pleskovia Narvam bidui spacio navi posse confici ajunt. Novogardia, quæ Moscoviæ civitas est, 40. milliaribus distat.

NIESLOT, NEUSCHLOS, id est, nova arx sita est in sinistro margine fluminis Narvæ haud procul ab exitu ejus, quà lacus Peipus in ipsum aquas suas in Sinum Finnicum avehen-

hendas egerit. Eſt autem unicus hic exitus, cujus beneficio lacus hic aquarum ſuarum onere levatur, cum tamen, ut fertur, ſeptuaginta duos fluvios, & fluviolos tàm ex Moſcovia, quàm Livonia recipiat. Proximè oſtium ejus, per quod in Sinum parvum egreditur, vicinum habet exitum fluvii Jammæ ex Ruſſia in eundem exeuntis, ad quem poſita eſt arx Jammagorod, alia nimirum ab Ivangorod, quæ Narvæ Germanicæ oppoſita Narvæ fluminis marginem dextrum occupat. Hujus autem latitudo & profunditas navibus onerariis ad civitatem Nervam aditum permittit, & facit, ut navigationis beneficio negotiationem haud contemnendam exercere queat.

2. VIRIA, WIRIA, VIRLANDIA, Alentakiam orientali, Harriam occidentali latere attingens, ſeptentrionali Finnicum Sinum, & meridionali Jerviam tangit. Loca notæ alicujus habet Weſenbergam, Tolſ-

bur-

burgum, & Borcholmium.

WESENBERGA non procul à mari fluvio Weissenaa, qui sub ea in Sinum Finnicum emergit, accumbens, sinistrum exeuntis marginem occupat, & quinque milliaribus ab urbe Narva, totidemque Dorpato distat. Vicus est apertus, in edito loco firmissimam arcem adjunctam habens, quam Sueci anno 1581. Moscovitis eripuerunt.

TOLSBURGUM tribus à precedente loco milliaribus sejunctum ab eodem versus ortum recedit, & in Sinus Finnici margine positum arx est admodum munita, quam eodem anno Sueci Moscovitis ejectis in potestatem suam redegerunt. Inter hanc & fluvioli Weissenaa ostium aliud occurrit, per quod fluviolo Semskobeeck exitus in Finnicum Sinum patet: hinc duodecim milliarium tractu Finnici Sinus margo usque ad urbem Narvam excurrit.

BORCHOLMIUM in Jerviæ fini-


ni-

nibus à *Davide Froelichio in Viatorio de Polonia* arcibus annumeratur.

3. HARRIA, HARRENLAND districtus Sinui Finnico latere suo Septentrionali appositus ad ortum Viriæ jungitur. Occiduum littus freti, quod inter ipsam, & Daghoe, vel Dageroort insulam se insinuat, fluctibus tunditur. Quà in meridiem inclinat, Wiciæ est contigua, & Revalia metropoli nobilitatur.

REVALIA commodissimo situ Finnicum sinum tangit, & Wesenberga quindecim milliaribus removetur. Parva quidem, sed admodum munita, amœna, & ædificiis pulcherrimis exornata, cum arce editiorem locum occupante, & bellicis operibus insigniter firmatâ. Anno 1374. venditione in Magni Magistri Livoniæ potestatem venit. Anno 1561. à Moscovitis vexata Sueciæ regis tutelæ se commisit. Fuit autem sedes Episcoporum Revalensium, quorum ultimus fuit *Mauritius*

Vran-


REVALIA.
S. Olai Pfare kirch
Kirch zum Heil. Geist
S. Nicolai Pfare kirch
das Schloss

Vrangel. Hanc *M. Olearius in Persico suo Itinerario* ita deſcribit. Revalia Longitudinis gradui 59.& min. 30. ſubjecta Sinus Finnici margine ſuſtinetur. Fundationis authori *VValdemaro* II. qui Daniȩ Regnum tenuit, ortum ſuum acceptum fert, & anno ſalutis 1230. ex fundamentis primis ſurrexit. Ædificiorum ſplendore, ac propugnaculorum, vallorum & murorum lapideorum firmitudine Rigam urbem ſibi præponi vix patitur. Hinc Moſcovitæ, qui duabus vicibus exercitu validiſſimo ipſam circumſederunt, & globis frequentiſſimis ex majorum tormentorum tubis ejectis verberarunt, quod veſtigia hoc noſtro adhuc tempore viſui ſubjecta apud arcem in Tonningſberga monte teſtantur, rejecti utroque obſidio ſuperſedere, & re infecta abire coacti ſunt. Sueciȩ Regi ſacramento fidelitatis, & obſequio adſtricta emporium eſt celeberrimum, & negotiationi, ac navigati-

gationi adeo idoneum, ut ad mercaturam ipſi ſitum Natura deſtinaviſſe videatur. Portum poſſidet naves à quibuſvis periculis & incommodis defendentem, ac ſtationem tutiſſimam ipſis præbentem. Hujus beneficio mox, poſtquam ex primis fundamentis emerſit, commercia cum ipſius origine ſurgentia temporis progreſſu tanto incremento aucta ſunt, ut incolæ opulentiſſimi evadentes civitatem ipſam pulcherrimorum ædificiorum ornatu decoraverint. Teſtantur id ædificia tam publica, quam privata inſigni ſplendore conſpicua, ut ſunt templa, cœnobia, reliqua ædificia omnia, & muri ac mœnia civitatis, quorum elegantia cum opulentia incrementum ſumſit. Paſſim autem quęvis ædificia ex lapidibus coctis extructa, & ita comparata ſunt, ut incendia orta eo facilius extingui poſſint, ne ulterius graſſantia merces in granariis & cellis damno afficiant. Omnibus

bus igitur ad commercia exercenda ritè comparatis civitas hęc pręter cæteras omnes ad Sinum Finnicum sitas præcipua evasit, adeò ut ipsam ad negotiationem Russicam pręceteris cunctis opportunissimam varię & diversę nationes navibus frequentent: Idquè eò magis, quod hęc civitas jam antè quadringentos annos in Anseatici fœderis societatem celeberrimam adscita, & unà cum civitatibus Riga & Dorpato ejusdem membrum facta sit. Præcipuè verò cum Lubeca ejusdem fœderis capite Collegium Novogardiæ in Russia trecentos circiter annos antè bella Livoniam invadentia coluit, illudque tanquam præcipuum membrum cum cœteris rexit, eoque privilegio armata fuit, ut nemini in Livonia sine ipsius consilio & consensu mercaturam exercere licuerit, Ideò adhuc Stapula, seu jure sistendi mercatus fruitur, quod privilegium, singulis vicibus, quibus Succi cum

Mo-

Moſcovitis pacem iniverunt, Tenſinæ nimirum anno 1595. Wieburgi anno 1607. & Stolwowæ anno 1617. ratum habitum & confirmatum eſt. Ac quamvis commerciorum exercitio, & commoditate aliquo orbata fuerit, non ſolum à bellis Ruſſicis Livoniam vaſtantibus, ſed etiam invidia & inſidiis nonnullorum extraneorum, adeò ut in negotiis fœdus Anſeaticum concernentibus de proprii commodi ſtudio & cupiditate ſine ullo fundamento accuſata ſit; Ita tamen ſe geſſit, ut multa & inſignia privilegia, immunitateſque præclaras à diverſis dominis, regibus & principibus acquiſitas hactenus poſſideat, & Lubecenſi jure in judiciis ſuis utatur. Cives Auguſtanam Confeſſionem profitentes proprios habent Superintendentes, ut vocant, & conſiſtoria, ſive conventus ſacros, ac concionatores, qui ferè quotidie in templis concionando, & auditores ad pietatem ſtimulan-

lando munere suo diligentissimè funguntur. In Gymnasio juventuti bonis Literis & humanioribus artibus imbuendæ viri doctrina singulari prædititi aluntur, qui studio & contentione summa adolescentibus erudiendis operam dantes singulis annis studiosos non parum in humaniori doctrina exercitatos Dorpatum, & in alias Academias dimittunt. Erant autem ibi anno 1635. *Mag. Henricus Volpius Rector, & Inspector, Timotheus Polus Poëticæ, & Henricus Arning oratoriæ Professores*, viri docti pariter, & eruditi, qui omnes in juventute docenda nervos contendebant. Civitas Democraticè regitur à tribubus, senioribus, & præcipuis civibus, qui omnes cum concionatoribus in summâ concordiâ viventes non solum civitatem laudabili rectione gubernant, sed etiam salutem ejus pro virili promotam incolumem conservant.

S, BRIGITTA, vel S. Brigittæ cœno-

cœnobium in margine Sinus, ad quem Revalia eſt poſita: ſupra hanc, quà margo dictus orienti Soli ſe opponit, dum à meridie in ſeptentrionem proficiſcitur, ſitum habet, haud procul ab oſtio fluvioli alicujus, quod hîc in Sinum eundem ingreditur.

PADIS, Padès vel Badis arx eſt, quæ Aſſa fluvio alluitur. Hic ſub eadem in Sinum Finnicum aquas ſuas præcipites agit. Supra ejus oſtium Orientem verſus aliud cernitur, quod Donckæ fluvii aquas in eundem Sinum dimittit.

4. VIKIA, VICIA, WICIA, WIKKE Harriæ ſuccedens orientalibus finibus Jerviam, Septentrionalibus Harriam, Occiduis fretum Balthici maris inſulas Daghöe & Oeſiliam à continente ſecludens, meridionalibus Odepoam attingit; & Hapſaliam, Lehaliam, Lodam & alia loca complectitur.

HABSALIA, HABSEL in littoris Me-

Meridionalis Sinum Finnicum complectentis, seu Livoniæ Septentrionalis marginis extremo apice, quà anfractus maris sinuosus in terram se ingerit, situm nacta est. Oppidulum olim Suecorum potestati subditum fuit, ac venditum postea Danis, ut *Michaël Lundorpius in continuati Sleidani Tom.2.* tradit vel *Frederico* II. *Daniæ Regi*, ut *Schadeus in continuato Sleidano* dicit, à præsidiariis militibus Suecis octoginta mille florenis, quod diuturno tempore stipendia ipsis soluta non erant. Alii dicunt locum hunc ad Ducem Magnum Regis Daniæ *Friderici* II. fratrem pertinuisse, quod verisimile esse potest, cum *Duci Magno Rex Fridericus* portionem suam, quam in Livonia habebat, concesserit, ac ejus loco Ducis partem in Holsatia acceperit. Anno 1575. Moscovitæ illud sui juris fecerunt cum arce Vickel, ex iisdem locis iterum ejecti à Suecis anno 1581. recuperantibus multa

loca, quæ ipsis à Moscovitis erepta fuerant. Totus autem hic Viciæ, vel Wikiæ tractus olim ad Ducem illum *Magnum Friderici* II. fratrem pertinuit, ut *Neugebauer lib.* 8. *Histor. Polon. pag.*603. testatur. Habsalia Episcoporum Oesiliensium sedes fuit.

LODE arx est haud procul à priori oppido distans, quæ etiam à Suecis ad Danos, ab his ad Moscovitas, & tandem ad Suecos priores suos Dominos reversa est.

LEAL, LEHAL vel LEAL in eadem regione Wikia, quæ duodecim milliaria longitudine, & decem latitudine suâ includit, oppidulum & arx alterius sinus anfractui, qui Habsaliam civitatem sibi adjunctam habet, confinis, & Insulæ Daghœ se obvertentis ora sedem obtinet. Ejusdem fortunæ casibus afflicta est, quæ præcedentes vicissitudinibus suis exercuit.

WICKEL, FICKAL, WYCK,

Wick arx est, quæ easdem cum prioribus vicissitudines subiit.

WERDER, aliis Wenden oppidulum freto vicinum, quod ex Sinu Livoniæ magno inter Oesiliam & Daghœ insulas ac Continentem in Mare Balthicum expatiatur, qua mare illud in Sinum Finnicum properat.

5. JERVIA mediterraneus Esthoniæ tractus ab ortu Lacum Peipus, vel Peibas, ab Occasu Wiciam, vel Viciam, à Septentrione Wiriam, & Harriam, & à Meridie Lettiam habet. In hâc momenti alicujus loca occurrunt Wittenstein, & Lau.

WITTENSTEIN, WITENSIEIN, WEISSENSTEIN in mediâ ferè Esthoniâ naturę pariter, & artis beneficio arx validissima, utpote quæ ad fluvium Pernaviam collocata undique paludibus accedentibus cingitur, & operibus bellicis ita est firmata, ut omnem vim & impetum hostilem contemnere videatur. Ejus

tamen Poloni præsentis sæculi anno secundo, quem memorabilem reddidit fames illa horrenda, qua rustici Livoniæ exagitati mutuis cædibus se confecerunt, & cadavera cibi loco usurparunt, sicut Meteranus lib. 23. scribit, tandem potiti sunt, Possessoribus non diuturnis anno ejusdem sæculi septimo à Suecis erepta in ipsorum potestate hactenus manet.

OBERPALEN, OBERPALN, UBERPOLEN, OPERPAL oppidulum & arx in nonnullis typis Geographicis ad fluvium Politzamojoki, in flumen Embeck, paulò infra ejus ex lacu Werczerensi exitum, se infundentem collocatum cernitur. Sed in aliis, quæ dictum fluvium non habent, ad Pernaviam fluvium locatum animadvertitur.

LAU, vel LAIS, ut aliæ tabulę Geographicæ habent, oppidulo in fluvioli cujusdam margine, qui in lacum Peibas, vel, Peipus non longè distantem aquas suas deponit, situm con-

conſpicitur.

11. ODEPOÆ terminus Orientalis eſt Peipus vel Peibas lacus, Septentrionalis Embeck, Werczerenſis lacus, Fela, & Pernavia fluvii, eam à Jervia & Wikia ſegregantes, Occiduus Sinus Livoniæ magnus, & Meridionalis Lettia. Nomen habet ab Odenpoa civitate : Loca autem ejus ſunt Derpt, Odenpoa, &c.

DERPTUM, DERBATUM, DORBATUM, DERPT, DERBAT, DOERPT, DORPAT, quod nonnulli ad Eſtoniam referunt, grandis & Epiſcopali ſede olim inſignis civitas, muris cincta, & lapideis ædificiis extructa, milliaribuſque 36. vel 38. ab urbe Rigâ diſtans. Ædificia antiquitatem ſuam ipſa loquuntur, & plurimorum annorum bellis fœdata, ac vicibus diverſis ſeveram Martis viciſſitudinem experta de ſplendore ſuo haud multum gloriari poſſunt. Imperii Ruſſici olim civitas, & Juriogord appellata anno 1230. primam belli

vim ſenſit, & occupata in Magnorum Magiſtrorum poteſtatem tranſiit, ac ſede Epiſcopali decorata eſt. Sed anno 1558. Ruſſiæ Tyrannus Ivan Baſilowitz eam recuperavit. Moſcovitis eadem erepta eſt anno 1582. à Rege Poloniæ, qui eam poſtea perdidit occupatam à Suecis, non diuturnis poſſeſſoribus, cum eam Polonis armorum vi ſuperioribus reddere coacti fuerint. Nam cum *Carolus* Sudermanniæ Dux Sueciæ Regnum in poſſeſſionem ſuam tranſtuliſſet, cum Polonis bellum vehemens geſſit, ac inter alias hujus quoque civitatis potitus eſt. Sed Poloni anno hujus ſæculi pręſentis tertio eam vi ſumma oppugnatam receperunt: cujus tandem Suecicus exercitus, qui *Iacobi de la Gardie* Imperatoris militaris curæ commiſſus erat, Guſtavo Adolpho regnante, anno 1625. compos factus eſt, ita ut jam ad Sueciæ regnum pertineat. Hodierno tempore ſedes eſt judicii

Re-

Regii, & Academiæ institutæ à *Gustavo Adolpho* paulò ante ipsius obitum anno 1632. suasu & consilio *Iohannis Skytte* liberi Baronis in Ouderof Præceptoris sui. Ejus inauguratio facta est dicti anni Idibus Octobris, primusque Rector fuit *Iohannes Skytte* filius, cui adjunctus fuerat *Andreas Virginius* Nobilis Pomeranus, SS. Theologiæ D. qui Prorectoris munus gerebat. Inter Professores etiam erant *Iohannes Belovius Rost. Medicinæ D. postea Magni Ducis Moscoviæ Archiater, Fredericus Menius P. L. O. & Historiarum Professor*, & *M. Petrus Andreas Schomerus Habs. Suec. Mathematicus*, Ob studiosorum infrequentiam in recenti, & primum surgente Academia auditoribus admodum paucis auditoria frequentabantur. Ipsa Urbs porrò arcem habet, & ferè media inter Peibas, & Werczer lacus, utriusque ut & fluvii Embeck beneficio pisces varios & sapidos vili

precio nanciſcitur, ut & ferinam, aliaque alimenta corpori humano neceſſaria, ita ut parvo bene & lautè vivere hîc unicuique liceat.

WARBEK, WERBECK oppidulum infra Dorpatum in ora fluminis Embeck, qui ſub hoc Peipus lacus aquis ſuas immiſcet, poſtquam Dorpato deſcendens ſex milliaria emenſus eſt.

KANNELEKS, KANNELICHT ad oſtium, per quod fluvius Embeck ex Werczerenſi palude egrediens, & Dorpatum ac Warbecum præterfluens, ejuſdem aquas in Peibas paludem effundit.

RANDEN pagus infra præcedens oppidulum in orientali Werczerenſis paludis margine.

CONCTEL alius pagus priori vicinus, à margine tamen lacus dicti remotior. Uterque vero, hic nimirum, & alter Kanden inter Kanneleks & Ringen ita interpoſiti ſunt, ut huic loco poſterior, alteri verò

pri-

prior propior ſit.

RINGEN arx eſt in Werczerenſis paludis ripa, Dorpato ſex, & Halmeto arce quatuor milliaribus diſtans.

SWANICZ, aut SAGNISK, ut alia tabula Geographica habet, pagus infra Ringen.

ODEPOA, ODENPO, ODENPEL oppidulum, à quo hic diſtrictus, aut hæc Livoniæ pars nomen ſuum acquiſivit, haud procul Dorpato, cum quo, & Ringa, vel Ringen triangularem ſitum habere, & ab illo eâdem, qua Ringen, diſtantiâ abeſſe videtur.

ALTETHERN ſub Dorpato pagus cis Embecam fluvium.

RYT pagus ab Odenpoa ad ortum recedens.

KALLILE pagus alius infra præcedentem.

ISMEN pagus inter Reit & fauces anguſtiores, per quas ſuperior paludis Peipus pars aquas ſuas in inferiorē

ejuſdem partem infundit.

RAPIN, KIRUNPOE, Ulzen vel Olſen hinc indè ſiti pagi cernuntur, antequá ad arcem Nienhauſen pervenitur.

NIENHAUSEN, NEUHAUS arx probè munita in finibus Moſcoviæ, ſeu diſtrictus Pleskovienſis in Moſcovia, ad fluvium Wop, qui fluviolorum Schern & Taran aquis ſuſceptis hanc arcem præterlabitur, & in ſuperiorem paludis Peipus partem præceps ruit. Ad Epiſcopatum Dorpatenſem olim pertinuit, & Dorpato milliarium octodecim diſtantiâ ſemovetur.

ROGESINSKI pagus ad paludem quandam parvam, quæ brevi alveo in Pudder fluvium effunditur.

MARIENBURG arx in palude proximâ eidem fluvio per breviorem alveum aquas ſuas tradentem. Hinc ad Boream converſo occurrit Weidava fluvius in Treideram fluentum ſe exonerans.

ADZEL oppidulum in ripa Trei-

deræ fluminis ſuprà hujus, & Weidavæ conjunctionem.

WALCK, vel WASK, ut in alio typo geographico nominatur, oppidulum invenitur, converſum ab oppidulo Adzel ad Septentrionem.

ERMS, ERMES arx vel caſtellum *Domini de la Barre*, ab urbe Wolmar 6. & arce Halmet quatuor milliariorum intervallo diſjunctum.

HALMET, HELMET arx à præcedenti quatuor, & Ringa, vel Ringen arce totidem milliarium ſpatio ſegregata.

TARWEST oppidulum haud procul ab occiduo lacus Werczerenſis latere.

TARNEST, vel TAUR aliis, fuit locus admodum munitus, quem Moſcovitæ occuparunt. Sed Lituani & Poloni ſub duce ſuo *Nicolao Radzivilio* Palatino Vilnenſi cuniculos actos pulvere pyrio compleverunt, & igne ſubmiſſo in aërem miſerunt, ita ut miſerè vaſtatus hactenus ad pri-

ſtinam ſuam firmitudinem nunquam redire potuerit.

FELINUM, VELINUM, FELLIN oppidum cum arce inter quod & Pernaviam quindecim milliarium diſtantia intereſt. Trans Felam fluvium ex Werczerenſi lacu erumpentem ſitum nonnullis ad Eſthoniam referendum eſſe videtur. Moſcovitæ anno 1560. hunc locum vi expugnatum flammis in cineres verterunt, ac perfidorum militum proditione arcis validiſſimæ potiti *Wilhelmum Furſtenbergium Magnum Ordinis Livonici Magiſtrum* captivum in Moſcoviam miſerunt, ubi etiam fato conceſſit. Sueci poſtea eodem Moſcovitas orbarunt, eodem iterum privati anno 1602. à Polonis, quibus tandem ereptus ad Suecos priores ſuos Dominos reverſus eſt. Fela fluvius ex Werczerenſi palude prodiens, Felinumque præterlapſus Parnaviæ fluvio ab arce Wittenſtein, vel Weiſſenſtein deſcendenti ſe adjun-

jungit, & cum ipso supra Parnaviam in Sinum Magnum Livoniæ illabitur.

PARNAVIA, PERNOW, PARNOW civitas à fluento Pernavia, Parnavia, vel Parnow nomen trahens Hanseatici fœderis membrum est, situmque obtinet in sinistro latere ostii, per quod in Sinum Livonicum Parnaviæ fluvio introitus datur. Exiguo ambitu circundata frumenti negotiatione potissimum lucrum sibi comparat. *Ericus Sueciæ Rex* superioris sæculi anno sexagesimo secundo hujus loci dominium acquisivit: quem cum arce eidem extorsit Poloniæ Rex ejusdem sæculi anno sexagesimo quinto. Decennio post, anno nimirum septuagesimo quinto, Polonis ereptus est à Moscovitis eum tenentibus usque ad annum octogesimum primum, quo Sueci eum receperunt. Reversum postea ad Polonos, tandem Sueci anno decimo septimo præsentis sæculi recu-

cuperatum hactenus in poteſtate ſua habent.

ULEN, TILS, SARA pagi ſunt inter Parnaviam & Orajoki fluenta ſiti, quorum hoc poſterius à Livoniæ Sinu quoque excipitur.

KARKUS, vel KARKIS arx non procul ab arce Helmet conſpicitur.

RUIEN, aliis NUEGE arx quoque eſt inter Karkus & Helmet.

SALES, SALIS, vel LEMSAEL, decem aut undecim milliaribus Rigâ urbe demotum oppidulum ſiniſtro ſuſtinetur margine exitus ejuſdem nominis fluvio exeunti patentis. Fluvium hunc, quà originem ſuam capit, Podron tabulæ quædam Geographicæ vocant, eumque deducunt ad Podrow lacum, quem aquarum ſuarum dilatatione efficit. Eaſdem in alveum reductas ſub nomine Salis in Sinum Livonicum convehit.

III. LETTIA pars Livoniæ tertia in Oriente Moſcovicis finibus, in Septentrione Odepoâ, in occaſu Livo-

vonico ſinu, & in Meridie Rigâ fluvio finitur. Ejus primaria urbs Riga totius quoque hujus Regionis caput ac metropolis exiſtit, cujus, ut & aliorum in hac provincia locorum deſcriptionem ſequentem damus.

SEPPEKEILE, PIRCKEL, LEMSEL, WAINSEL vel WANSEL, KOLTZEN, SERNIKEN vel CZERNKAW, ROSENBECK, KEMON vel CREMON, TREIDEN, MOAIN pagi ſunt, quorum inter Salis, & Treideram fluvios nonnulli in his alii in aliis tabulis Geographicis reperiuntur. An autem omnes pagi ſint, & inter eos arces quædam, aut nobilium ſedes occurrant, nobis non conſtat.

SEVOLD, aliis SEGEWALD oppidulum cis Treideram fluvium, cui pagus Treiden trans idem flumen ex adverſo oppoſitus eſt.

ROP oppidulum in fluvioli ripa, quod à Septentrione defluens inter Segewald & Wenden in Treideram ſe recipit.

HOCHROSEN oppidulum dicto fluviolo supra Rop accumbens, in quadam tabula Geographica pagus est.

BURTNICK oppidulum in margine paludis, quam tabula quædam Geographica Podrow appellat. Eadem hunc locum pagi nota designatum à palude dicto aliquantum removet.

WENDEN oppidum cum arce in fluminis Treideræ ripâ situm suum habens, inter Segewaldum & Wolmeriam ferè medium est, huic tamen quàm illi propius.

WOLMARIA, WOLMAR, WOLMER oppidum eidem T rideræ flumini accumbens suprà Wenden, octodecim milliaribus ab urbe Riga & 6. ab arce Ermes distare dicitur. Bellorum superiorum series continua, Russicorum præsertim, & Polonorum hanc urbem adeò vastârunt, & fœdarunt, ut ad antiquum splendorem hactenus reverti nequiverit.

Parietinis, & muris collapsis incolæ ligneas ædes imposuerunt, in quibus habitant.

NEUMUL, aliis NIMELEN, RODEPEIS aliis RODEPIS, LEMBURG vel LENBURG, SONCZEL aliis SOUZEL, SCHUIEN aliis SEVIEN, JURGENBURG, JURGENBURG vel JURGENSPURG, NITAU, ARIS aliis ALES, TRIKATTEN, SERBEN: Omnes hi pagi inter Treideram & Jegelam fluvios in conspectum prodeunt. Jegela, Jegel fluvius sub urbe Riga in Dwinæ ostium immersus cum eadem in Sinum Livonicum egreditur.

RONEBURG, aliis KUNEBURG oppidulum fluviolo appositum est, qui in Treideram flumen descendit.

SCHMILTEN aliis SMIDTEN inter Kuneburgum, & Treideram oppidulum adjacet alii fluviolo, quod supra Wolmeriam in fluvium Treideram se ingerit.

RAMK pagus ad paludem Ramkessee, ex qua Treidera fluvius emer-

emergens ad orientem cursu suo defertur; post ad septentrionem se incurvans Weidavam fluviolum receptum ex oriente in occidentem trahit, ac in Sinum Livonicum secum abripit.

TIRSEN pagus, ubi Treidera ad Septentrionem se incurvat.

MARIENBURG oppidulum, aut arx in palude, quæ per alveum in Pudder fluvium aquas suas emittit : in alia delineatione geographica palus illa nullum exitum habet. Est autem haud longe à Moscovicis finibus sita.

BABKOSKI pagus inter dicti alvei, & fluminis Pudder confluxum.

SCHWANEBURG oppidulum, aut arx ad fluvium Pirda, quem locum alia tabula in palude exitum non habente collocat.

LELLIZ pagus in dextro margine Pudder fluvii.

SESWEGEN pagus aut arx ad fluviolum in Evestum flumen delabentem, qui locus etiam in alia tabu-

bula in palude nuſquam aquas emittente cernitur.

LUBAN, LAWON oppidulum ad fluvium Eveſtum non procul ab ejus exitu ex palude ſeu lacu Lubanskenſi, cui nomen impoſuit. Fluvius autem ille ſub exitu ſuo ex lacu excipit aquas, quas tres fluvii Pirda, Pudder & Roſitta in unum alveum collectas ipſi tranſmittunt.

MARIENHAUS oppidulum aut arx in lacu proximè fines Ducatus Polocenſis ad Regnum Poloniæ pertinentis, qui emiſſas aquas per alveum in Roſittam fluvium dimittit. Eſt autem hic alius à præcedente cum cæteris duobus aquas ſuas aſſociante, ut pote qui in ipſam Lubanſkenſem paludem ſe infert, & mediam fere ejus ripam orientalem perforat.

ROSITTEN pagus eſt, qui præcedentem fluvium Roſittam nominis ſui participem reddidit.

LUDSEN pagus ſuprà originem Indricę fluminis ex lacu parvo erumpen-

pen-

pentis, & ſupra Druiam oppidulum in Dwinam fluentum irrumpentis, quod hîc Livoniam & Polozenſem Ducatum diſterminat.

DUNEBURGUM arx validiſſima in dextra Dunæ vel Dwinæ fluminis ripa, ſuprà Dubenavii fluminis ingreſſum in Dunam. Duplex eſt vetus & nova, quarum hæc vallis & operibus aliis Bellicis firmiſſimè munita inſultantes hoſtes depellere, & defenſione tuta ſuis proſpicere poteſt.

CREITZBURG, CREUSBURG oppidulum ſupra influxum fluminis Evesti in Dunam, vel Dwinam.

LAUDEN, LOUDEN oppidulum ad flumen infra Luban oppidulum.

KATZENO, BERSON, ERLA, PEBALG, SISELGAL pagi ſunt, hinc inde inter fluvios Eveſtum, Ugram & alios diſperſi.

KAKENHUSEN, KOCKEHAUS arx & oppidum operibus militaribus contrà omnem vim hoſtilem munitiſſimum,

mum, ubi olim Archiepiſcopus Rigenſis habitatione ſua commorari ſolitus eſt. Anno 1577. Moſcovitæ hunc locum in poteſtatem ſuam redegerunt. Poſtea ipſum Moſcovitis ereptum modo Sueci, modo Poloni tenuerunt, donec tandem poſt inducias Kal. Jan. anno 1625. finitas Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex in Livoniam cum exercitu ſuo veniens, eodem anno hujus oppidi cum arce potitus fuerit, adeò ut jam Sueciæ Regibus ſubjectum cum maxima Livoniæ parte dicto anno ſubacta ad Sueciæ Regnum pertineat. Incumbit oſtio fluvii Kockna, qui Dunæ aquas ſuas hîc adjungit.

ASCHERAD, ASCERADE arx in dextro Dunæ fluminis margine infrà Kakenhuſen inter Koknæ & Ugræ fluviorum oſtia. Poſterior ſupra Wogam Dunæ aquas ſuas in Sinum Livonicum aſportandas tradit.

ARLE ad caput Wogæ fluminis oppidulum.

KROP-

KROPPEN, ad ejuſdem fluminis ripam ſub priore oppidulum. Inter utrumque palus inter eſt, in qua flumen aquas ſuas dilatat, & poſtea ſub poſteriore in Dunam effundit.

UXKUL, & KERCKHOLM duo pagi in dextro Dunæ fluvii margine.

RIGA tandem hic in ipſo exitu fluminis Dunæ vel Dwinæ conſpectui ſe offert, ad quam nos ſeries, & ordo itineris hujus chartacei, ſive deſcriptionis noſtræ deducit, ut inde in Curlandiam tranſeamus. Pulchra, ædificiiſque pulchris exornata civitas muris, foſſis, & vallis optimè munita, firmior & fortior adhuc reddita eſt à Rege *Guſtavo Adolpho*, ità ut omnem vim hoſtilem contemnere videatur. Populoſa & obſitum negotiationi opportuna oſtii, per quod Duna fluvius in Sinum Livonicum aquarum ſuarum congeriem ejicit, marginem dextrum occupat, & planitie inſidet. Hinc portus commoditate fruens æſtivo tempore, navi-


RIGA.
Duna Fluvius
1. Rahthause.
2. S. Iohannis.
3. S. Petri.
4. S. Iacobi.
5. Der Dom.
6. das Schloss
7. New pfort. Bolw.
8 Santthurn pfort.

vibus ex Germania, Belgio, & Anglia adventantibus negotiationem & mercaturam admodum lucrosam exercet, & merces illas exteris vendit, quæ hyberno tempore ex Polonia & Moscoviam per glaciem trahis advehuntur. Quavis enim hyeme, quando frigus nive & glacie aquas & terras obduxit, ac constrinxit, Moscovitæ ac Poloni cannabis, lini, ceræ, picis, frumenti, pellium pretiosarum, aliarumque mercium copiam grandem avehunt, & merces ex Germania, Belgio, & Anglia advectas secum à vehunt. Ea de causa omnes plateæ tabernis & officinis mercatoriis plenæ, & plærique, incolæ mercatura exercenda occupati sunt. Frumenti, piscium, carnis, ferinæ, & aliorum alimentorum tanta est copia, ut vili pretio benè & lautè vitam sustentare cuivis liceat. Incolæ Germanica, Curlandica, & Lituanica lingua utentes reguntur à Senatu prudenti, & Augustanę

Con-

Confeſſioni addicti ſunt, adeo ut Politica & Eccleſiaſtica adminiſtratio bene conſtituta ſit. Quantum ad originem Urbis attinet, plærique autumant, Bremenſes circa ſalutis noſtræ reparatæ annum 1160. veniſſe, & his populis ad religionem Chriſtianam informandis initium feciſſe. Papam enim anno 1170. *Menardum* Segebergenſem Monachum, qui Lubecæ commorari ſolitus fuerat, ut *Guagninus* tradit, & cum Bremenſibus in Livoniam venerat, mandaviſſe, ut Epiſcopi munere in Livonia fungeretur. Bertholdum Bremâ etiam eò miſſum huic ſucceſſiſſe, & Rigæ condendæ initio facto occiſum eſſe. Albertum ex collegio Bremenſi huic ſucceſſiſſe, & ſeculi duodecimi initio Rigam jam condi inceptam mœnibus circumdediſſe. Atque hoc initium Rigæ Urbis eſſe creditur, ut in principio hujus deſcriptionis monuimus, ubi de Livoniæ Archiepiſcopatus origine, progreſſu & fine

egi-

egimus. Ideo ejus repetitione hîc supersedemus. Distat autem hæc Urbs 30. Dorpato 36. & Vilnâ Lituaniæ metropoli 40. milliaribus, arcemque habet, in qua Regius Livoniæ totius Gubernator hoc tempore commoratur. Cæsar *Maximilianus II.* in Decretis Comitiorum Imperialium anni 1567. suam, & S. Imperii Romani civitatem liberam appellat. Anno 1581. in *Stephani* Poloniæ Regis potestatem est redacta. Hic Jesuitas introduxit, & abrogato veteri calendario novi usum instituit. Hactenus enim veteri utebantur, & Augustanam Confessionem profitebantur, cui, Pontificia religione abolita, anno 1522. se addixerant. Annis autem 85. & 86. seditiones periculosæ ob Jesuitarum introductionem, & Calendarii veteris mutationem exortæ sunt, ita ut cives legatos suos *Iohannem Tassium Senatorem*, & *Doctorem Gothardum VVellingum Syndicum Vrbis* ea de

causa ad Regem miserint, qui post reditum capitis supplicio affecti sunt, quod multa silentio præterierint, quæ ut aperirentur, cives sua multum interesse putabant. Videatur *Thuanus l.*83. *&* 84. Hoc facto iram quidem Regis *Stephani* in se concitarunt, sed post obitum ejus à Rege *Sigismundo III.* successore an. 1593. plurimis privilegiis & immunitatibus donati sunt, quas *Lundorpius lib.*33.*p.*889. recenset. Jesuitarum autem restitutio, quanquam tunc temporis prorogata fuit, ipsos tamen in urbem anno 1590. recipere cogebantur. *Rex Sueciæ Carolus, Gustavi Adolphi pater*, anno 1605. Exercitu suo in Livoniam trajecto, Urbem obsidio cingens occupationem ejus summis viribus molitus est, conatu tamen adeò infelici, ut, exercitu ad internecionem ferè à Polonis cæso, ipse vix evaserit. Conatum feliciori successu repetiit *Filius Gustavus Adolphus* heros ille in-

incomparabilis, qui poſt arctam, & difficilem ſex Septimanarum obſidionem xv. Kal. Octobris deditione ipſam cepit. Quamvis enim defenſione admodum virili ſex ſeptimanas integras impetum hoſtilem ſuſtinuerint, tandem tamen cedere coacti ſunt, præſertim cum Poloni eam obſidione liberare non potuerint. Eâ de causâ malè apud Polonos audientes totius obſidionis acta, hiſtoriamque latino & Germanico ſermone in lucem ediderunt, cum apologiâ ſuâ ad *Chriſtophorum Radzivilium* Polonici exercitus Imperatorem, ac Magni Ducatus Livoniæ Gubernatorem ſummum, quâ extremam neceſſitatem, & deditionis ſuæ cauſas inevitabiles aperuerunt. De hâc urbe videantur, *Chytræus in Saxonia tit. Livoniæ, Dreſſerus in Hiſt. Livoniæ, Guagninus, Balthaſar Ruſſo, & Ioh. Angel. VVerdenhagen part. 3. Rer. Hanſeat. cap. 24. qui Bertium refutat, & cum aliis in hujus Vrbis*

 de-

descriptione non convenit.

DUNAMUNDA, quasi os Dunæ dicta, munimentum fortissimum in ipso exitu fluminis, duobus milliaribus ab urbe Riga, præsidio Suecico firmatum, ubi naves Rigam vela daturæ inspiciuntur, & pro mercibus vectigal pendunt. Et quia alveum fluminis tempestates annuæ, ut & glaciei solutæ frusta cum aqua insigniter aucta verno tempore impetu incredibili ex mediterraneis locis in Sinum Livonicum irruentia quotannis mutant, & arenas hinc inde spargentes, & modò huc modò illuc conjicientes profunditatem incertam reddunt, fieri non potest, ut peregrini nautæ, quamvis quotannis eò veniant, eam perfectè cognitam habeant. Ideo hic periti nautæ, ex eorum genere, quos Piloten appellant, navium adventum expectantes mercede certa conducuntur, ut naves per incognitas profunditates Rigam deducant, ne ad vada subitò,

tò, & improviſo illiſæ pereant. Munimentum hoc Dunæ oſtio impe- rat, illudque tutans impedit, quò minus naves Rigam pervenire, niſi ſoluto vectigali, queant.

IV. Curlandiæ Ducatus, & Semigallia ab Occidente in Orientem protrahuntur, & Meridiem verſus Samogitia & Lituania finiuntur. Curlandiæ margo occiduus, qui in Septentrionem ſe incurvans in apicem deſinit Balthici maris fluctibus verberatur. A dicto apice Curlandia littus ſuum in Meridiem promovet, & Orienti obverſum undis Sinus Livonici feriendum porrigit. Semigalliam à Lettia flumen Duna ſemovet. Utramque deſcriptione noſtra ita peragrabimus, ut in apice Orientali Semigalliæ incipientes regionem ipſam percurramus, & Curlandia perluſtrata in ipſius littore ultimo ad Upiſſam fluvium conſiſtamus; inde littora Livoniæ lecturi inſulas ad

ipſam pertinentes inſpiciemus.

DODINA oppidulum aut arx in ripa Dunæ ſiniſtra, infrà oſtium fluvii Druiæ in Lituania, atque ita in finibus ſitum.

MEDERITZ, ubi Medertz fluviolus ſiniſtrum Dwinæ marginem perrumpit.

CZIKEL inter Mederitz & Calcunam oppidulum.

CALCUNA oppidulum è regione Duneburgi, quà Lowze fluvius è Lituania egrediens Dwinæ ſuas undas offert.

RURCZUM, & OICZERICZ duo pagi inter Medercz, & Lowze fluvios.

LICHSTEN & ÆGIPTEN duo pagi inter Dwetam & Lowcze amnes.

GARS, BEBER, GARCEWIN, ELLER, SCHEDOS, NARSDEN vel NERSTEN, SAUCH, PILCKAL, KAUFHOF, ZUR STANDEN, PUSTHOF partim vici, partim pagi, partim etjam prædia & domicilia nobilium in-

inter Dwinam, & Lituaniam.

DUBNA, DUBENAW oppidulum ſiniſtro Dwinę margini accubans, è regione Dubenaviæ fluvii, qui ex Lettia per dextram Dwinæ ripam in alveum ejus illabitur.

SOLEBURG, SELBURG arx Semigallię ad Dwinæ ſiniſtram ripam Dubenaviâ ſecundo flumine deſcendenti occurrit.

NERIEN oppidulum haud magno intervallo à Suſſæ fluminis ortu abeſt.

CHRISTOPH ROPEN HOFF, SCHINBERGS HOFF, ZUR SONNEN ad Suſſam fluvium ſuprà Bauſkam oppidum, KEKKO, STILHORSTEN HOFF, SELLE, ZUR SCHETZ prædia & pagi ſunt. Ultimus locus ad Dwinam fluvium è regione arcis & oppidi Kakenhaus conſpicuus eſt; cætera loca hinc inde ſparſa ſe offerunt.

TOURKALEN, GRIENHOFF, WALHOFF, ejuſdem cum locis prioribus conditionis cis Dwinam in ora illa

occurrunt, quæ Ascheradam arcem trans flumen dictum in conspectu habet. Locum postremum celebrem reddidit memorabile illud prælium Suecorum & Polonorum in vicinia ejus 7. Idus Januarii anno 1626. commissum, in quo exercitus Polonorum ad internecionem cæsus à Rege Sueciæ *Gustavo Adolpho* omnium suorum tormentorum bellicorum, ac plerorumque impedimentorum militarium jacturam fecit.

EKO vel EKKO, vel ECZA pagus cum sede aut domo Nobili.

AUNBURG vel ANNBURG, & NEUGAT pagi.

BAUSKO, BAUSK, BAUTSKE Oppidulum in finibus Samogitiæ ad fluvium Mauss vel Mussam ex Samogitia effluentem, quà Sussam fluviolum in Semigallia ortum recipit. Inde cursum suum Mitaviam Curlandiæ Ducum sedem promovet, & hanc præterlapsus, nomine Mussæ

in

in Bulderau nomen mutato, à Livoniæ Sinu absorbetur. Oppidulum dictum anno 1625. à Rege Sueciæ *Gustavo Adolpho* occupatum est. *In Zeileri continuatione Itinerarii Germanici p.* 420.421. est Bautschburg, vel Bausenborch, oppidulum apertum cum domo aliqua munita, quæ impetum aliquem hostilem aliquandiu sustinere potest.

SESSOW, JANISKEN, GROS SCHANDEN, SUDEN GRONHOF, SCHAGARDEN, ZAGORY, SALOMOYRE vel SALOMOYZO, MYEDZOYRE vel MEYDZO, MOYZO, aut forsan MESCHEMOSCH, ut in quibusdam tabulis, ZUMBERG, & WILHELM MEDENSHOFF pagi sunt, quorum nonnulli domos nobilium adjunctas habent, & prædia hinc inde in hoc tractu inter oppida Bauske, Mitaw, & Dobelin dispersa.

DOBELIN vel DOBLEN oppidulum haud prolixo spatio ab ortu Bersebach fluvioli, qui hinc pergens à

Mussa vel Bulderau fluvio aquarum suarum onere levatur.

ACKMENEN pagus supra oppidulum dictum.

MITAVIA, MITAW, hodierna Ducum Curlandiæ sedes, & domicilium in ripa fluminis Mauss vel Mussæ, oppidum, quod à Rege Sueciæ *Gustavo Adolpho* deditione anno 1621. captum, ac posteà Curlandiæ Duci restitutum est. Septem milliaribus ab urbe Bauske, & Riga urbe decem abesse creditur.

Alii eidem distantiæ sex tantum milliaria attribuunt. Oppidum exiguum est; sed arx splendidè à Ducibus ædificata. *Nicol. Heldvaderus cap.5. sylvæ Chronol. Circuli Balth.* dicit, Semigalliæ urbes esse Mitaviam, Selburgum, Bauschenburgum, Doblenam, & Dalemium. *Salom. Henning* Mitaviam, ait, in Semi Gallia, Goldingam, Candam, Windam, Durbenam, Strundam (al. Srundam) Crubin (al. Grubin) Piltenam.

Am-

Ambotam, & Hasenpotum in Curlandia situm habere. Primus Curlandiæ & Semigalliæ Dux fuit *Gothardus Ketler*; cujus in Generali Livoniæ descriptione suprà meminimus. Anno 1587. XVI. Kal. Junii vita functo & VI. Non. Quintil. terræ mandato successit *Fridericus* natu major filius ipsi natus ex *Anna Alberti* Megapoleos ducis filia. Hunc secutus est frater *VVilhelmus*, à Rege Poloniæ *Sigismundo III.* ex Ducatu ejectus. Anno 1621. V. Kal. Octobr. Rex Sueciæ *Gustavus Adolphus* urbem cum arce occupavit: & Duci Churlandiæ anno 1629. restituit. *Iacobus VVilhelmi* dicti filius, cui Electoris Brandenburgici, qui jam rerum potitur, soror *Louisa Charlotta* matrimonio juncta est, hoc tempore Churlandiæ & Semigalliæ possessionem obtinet.

CANDAW, CONDAW oppidulum in margine fluvioli, qui infrà Goldingam in Windaw

flumen immergitur.

RUMEN, SEBEL, TUKUM, CUREN, TINTAM, DAGENHOVEDE, HONLEN, aliis HOULEN, ANGERFN, ERWALEN, BULLEN, CAVEREN, PLENEN, pagos nobilium domus, & prædia inter Windavam & Mussam fluvios tractus versus Septentrionem in apicem desinens sustinet. Tria ultima loca in Sinus Livonici margine occurrunt.

DOMDANGEN, vel DONDANGEN, arx, in qua *Magni* Holsatiæ Ducis uxor ex Russia oriunda quandoque commorari solebat.

PARVUM IRBEN, KLEIN IRBEN pagus est extremum Curlandiæ Promontorium Domernes, quod nomen quidam huic loco tribuunt, occupans.

MAGNUM IRBEN, GROS IRBEN priori pago oppidulum oppositum in littore Balthici maris fluctibus loto.

OENDANGE, & NUBORG duo pagi

pagi, quorum ille in littore, hic à littore remotus est.

ANGERMUNDE oppidulum in littore inter Oedangen & Windaviam civitatem.

WINDA, WINDAW, aut KIES oppidum cum arce tribus turribus exornatâ in dextro latere ostii, per quod Windavæ, Windaw, fluvio in mare Balthicum egredi conceditur. Fuit olim celebre sede Magnorum Magistrorum, ut & conventibus & Comitiis, quæ in eo quotannis celebrabantur. Hodie non magni momenti splendoris antiqui vestigiis sui memoriam tantum conservare videtur.

WENDAM, WENDEN, VENDAM, POLONI KIES nuncupare solent. IV. Nonas Sextilis anni 1577. urbs cum arce Holsatię Duci *Magno* deditione tradita est. Eam *Basilides* Moscoviæ Princeps Magnus mox recepit, & arcem obsidione circundedit. *Magnus* Dux Holsatię, qui e-

jus fratris è medio ſublati filiam uxorem duxerat, ex arce deſcendens, & coràm ipſo in genua ſe proſternens, eorum, quæ commiſerat, veniam, quam petebat, impetravit. Promiſſis enim non ſteterat, & Kakenhuſam, inſcio Moſcovita, occupaverat, aliaque commiſerat. Ductum aliquandiu ſecum Dorpati ad uxorem Karbhuſam dimiſit. Obſeſſi in arce Wendenſi omnem vitę ſpem abjicientes Sacrę cœnę celebratione ad mortem ſe pararunt. (*Salomon Henning* miraculum, quod tunc accidit, narrat *part.*3. *Chron.fol.*65.) Major pars in quodam conclavi conveniens, pulvere pyrio accenſo, imminente à tyranno miſeria ſe liberavit, & breviſſimo fine cruciatus horrendos prævenit. Superſtites horrendis cruciatibus ſublati, exceptis duobus nobilibus, qui miraculosè quidem, ſed ſummo cum periculo evaſerunt. *Laurentius Mullerius* hiſtoriam refert, ut ſequitur. Virgi-

gines ac mulieres violando, ſtuprando, & acinacibus diſſecando horrendam, & ineffabilem tyrannidem à Moſcovitis in obſidione Vendę exercitatam ex arce nonnullæ matronæ & virgines pręcipuę notæ conſpicatę cum cæteris fœminini pluribus, & paucis maſculini ſexus in arce propè triclinium Magnorum Magiſtrorum in conclave forte ſe receperunt, pretioſioribus veſtimentis indutæ Sacrę Cœnę uſu ſe Deo reconciliarunt, & igne in pulverem pyrium conclavi ſubjectum immiſſo ſe omnes vita miſera ſpoliarunt. Facinus hoc vicinis urbibus magnum terrorem incuſſit, & Tyrannum in maximam admirationem rapuit. Illud tamen concionatores pro concione, & Theologi Rigenſes inſectati ſunt, & tanquam impium condemnarunt. Sed mortem tàm horrendam, & turpem anteoculos verſantem ſubire, aut tolerabiliori eam præcipere, utrum melius

ſit,

ſit, alii judicent. Hæc dictus Juris-conſultus, & Ducis Churlandiæ Conſiliarius aulicus *Laurentius Mullerus ad lit. B. 2.* qui etiam dicit; Hanc urbem, Ordine Magiſtrorum Magnorum florente, Livoniȩ metropolin ad fluvium Aa in Lettenia vel Lettia ſitum amœniſſimum habuiſſe. Eodem anno 1577. *Iohannes Burinck, vel Buring* arcem conſcenſam recepit, & multos in eâ Moſcovitas trucidavit. Plus negotii faceſſitum ipſi à prȩſidiariis urbem adeò ſtrenuè defendentibus, ut majori labore tandem ea potitus ſit. In tuendis enim urbibus gens iſta fortior eſt & ſtrenuior, quam in acie, ubi aperto Marte pugnandum. Fortunam eandem ſecuta mox duo caſtra Lemſel & Bortneke. Anni 78. principio Moſcovitas ad obſidionem redeuntes Lituaniæ exercitus abegit. Cæſi iidem altera vice XI. Kal. Nov. ejuſdem anni à Polonis Suecis & Moſcovitis, qui vires conjunxerant.

rant. Sic Moscovitis tergum fortuna vertit, qui irrito conatu sæpius hunc locum tentarunt. Binæ tamen hujus loci occupationes, prior antea, & posterior dicta modo, & effectui data, cum *Stephanus* Poloniæ Rex Dantiscum obsederat, imputabantur proditioni duorum Liberorum Baronum, *Eylhardi Kransen*, & *Iohannis Tauben*, qui cum hostibus colluserant. Rex *Stephanus* postea Archiepiscopatum Rigensem, & Episcopatum Dorpatensem in unum contraxit, & ipsi sedem in hac urbe assignavit, cum urbe Wolmar, Trikaten, Burtnick, & aliis circumjacentibus territoriis, ut conditionem vivendi ex ipsorum reditibus annuis sustineret. Porrò Pręposituram instituit in Urbe Venda sustinendam ex vectigalibus & aliis reditibus. Vendæ igitur non solum Præpositus, atque Episcopus electus fuit. Inter quos primus erat *Iohannes Patricius* arcis Vendensis restaura-

rator, qui insignibus suis duos hos versus inscribendos curavit.

Hæresis, & Moschi postquam devicta potestas,
Livonidum primus Pastor ovile rego.

Anno 1587. ex vita decedenti successit anno 88. *Otto Schencking* ex præcipuis Livoniæ nobilibus unus, qui Religionem mutavit, & Præpositus primus mansit: Vir Latinæ, Polonicæ, Germanicæ & Livonicæ Linguæ admodum peritus.

Quanquam hujus loci descriptionem hîc ponimus, ad Churlandiam tamen non pertinet, sed ad Lettiam, atque diversus est à Windaw arce in littore Churlandico exiguo spacio à Pilten Churlandici Episcopatus olim sede, cum quâ à pluribus Scriptoribus etiam Kies appellata confunditur. Windaw arx hîc mox in principio descripta portum habet. Chartæ Hollandorum marinæ arcem in hoc loco tribus turribus conspi-

ſpicuam eſſe dicunt: an autem pagus an oppidum adjunctum ſit, non meminerunt.

DANSOR pagus in littore Balthici maris infrà civitatem Windaw.

CURONIA pagus ſupra Windaw civitatem.

PILTEN, vel PILTYN oppidulum in dextro margine fluminis Windavæ. Pilten ad Wetam fluvium, ſedes Churlandici Epiſcopatus, conditori *VValdemaro* victorioſo Daniæ Regi, qui eam anno 1219. condidit, originem acceptam fert. De nomine *Iohan. Iſacius Pontanus lib.6.Rer. Danicar.fol.*307. legi poteſt. *Magnus* Holſatiæ Dux, qui hunc Epiſcopatum ab Epiſcopo *Iohanne à Munchhauſen* emit, filiam ſuam, quam ex filia fratris Principis Magni Moſcoviæ ſuſcepit, triginta ſeptimanarum infantem hoc in loco Anno 1581. baptizandam curavit, & 80. invitati, qui è ſacro fonte ſuſceperunt.

HASAW pagus & fluviolus eadem appellatione gaudentes.

AISWANGEN oppidulum in fluviolo, cum priore per commune ostium in mare Balthicum exeunte.

HASENPOT municipium supra precedens inter Durben & Goldingam in ejusdem fluvioli ripa situm.

ETHWALEN, EDWALEN pagus, inter Goldingam, & Alswangen, quinque milliaribus à priore oppidulo Hasenpot distans.

GOLDINGA GOLDINGEN, oppidum in sinistro Windavæ fluvii margine cum duobus præcedentibus oppidulis Alswangen & Hasenpot quasi in triangulo constitutum, quod 11. milliaribus Liba urbe abesse fertur. *Zeilerus in descr. Livon.* Goldingen oppidulum & arx pulchra ad Wetam fluvium in via, quæ Riga Konigsbergam ducit. Olim civitas Hanseatica, & non nunquam sedes Magnorum Magistrorũ, ubi comitia sæpè celebrata sunt.

BEN-

BENDEN, NEUBURG, duo pagi inter Windaw, & Berſebach fluenta.

SEDAW, ALSEDEN, Treſca pagi inter Opatam, & Windavam amnes. Colligit in hoc tractu Windava Virnitzæ, Wartæ & Opatæ aquas adventantes, eaſque ſecum omnes per oſtium ſuum ſub urbe Windaw in mare Balthicum defert.

FRAUENBERG arx in via, quæ Riga Koninxbergam ducit. Riga enim proficiſcentes Mitaviam 6. ad pagum Dublin. 3. Frauembergam 7. Badaram in Polonia 7. ad pagum Watzau 6. & Memelam 6. milliarium iter conficiunt.

SCHRUNDEN oppidulum, ſuprà quod Wirmitza fluviolus Windavæ amni ſe jungit.

DURBEN municipium inter Haſenpot, & Grubyn in ripa fluvioli.

GRUBYN vel GREBYN municipium cum arce ab altero Haſenpot 5. milliaribus ſejunctum. Hic locus cum

cum diœcesi ad eum pertinente anno 1560. Duci Borussiæ, & Ordini Livonicorum Equitum traditus est.

LIBA, TER LIBA pagus cum sede nobilium, ad æstuarium quoddam maris Balthici, cujus introitus naves onerarias non admittit, utpote qui tribus ulnis non profundior talibus navibus aditum non permittit. Irruit in eum Barthaw fluvius, ut & Upissa, quem nonnullę tabulę Geographicæ terminum Curlandię constituunt. Aliæ vero Heligaw vel Heiligaw flumine ejusdem nominis pagum alluente hanc Regionem terminant. Secundum *Gerardi Mercatoris* typum Geographicum ejus finis est Acmen fluvius infra Polangen pagum, & suprà civitatem Memel in mare Balthicum se recipiens.

Hactenus Livoniæ Continentem perlustravimus, jam littus ejusdem legemus, ac insulas perspiciemus, quæ ad hanc Regionem pertinent.

Ab urbe Memel ad Heiligenaviæ fluvii ostium littus se ad Septentrionem ita convertit, ut parum ad Orientem declinet, & tria milliaria metiatur. Eodem tractu ad angulum Sevenbergen milliarium quatuor cursum absolvit : Inde idem iter versus Septentrionem in ortum aliquantum se declinans continuat Libam usque, cui itineri tria aut quatuor milliaria attribuuntur. Porrò anfractu Sinuoso littus proficiscens duodecim, vel tredecim milliaria conficit Windam usque, & aliquanto magis à Septentrione in Orientem se incurvat. Tribus fere milliaribus ab urbe Tyba, occurrit angulus notatus nomine Stickeroort, vel Steenoort, aut Steensoort, ubi nonnulli scopuli sub aquis navibus interitum minantes cavendi. Periit ibi anno 1599. tempore Verno Hornani cujusdam ex Hollandiâ Septentrionali nautę navis, quę scopulis illisa in frusta dissiliit. Mox sequi-

quitur anfractus Sakerwyck, à quo littus diversis sinubus parvis Windam deducitur. Hinc tria milliaria permensum obtuso angulo Luseroort se iterum magis ad orientem deflectit, & ad promontorium Domesnes perveniens longitudinem hanc suam novem aut decem milliaribus Germanicis communibus, quorum quindecim uni gradui respondent, terminat. Promontorium Domesnes cum Meridionali apice, quem Insula Oesilia in mare Balthicum protendit, mare illud Sinum Livonicum ingrediens in fretum angustum coarctat, cujus profunditas media passim orgyarum est septendecim vel novendecim.

SINUS LIVONICUS, vel SINUS LIVONIÆ MAGNUS undas suas in hanc Regionem grandi recessu littus suum incurvantem infundit, & duobus promontoriis clauditur. Dextrum Domesnes, quod ingrediendo præterit, Meridionali insulæ Oesilię api-

apici objectum est. Sinistrum latere Meridionali Septentrionalem Oesiliæ marginem, & apice Occidentali Orientale Dageroort vel Daghœ insulæ littus aspicit. Ejus descriptio hæc est: A promontorio Domesnes Sinus marginem suum parum ad Orientem deflexum in Meridiem per aliquot milliaria inclinat: mox sinu anfractuoso, cui Kouwerwycknomen, in Orientem usque ad Dunæ vel Dwinæ fluvii ostium pergit. Inter Ostium hoc, & Salis fluvii sub oppidulo Salis aut Lemsael exitum decem aut undecim milliarium longitudo interest; hinc ad Parnaviæ fluvii ostium sex, vel septem milliaria restant. Hinc longo tractu ab Oriente in Occidentem deducto littore sinus tandem apice Dageroort & Oesiliam insulas inspectante finitur. In ipso Sinu, & ante eum sequentes sunt Insulæ.

KYN insula humilis & depressa duorum circiter milliarium longi-

tudine, ſed latitudine admodum anguſta, à fluvii ſalis exitu quinque milliaribus magnis, ab inſula Ruynen novem, & ab oſtio Dunæ undecim & à littore oppoſito in Livonia tribus milliaribus ſejunctâ eſt.

MANNO media inſula inter Kyn & Sorgholm, & priore altior longa quidem eſt, ſed admodum anguſta, inter quam & Kyn intervallum cernitur arenoſum & ſcopuloſum, quale etiam inter Manno & Sorgholm occurrit.

SORGHOLM tertia hic inſula prioribus rotundior, & littori propinquior.

RUYNEN inſula præcedentibus aliquâ magnitudine antecedens, & undique ſcopuloſo fundo ſepta nullibi navibus anchorarum uſum concedit, niſi in orientali latere, ubi ſinus quidam parvus ſtationem navibus permittit. In littore conſpicuæ ſunt nonnullæ caſulæ piſcatoriæ cum ſacello. Inſula ipſa à Domeſ-

mesnes promontorio sex, ab ostio *Dunæ* undecim, & ab insula Kyn novem milliarium spatio segregata est. Aquæ inter Ruynen insulam & Domesnes promontorium viginti duarum, & illi, quæ inter Ruynen & Dunæmundam interest, trium vel quatuor & viginti orgyarum profunditas esse fertur.

ABRICK parva insula sub littore Meridionali Oesiliæ insulæ, à quo milliari uno, & quinque à promontorio Domesnes, ac sex milliariis ab insula Kyn remota est.

OESILIA, OESEL Insula ante Livonicum Sinum, inter utrumque ejus promontorium, tres apices, unum in sinum ipsum Orientem versus, alterum in mare Balthicum versus occidentem, tertium verò Curlandiæ littori obversum in Meridiem protendit. Septentrionale latus laxati arcus speciem prę se fert. Daniæ Regibus subjecta fuit, pacis transactione anno 1645. Suecis tra-

dita quibus jam paret. *Salomon Neugebauer lib.* 8. *histor. Polon. pag.* 602. tradit, quod Oesiliæ, & Curlandiæ vel Curonensis Episcopus *Iohannes Munchhausen* Episcopatus illos Daniæ Regi *Friderico II.* aliquot mille imperialibus vendiderit: Rex vero fratri suo *Magno* Holsatiæ Duci, pro parte, quam in Holsatia possidebat, dederit. Venit autem, ut author ille dicit, Holsatiæ Dux *Magnus* anno 1560. in Oesiliam Insulam, cui ultimus Rivaliæ in Harria Episcopus *Mauritius Vrangel* ejusdem Episcopatus jura quoque cessit. Dux ipse postea Livoniæ Rex creatus à Magno Duce Moscoviæ, Revaliam auxilio Moscovitarum anno 1570. irritâ obsidione, tentavit, utpote quam Sueci defensione admodum virili tutati fuerant. Cum postea ipsum tæduisset ingentis tyrannidis, quam Moscovitarum Princeps, cujus cognatam uxorem duxerat, in Livonia exercuerat, ipso de-

deſerto, in *Stephani* Poloniæ Regis tutelam ſe recepit, ac anno 1583. vitâ defunctus eſt. Rex verò Daniæ *Fridericus II.* frater ejus, qui (teſte *Lundorpio lib.* 25. *pag.* 602.) cum Rege Poloniæ eorum, quæ *Magnus* Dux in Livonia tenuerat, causâ in contentionem venerat, jure ſuo ceſſit acceptis triginta mille Imperialibus, quos *Georgius Fridericus* Marchio Brandenburgenſis, & Ducatus Boruſſiæ Adminiſtrator ipſi ſolvit. Hinc Diœceſis Curonenſis, (quam *Hennenbergerus in Boruſſica tabula fol.* 287. Epiſcopatum Churlandiæ Piltenſem vocat) Principi iſti Brandenburgico clientelari poſſeſſione tenenda à Rege Poloniæ tradita eſt. *Hermannus Hamelmannus in Chronicis Oldenburgicis part.* 3. *c.* 13. *fol.* 344. Dictum Ducem *Magnum*, ait, Dorpati in Livonia Epiſcopum evaſiſſe, & uxorem duxiſſe *Mariam* filiam fratris, quem habuit *Iohannes Baſilides* Moſcoviæ Dux Magnus, ac anno

 1580.

1580. diem obiisse. Sed anno 1583. illud factum fuisse dicit *Schadæus in Sleidano continuato*, ac meminit de simultate ortâ inter Daniæ, & Poloniæ Reges ex possessione Oesiliæ, & Livonicorum districtuum, quos Dux tandem sub Polonorum tutela possedit, ac de Churlandia cum ejus Duce transegit. Hactenus dicti authores. Ipsam insulam & loca ejus porrò lustremus.

ARENSBURG, ARNSBURG castellum sive arx insulæ Oesiliæ, in latere Meridionali, è regione Promontorii Domesnes in Curlandia ad angustum æstuarium ex sinu Livonico in terram se immergens, & fluviolum in se recipiens. ARENSBURGUM non solum arx est munitissima, sed etiam civitas, quam Consules & Senatus regunt, ut patet ex *M. Simonis Henrici libello, cui titulus Civis Christianus, anno* 1634. *Rostochii in* 4. *impresso*. Alii ejus incolas Germanos ex Livonia esse dicunt,

cunt, quanquam & multis annis *Præsidium* Danicum ibi fuit. *Oesiliæ* Gubernator anno 1630. erat Fridericus Rantzow, vir nobilis, & in hac urbe ut & ipsâ insulâ Consiliarii Regii, Superattendens, Concionatores, & alii ministri Regii commorabantur. Anno 1566. Sueci magnam ex hac insulâ prædam collegerunt, cujus tamen maxima pars in Polonorum, qui Danorum partes tunc temporis tuentes Suecis infesti erant, potestatem recidit.

Abberburg è regione præcedentis arcis vicus, aut ut alius dicit, suburbium, in quo Livones Germani habitant: Uterque locus, prior & hic posterior sex milliarium distantia semoti sunt ab apice Meridionali Oesiliæ, qui Curlandię littori se aspiciendum exhibet.

Sualveroort, Suarver, in extremo apice Meridionali sedet, & vicus est exiguus. Apex ipse scopulosum tractum, hinc inde suprà flu-

ctus eminentem in mare emittit, qui per duo milliaria in longitudinem extenditur, & nautis admodum cavendus eſt.

WYCK pagus in margine æſtuarii Occidentale latus Oeſiliȩ perforantis, ubi naves onerandæ, ancoris affixæ ſtationem habere ſolent.

REECK pagus alius in eodem latere ad aliud æſtuarium, in quod fluviolus quidam ſe immergit. Navibus onerandis ſtationem quoquè præbet. Littoris longitudo à Meridionali angulo Sualveroort, in Septentrionalem Hondtsoort exſpatians novem milliaria metitur.

SONNEBURG, SONNENBURG arx in latere Septentrionali. *Oſeas Schadæus in continuato Sleidano* ſcribit, quod hic locus à Suecis ad *Magnum* Saxoniæ Ducem pervenerit, & hic inſulam Monam eidem adjungere voluerit, licet Dani eum ad Arnſburgum pertinere dixerint. Poſt *Magni* in Sueciam diſceſſum Dani eum po-

potestati suæ subjecerunt. Spacium inter Septentrionalem Oesiliæ marginem, ac apicem Insulæ Dagheroort Meridionalem mare quidem per fretum illud hinc inde fluctus suos deducere permittit, sed inæqualibus passim scopulis periculosum, & vadosum navibus transitum negat. Fretum ipsum à nautis Hollandis nomine *Hondsvvyck* designatur.

SONNENBURGUM arx est insignis anno 1561. in Suecorum illam occupantium potestatem redacta. Anno 1571. clientelari jure possidenda tradebatur *Magno* Lauenburgico Saxoniæ Duci à Rege Sueciæ, adjectâ insulâ Monâ, quam ipsi Danicus Oesiliæ Gubernator cedere nolebat. Post ejus discessum, incendio orto, Dani arcem occupabant, ut *Henningius in Livonicis Chron. refert.* Ad Churlandiæ Ducem eam postea pertinuisse oportet, quandoquidem idem *Henningius* de anno 1583. scribit, post *Magni* Holsatiæ Ducis, &

fratris Daniæ Regis obitum Churlandiæ Ducem pro Episcopatu Churlandiæ Diœcesim Sonnenburgensem in Oesilia Insula obtulisse. *Chytræus in Saxoniâ suâ* dicit, tertium Episcopum Rigensem *Albertum* Lealiæ in Livonia sacrum Collegium instituisse, & Episcopi eidem præfecto sedem Habsaliæ fuisse, ac postea Arnsburgum in Oesaliam translatam esse, quamvis Archiepiscopo Rigensi Episcopus ille subjectus fuerit. *Pontanus de reb. Danicis* refert, Regem *Abelem* Anno 1521. Episcopo hujus loci *Hermannum* totam hanc insulam à majoribus ad se delatam cessisse. Idem alio loco: *Quoniam Collegiata Canonicorum Ordinis Theutonici Societas totam possedit, salvo tamen jure, quod Regi Danorum perpetuò competit.* Alius narrat, Regis *VValdemari II.* adjumento in hac Insula Episcopatum institutum fuisse. Ultimus Episcoporum fuit *Johannes à Munchhausen*, qui hunc cum

cum Churlandiæ Episcopatu aut ipsi Daniæ Regi *Friderico II.* aut ejus Matri, aut Fratri *Magno* Holsatiæ Duci, quem sæpius nominavimus, (Scriptores enim hac de re dissentiunt) vendidit. Utrumque autem Episcopatum Dux ille ab ann. 1560. usq; ad annum 1583 quo vita functus est possedit. *Salomon Neugebauer lib.8. histor. Polon. p.* 602. tradit, eidem Duci *Mauritium VVrangel* ultimum Episcopum Revaliensem eundem Episcopatum concessisse. Duce mortuo Oesilia in Daniæ Regis possessione mansit, qui eam cum Arnsburgâ arce celeberrimo illi militiæ Livonicæ Duci *Georgio Farensbekio* vitæ totius tempore possidendam tradidit. Sed quoniam *Farensbekio* lautiores in Polonia possessione à *Stephano* Rege ob insignia ejus & fortia in bello Moscovitico facta ac merita donatæ fuerant, Oesilia ad Daniæ Regem anno 1584. rediit: ut *Andræas Buræus in descript.*

Orb. Arctoi in fine testatur. Insulam Dani tenuêre usque ad annum 1645. quæ pace inita Dani ejus possessionem hæreditariam in Suecos transtulerunt.

DAGHOE, DAGHEROORT, DACHDEN Insula triangularis, latus Septentrionale Finnico littori, Orientale apici Sinu Livonici dextro, qui Oesiliæ margini Septentrionali oppositus est, ac Occiduum mari Balthico obvertit.

DAGHEROORT Occidentalis hujus Insulæ apicis nomen est, à quo littus alterum Septentrionalem procurrens quinque milliarium iter facit. In apice Dagheroort turris est admodum alta, & ibi posita jussu amplissimi Senatus Revaliensis, ut nautis in mari signo esse queat. Nonnullæ tabulæ in eodem loco oppidulum, aut potius vicum ejusdem nominis monstrant.

MOENSUND, MONSUND nomen est freti, quod inter Oesiliam & Livo-

niam

niam intercedens hoc in loco Baltici maris fluctus accedendo & recedendo permeant. Nomen etiam arcis & pagi in extremo Sinus Livonici apice, qui ad littus Orientale Insulæ Dagheroort convertitur.

OETGENSHOLM, ODENSHOLM Insula parva ante littus Livoniæ in introitu Sinus Finnici, quinque milliaribus ab angulo Sybrichnes in Insula Dagheroort, & ab angulo littoris Livonici Grote Rogge tribus dimota est.

KLEINE ROGGE, & GROTE ROGGE sunt duo apices aut anguli littoris Livonici inter Hapsaliam & Revaliam æstuarium quoddam complectentes, quorum ille Occidentalis, & hic duobus aut tribus cretaceis montibus insignis Orientalis est.

SURP & WOLFSOORT sunt duo apices aut promontoria, quibus Revalensis sinus includitur. Ille Meridionalis Insulam Nargen; hic Orientalis Insulam de Wolff ante se habet

bet. Hæc in nonnullis tabulis Geographicis Ulſoo appellatur.

NARGEN Inſula parva ante ſinus Revalienſis apicem Meridionalem.

DE WOLF, ULFOO, proximè apicem Sinus Revalienſis in anguſtam latitudinem coarctata inſula, longitudinem ſuam per milliare unum extendit.

GROOT WRANGER inſula triangularis latus Meridionale littori Livonico oſtendit: Orientale arcui laxato ſimile convexum eſt, ut prius concavum: Tertium rectum plagam inter Occidentem & Septentrionem inſpicit. Ab inſulâ Nargen quinque, & ab altero Wolff duobus milliaribus diſcedit.

KLEIN WRANGER à præcedente quartâ milliaris parte dimota anguſta admodum latitudine in longitudinem protenditur.

EECKHOLM inſula oblonga ab Inſula Groot Wranger decem vel undecim, & ab arce Tolsburg quatuor milli-

milliaribus dimovetur.

HOGHENLANDIA, HOGHLANDT insula duodecim fere milliaribus Nerva Germanica, & septendecim Revalia distans, inter Septentrionem & Meridiem protensam longitudinem tribus ferè milliaribus Germanicis, ac latitudinem inter Orientem & Occidentem uno ferè milliari absolvit. Nomen ipsi inditum, quia se altitudine sua supra mare attollit. Inculta, & lapidosa nonnisi dumetis, fruticibus & abietibus vestitur, ac leporibus abundat. Ducis Holsatiæ Legati in Persiam missi anno 1635. naufragio in hanc Insulam v. Id. Novembris ejecti sunt, nihilque aliud ibi repererunt, nisi vetus sacellum & casulas nonnullas Piscatorum, qui piscandi causa nonnunquam eò venire solent.

EPITO-

EPITOME HISTORICA EORUM,

Quæ in ultimis Livoniæ Bellis cum Moscovitis, Polonis, & Suecis gesta sunt, cui adhuc plenior Livoniæ Descriptio universalis adjicitur.

ANte quadringentos annos Livonia Bremensium & Theutonici ordinis adjumento ab Ethnicismo ad Christianam Religionem traducta est. Anno 1501. *VValtherus à Plettenberg* Theutonici Ordinis Magister Magnus, Moscovitarum prœlio fusorum circiter quadraginta millia neci dedit. Cladem hanc sequutæ sunt induciæ quinquaginta annorum. Intereà Magnus Dux Moscoviç *Ivvan VVasilovvitz*, vel *Iohannes Basilides*, qui patri tantam cladem passo successerat, consilia & occasionem captavit, quî

quî finitis induciis Livoniam adortus cladem dictam ulcisceretur. Anno 1556. intestino bello Livoniæ vires attriverunt *VVilhelmus* Archiepiscopus Rigensis, & Livonici Ordinis Magister *Henricus à Galen*, cui posteriori succedens *VVilhelmus à Furstenberg* ejusdem Ordinis Magister illud composuit. Occasionem nacti Moscovitæ XI. Kal. Febr. anno 1558. Livoniam invaserunt, ac Episcopatum Dorpatensem & Principatum Wiriensem depopulati in Moscoviam se receperunt. Anno sequenti 1559. redeuntes, centum triginta millibus militum exercitu, potissimam Livoniæ partem usque ad Archiepiscopatum Rigensem suæ potestati subjecerunt. Livonia tunc dilacerata pessum ivit & diversorum Dominorum possessioni subjecta est. Moscovitæ Dorpatensem Episcopatum & maximam Wiriæ partem, cum portione Lettiæ Moscoviam tangente obtinebant. *Erico* Sueciæ Regi

Regi ceſſerant Revalia, Padies, Borckholm, & nonnulla alia loca. Epiſcopatum Oeſiliæ & Churlandiæ poſſidebat *Friderici* Daniæ Regis frater *Magnus* Holſatiæ Dux. Quod reliquum erat, Archiepiſcopatus nempè Rigenſis, & pars ea, quam Ordinis Magiſter tenebat, Poloniæ Regi *Sigiſmundo Auguſto* tradebatur IV. Kal. Decembr. anno 1561. Mox *Gothardus Ketlerus*, qui *Furſtenbergero* capto & in Moſcoviam abducto ſucceſſerat, à Rege *Sigiſmundo* Churlandiæ Dux & Livoniæ Gubernator creatus eſt. Subditi Sacramento, quo Magiſtro Ordinis devincti erant, ſoluti novo Regi Poloniæ tanquam directo, & ſuperiori ſemper Domino cum ſuis ſucceſſoribus mediatè & Duci Churlandiæ ac maſculis ſuis poſteris tanquam hæreditariis ſuis Dominis III. Non. Martii Anno 1562. ſe obſtrinxerunt. E contrario Rex firmis promiſſis ſe devinxerat, quod Livoniæ incolas deditio-

nis

nis hujus causa Imperii pro scriptionem verentes, ab illa tutos & tectos servaturus, & ipsis Libertatem, immunitates & privilegia omnia illibata, ut & Germanicos Magistratus, quemadmodum in Borussia, immotos relicturus esset. Livonia hoc pacto ab Imperio Romano sejuncta est, quandoquidem ab Imperatore & Electoribus totoque Imperio deferebantur, licet multis precibus cunctos fatigaverint, & sæpe periculum suum per Magistrum Ordinis in Germania Mergenthemi commorātem Imperio toti multoties significandum curaverint. Eodem ann. 62. Livoniæ in tutelam receptæ causa Moscoviæ Dux Magnus Regi Poloniæ bellum indixit, hoc responsum ferens, quod Rex ipsum expectaturus & cepturus esset in campo urbs Smolensko, in quo Patre suo vivente circiter trecenta militum millia periissent. Anno 1566. Koninxbergę seu Regiomonti in Borussia Churlandiæ

Dux

Dux cum *Anna* Megapolitani Ducis filia nuptias celebravit. Anno 69. Lublini in Comitiis Poloniȩ Regno, tanquam membra, inserta sunt Churlandia, & Semigallia. Anno 1570. *Magnus* Holsatiæ Dux profectus est in Moscoviam ibidem magnificè exceptus, & Livoniæ Rex creatus. Anno 1571. ineffabilis fames in Livonia incolas adeò cruciavit, ut parentes etiam proprios liberos devoraverint. Anno 73. Novogardiȩ in Moscovia dictus Dux *Magnus* cum Magni Ducis Moscoviæ fratris filia nuptias celebravit, præsente Magno Duce & duobus filiis. Anno 78. reversus est cum Russica sua uxore in Episcopatum suum, quem anno 1570. ab Episcopo *Iohanne à Munchhausen* viginti mille Imperialibus emerat. Inde Bautskam se contulit, ubi reliquas suas arces, & bona in Livonia cum Episcopatu Churlandiæ Polonis dedit, salvo tamen jure, quod Daniæ Regis pro-

proprium erat. Omnia tamen, quo ad vixit, retinuit. xviii. Kal. Febr. anno 1582. Pacem faciebant Poloni & Moscovitæ, cujus beneficio illi recipiebant, quæ hi in Livonia hactenus possidebant : Exceptis tamen munimentis & locis, quæ in Harria, Wikia, Wiria, & Jervia Sueci in potestate sua habebant. Ea postulabant à Suecis Poloni, sed frustrà. *Magnus* anno sequenti 83. Piltæ, vel Piltenæ in Episcopatu suo moritur. Ortam de Episcopatu inter Poloniæ & Daniæ Reges contentionem *Georgius Fridericus* Marchio Brandenburgensis anno 1584. Durbenæ ita sopivit, ut Daniæ Rex jure suo cesserit, acceptis triginta mille imperialibus à Marchione eos solvente, & ablatis ex arce Pilta omnibus tormentis bellicis, pulvere pyrio, globis, utensilibus, supellectile, & omnibus iis, quæ ad Ducem *Magnum* fratrem suum pertinebant. Arces Dodangen & Amboten Regis arbitrio per-

permittebantur. Subditi ergo Polonię Regi tanquam directo Domino, & Marchioni Brandenburgico tanquam Domino pignoris nomine pro triginta mille Imperialibus tamdiu Episcopatum habituro, donec summa ista reddita liberetur, fidelitatis jurejurando se obstrinxerunt. Uxor *Magni* Dondanga ad ipsum ægrum accersita, tamdiu Piltæ cum filia post obitum mariti commorata est, donec Episcopatus Polonis traderetur. Postea in arce Rigensi certo demenso ad ejus & filiæ sustentationem necessario sustentata est. Tandem Regis Polonię consensu cum Magni Ducis Moscovię Legato inde in Moscoviam profecta Tartarico cuidam Principi nupsit. Post transactionem illam *Stephanus* Poloniæ Rex pactis & conventis illis se non teneri dicens Churlandiæ Duci anno 1587. XVI. Kal. Junii defuncto, Churlandiæ Episcopatum eripuit, & fratris filio *Balthasaro Battorio* largitus est. Ea de
causa

causa anno 1589 cum Gothardi Ducis filii *Fridericus* & *VVilhelmus* Warsaviæ clientelaris possessionis, ut & Augustanam Confessionem exercendi libertatis confirmationem à novo Poloniæ Rege *Sigismundo III.* acciperent, lis inter Duces & *Battorium* recruduit. Hæc ex *Salomone Henningio*, de quibus duo notanda se offerunt. 1. *Melchior Goldastus lib. 4. de Regno Bohemiæ fol.* 475. scribit: Archiepiscopum Rigensem, Episcopos Oesaliensem, Revaliensem, Dorpatensem, & Livonici Ordinis Magistrum in Comitiis Imperii sedes ac suffragia sua habuisse, antequam Imperio à Polonis subtracti erant. Quare autem Livonienses ab Imperio deserti sint, *Goldastus fol.* 455. causas enarrat, quod se constitutionibus & auxiliis Imperialibus submittere, aut uni ex decem circulis adscribi noluerint, sed instar Bohemorum liberi esse voluerint. Ex pace autem Stetini in Pomerania inter Suecos & Danos

Danos an. 1570. inita, de qua etiam *Micrælius 2.part.3.l.de Pomerania fol.* 565. legi poteſt, colligitur, quod tunc temporis Sueci Epiſcopatus Livoniæ Oeſalienſem, & Revalienſem cum cœnobio Padies, quorum Dux Holſatię *Magnus* poſſeſſor fuit, & qui ad Imperium Romanum pertinebant, ut & arcem Sonneburgum Cæſari atque imperio reddiderint, quæ omnia reddita à Cæſare & Imperio Regi Daniæ protegenda conceſſa fuêre: Quod etiam reliqua Livoniæ loca, quæ Sueci adhuc in poteſtate ſua habebant, Urbs nimirum, & arx Revalia, arx Wittenſtein, & cætera Imperii Romani tanquam Directi Domini propria à Majeſtate Cæſarea eorundem Suecorum protectioni & tutelæ commiſſa fuerint.
11. Quod *Ioh. Iſacius Pontanus in hiſt. rer. Danic.* dicat. Anno 1169. Regem Daniæ *Canutum* multis navibus in Livoniam exercitum ſuum trajeciſſe, & primo ejus partem Eſthiam ſuæ pote-

poteſtati ſubjeciſſe. Facilè autem ſciri poſſe, Livoniam Dominii jure ante Teutonici Ordinis initium in Danorum poteſtate fuiſſe. Capto autem circà annum 1223. *VValdemaro* Rege, Germanos Revalię, Narvę, Welembergæ, aliorumque locorum Danis ereptorum poſſeſſionem ſibi vendicare incepiſſe. Liberato autem & bello jus ſuum proſequenti anno 1237. Revaliam, Weſenbergam, & Narvam à Teutonicis Magiſtris reſtitutam eſſe. Ejuſdem Regis adjumento anno 1219. Epiſcopatus Revalienſem, Dorpatenſem, Oeſalienſem, & Curonienſem Archiepiſcopo Lundenſi in Dania ſubmiſſos eſſe. Daniæ Regem *Ericum VII.* Epiſcopis, Nobilibus & omnibus Magiſtratibus in Eſtia jus clientelare feudale largitum eſſe. Anno tamen 1346. Danię Regem *VValdemarum III.* Teutonici Ordinis Fratribus Ducatum Eſtię in Livonia decem & octo marcarum argenti millibus

P ven-

vendidisse, non solum contrà Patris sui *Christophori* Regis pacta & conventa, quibus cautam erat, ne quisquam Ducatum istum à Daniæ regno abalienaret, sed etiam contra solenne Sacramentum omnium in Estiâ Nobilium, quo confirmaverant, & sanctè juraverant, nunquam se Danos, & Daniam deserturos. Hoc pacto Esthoniam à Daniæ Regno sejunctam in Teutonici Ordinis, ac postea, Moscovitico Bello ingruente, anno 1557. (al. 1560. aut 61.) in Suecorum potestatem incidisse, & hactenus penes eosdem mansisse. Tantum est de duabus illis rebus, quæ hic animadvertendæ sunt.

Quoad Livoniæ descriptionem universalem duo scriptores adhuc audiendi: *David Chytræus lib.* 1. *Saxoniæ.* Anno 1206. Russorum Dux Viesëus Cocenhusæ domicilium habuit. Anno 1190. *Meinardus* Segebergensis Monachus postea Episcopus

pus primus Livonienſis, in Livonia concionari incepit, ſedemque in Durnę ripa fixit ubi *Bertholdus* ſucceſſor Rigam fundavit. Tertius Epiſ. *Albertus* Ordinem Fratrum gladium gerentium cum *Vinnone* Magiſtro adſcivit, eorumque auxilio Kockenhuſam præcipuam poſteà Epiſcoporum arcem, Wendam, Aſceradam, & Segewoldam occupavit, Rigam muro cinxit, Epiſcopale templũ ibi extruxit, Duo Collegia Sacra, unum Lealiæ (cujus Epiſcopi ſedes Habſaliæ poſteà Arensburgum in Oeſiliam tranſlatum eſt,) & Uggenuſſæ inſtituit. Poſterius ab Epiſcopo *Hermanno I.* Dorpatum ab *Alberto* & *Volquino* Magiſtro Vinnonis ſucceſſore an. 1230. Ruſſis ereptum, traductum eſt. Epiſcopus ille arci illi adjectæ urbis, ut & Cœnobii Falckena conditor fuit. *Hermannus Falko Volquinum* à Lituanis occiſum ſequutus Pleskoviam Ruſſis extorſit, anno 1244. iterum amiſſam. Di-

cti *Alberti* Bremensis successores fuêre *Nicolaus* & *Albertus* primus Archiepiscopus Rigensis, de quibus & Magistris vide *Chytræum*, qui etiam dicit, *Albertum* Marchionem Brandenburgensem, & Magnum Magistrum in Borussia anno 1513. aliquot florenorum millibus à Livonici Ordinis Magistro *VValthero à Plettenberg*, acceptis, Ordinem illum à sacramento & obsequio, quo Magnis Magistris in Borussia hactenus per aliquot centenos annos devinctus fuerat, in æternum liberasse; & ex eo tempore Livonicos Magistros immediatè Cæsari subjectos, & Imperii Principes fuisse; quod aliquo modo superiori ex *Henningio* deprompte narrationi contradicit. Porro *Chytræus* refert, *Gothardum Ketlerum* Magistrum ultimum, & primum Curlandiæ, vel Curoniæ Ducem, (de cujus exaltatione *lib.* 20. *fol.* 529. agit) ex præcipuâ Ducatus Bergensis Nobilitate ortum traxisse. Anno 1583.

Regem

Regem Poloniæ novam rectionis, & gubernationis formam Livonię præscriptam in lucem edidisse, & Archiepiscopi Rigensis & cæterorum Episcoporum partim superioribus bellis mortuorum, partim etiam abrogatorum loco Vendæ Episcopum, & Canonicos novos constituisse, Augustanæ Confessionis, & Catholicæ Religionis exercitium concessisse, ac multa alia Gubernationem concernentia instituisse. Hæc *Chytræus. Laurentius Mullerus D, & Churlandiæ Ducis Consiliarius aulicus in suis Polonicis Livonicis, Moscoviticis, Suecicis, & aliis de Livonia historiis* sequentia memorię prodit: *Stephani* Regis conatus optimus successu caruit. Rusticis in Livoniâ non Germanicis (*vnteutsche* vocantur) quos etiam Lybisenses, & Esenses nuncupant, proponi jussit, quod miserescens conditionis ipsorum, qui hactenus suorum Nobilium & Dominorum mancipia quotidie, imò singu-

lis horis duriſſimis laboribus ſine intermiſſione vexentur, & ſi vel minimum quid commiſiſſent, loris & ſcuticis cædantur, (quod ipſi communi vocabulo queſten appellant) in animum induxiſſet morem illum peſſimum abolendo ipſos tàm dura vivendi ſorte liberare, & ad meliorem commodioremque transferre; Nempè, ut non ſingulis ſed certis quibuſdam diebus Dominorum ſuorum laboribus vacare deberent, & quidem ratione bonorum, quæ cuique à Domino ſuo colenda tradita eſſent (proprii enim nihil habent, cum omnia, quæ poſſident, ſint Dominorum, qui Ruſticos ejicere, aut cum aliis permutare poſſunt, ac pecuniaria aliqua mulctâ verberũ loco commiſſa luerent. Miſericordia ſupervacanea diſplicuit ſtultis hominibus; qui in genua procidentes ſubmiſſis precibus contenderunt, ut antiquo more & modo ſibi vivere, & conſuetos labores, ac pœnas retinere li-

re liceret. Risit Rex in retinendis malis & barbaris illis consuetudinibus & moribus propositum pertinacius horum hominum Barbarorum, & in defendendis ac conservandis honestè & ægrè acquisitis privilegiis & juribus ignaviam ac incuriam Rigensium, eâque de causa Barbaros illos cum barbarie sua valere, eosque suas nugaces & stultas consuetudines retinere jussit. Livonię incolæ, præter Polonos, Lituanos, & Moschos, præcipui sunt Germani, & non Germani sive *vnteutschen*: Illi advenæ, qui ex Germania in hanc regionem commigrarunt; hi indigenæ, qui ab antiquissimis Livoniæ incolis ortum suum duxerunt. Horum hodierno tempore Rusticorum, & mancipiorum, olim Livonia fuit propria. Bremenses Mercatores quingentis antè annum 1585. annis, explorato Livoniæ statu, cùm Ethnicam, barbaram, & stupidam gentem esse animadvertissent, portum

Regionis vi in potestatem suam redegerunt, & haud procul ab urbe Riga templum extruxerunt in insula quadam ideò Kerckholm, id est templi insula (Holm enim insulam notat) appellatâ. Multum autem ipsis negotii facessitum ab incolis, donec tandem victi, & ad Christianam Religionem conversi fuerint. Regione potiti, & ejus situ amœno allecti passim civitates condiderunt, adeò ut multi ex Westphalia eò commigraverint. Unde Pontificis permissu Ordo Teutonicus natus, eiq; se adjunxêre præcipui ex Westphalia Nobiles, quorum posteri adhuc hodiè rusticis non Germanis imperitant. *Vnteutsche*, id est non Germanici, ideo Rustici illi nuncupantur, quod tres linguas usurpant, quarum nulla cum aliis linguis, Polonicâ puta, Moscoviticâ, aut Germanicâ convenit. Quoniam igitur non una, sed triplici lingua utuntur, illi qui Dorpato vicini sunt, Esteni, &

lin-

lingua eorum Esensis; qui Rigæ confines sunt Libæ, & lingua Libensis; ac cæteri Churi, & lingua eorum Churensis vocatur. Hi apud se veterem aliquam prosapiam habent, penes quam olim forsan rectio hujus populi fuit. Churenses Reges appellati hodierno, tempore Rustici sunt divites, & liberi, ex quibus natu maximus plęrunque adhuc feudum centum aliis rusticis constans possidet. Numerum tamen talium Rusticorum Poloni bellis & tumultibus in Churlandia ob Episcopatum Curonensem excitatis vehementer minuerunt. Incolæ isti non Germani barbaræ, stupidæ & stultæ sunt indolis, quorum nonnulli ad Religionem Christianam conversi sunt. Cæteri coràm proximâ arbore, quam in campo ostendunt, in genua procumbentes eam adorant. Hyberno tempore muliebris sexus frusto panni cœrulei, aut rubri aliquo corpus cinctum tegit, & cochlearum

conchis & domunculis, ac annulis ex orychalco factis exornat. Nolæ periscelidibus annexæ sonitu suo fœminas longè adhuc remotas produnt. Calcei ex arborum corticibus, ut & multa alia parantur. Agricultura ipsorum facilis, quippe qui aratris utuntur leves admodum vomeres habentibus, adeò ut facilè à juniore aliquo teneri; & ab aliquot equis, quos exiguos habent, protrahi queant, unde sulcos leves & exiguos ab ipsis duci conjectura est. Frumenti æstivi semina paulò ante Johannis Baptistæ festum terræ mandant, Regionis natura sic postulante. Nam ante illud tempus parum caloris sentitur; sed postea noctu humidis & frigidis roribus terram humectantibus, diurnus calor tantus quotidie succedit, quantus in Italia vix sentitur: Pluviæ ipsæ etiam rariores, hinc octo septimanarum spacio ex sacco in terram frumentum conjicitur, & in saccum augmento insigni
redit.

redit. Messis tempore in conclavi, quod horreo adhæret, & ab ipsis Rige appellatur, (à quo & Rigæ urbi nomen suum natum esse creditur) fornacem ex magnis lateribus coctis constructam igne candidam reddunt, ut per aliquot dies calorem emittat, & conclave eodem repleat. Frumentum demessum in eodem conclavi perticis longis appensum siccant, & exsiccatum parvis baculis feriunt, adeò ut grana mox & facilè exiliant, & admodum pura maneant. Nec siccatio hæc impedimento est, quò minus frumentum illud ad sementem ac cerevisiæ coctionem aptum sit. Cerevisiam autem coquunt ut sequitur: Frumentum cum lupulo & aqua in ahenum reponunt, iisque injiciunt duros lapides igne candefactos, ita ut aqua ebulliendo cum lupulo & frumento coquatur. Hoc tamdiu lapidibus candentibus faciunt, donec coctione debitum finem consequantur. Boni

ſaporis cerevisia eſt, quæ & extero-rum palatum voluptate afficere ſolet. Hæc ex *Mullero*. Plura quærantur apud *Cosmographos*, *Geographos*, *Iohannem Angel. VVerdenhaghen part. 3. de Rebuspubl. Hanſ. cap. 24. David Froelich. part. 1. Viatorii, lib. 3. pag. 84. Item part. 2. lib. 1. pag. 329. ſeq. Item in Itinerario Germaniæ cap. 24. fol. 518. ſeqq. & ejuſdem continuatione fol. 226. & 317. ſeqq.*

DE-

DESCRIPTIO NOVA REGIONUM IN GERMANIA,

Quarum Dominium in Suecos translatum est,

Pace factâ Anno clɔ Iɔ c XLVIII. *In Conventu Monasteriensi & Osnabrugensi.*

H*Actenus* Sueciæ Regna, & Livoniam, quam incomparabilis ille Heros *Gustavus Adolphus Magnus* superiorum annorum belliis cum Poloniæ Regibus gestis Sueciæ Regnis adjecit, descriptione nostrâ illustravimus: Sequitur jam illustratio earum Regionum in Germaniâ, quæ pace factâ anno 1648. in Conventu Monasteriensi & Osnabrugensi, Suecorum Dominio subjectæ sunt. Earum autem descriptioni ex *Instrumento Pacis dictæ articulum X.* translati Regionum illarum

larum Dominii in Suecos conditiones complectentem præmittere operæ pretium visum fuit,

Instrumenti Pacis articulus X.

Porrò quoniam Serenissima Regina Sueciæ postulaverat, ut sibi pro locorum hoc bello occupatorum restitutione satisfieret, Pacique publicæ in Imperio restaurandę condignè prospiceretur: Ideò Cæsarea Majestas de consensu Electorum, Principum, & Statuum Imperii, cum primis interessatorum, vigoreque præsentis transactionis concedit eidem Serenissimæ Reginæ, & futuris eis hæredibus ac successoribus Regibus, Regnoque Sueciæ sequentes ditiones pleno jure in perpetuum, & immediatum Imperii Feudum.

Primo totam POMERANIAM CITERIOREM, vulgò *vor Pommern* dictam unà cum Insulâ Rugiâ, iis finibus contentas, quibus sub ultimis Pomeraniæ Ducibus descriptę fuerant. Adhæc è Pomerania ulteriori Steti-

Stetinum, Gartz, Dam, Golnau, & Insulam Wollin, unà cum interlabente Odera, & mari vulgò *das Frische Haff* vocato, suisque tribus ostiis, Peine, Swine, & Divenow, atque adjacente utrinque terra ab initio Territorii Regii usque in mare Balthicum ea latitudine littoris Orientalis, de quâ inter Regios, & Electorales Commissarios, circa exactiorem limitum, & cæterorum minutiorum definitionem amicabiliter convenietur. Hunc Ducatum, Rugiæque Principatum, unà cum ditionibus, locisque annexis, omnibusque & singulis ad ea pertinentibus Territoriis, Præfecturis, Urbibus, Castellis, Oppidis, vicis, pagis, hominibus, Feudis, fluminibus, insulis, lacubus, littoribus, portubus, stationibus; antiquis vectigalibus & reditibus, & quibuscunque aliis Ecclesiasticis ac sæcularibus bonis, nec non titulis, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus, & prærogativis, cæterif-

terisque omnibus & singulis Ecclesiasticis & sæcularibus juribus ac privilegiis, quibus Antecessores Pomeraniæ Duces ea habuerant, incoluerant, & rexerant, Regia Majestas Regnumque Sueciæ ab hoc die in perpetuum pro hæreditario feudo habeat, possideat, iisque liberè utatur, & inviolabiliter fruatur.

Quicquid etiam juris in collatione Prælaturarum, & Præbendarum Capituli Camminensis antehac habuerant Duces Pomeranię citerioris, habeat in posterum Regia Majestas, Regnumque Suecię perpetuò cum potestate eas extinguendi, reditusque mensæ Ducali, post modernorum Canonicorum, & Capitularium decessum applicandi. Quicquid autem ulterioris Pomeraniæ Ducibus competierat, competat Domino Electori Brandenburgico, una cum integro Episcopatu Camminensi, ejusque territoriis, juribus, & dignitatibus, prout infra pluribus explicatur.

Titu-

Titulis, & Insigniis Pomeraniæ tàm Regia Domus, quam Brandenburgica promiscuè utantur, more inter priores Pomeraniæ Duces usitato: Regia quidem perpetuò, Brandenburgica verò, quamdiu ullus è Linea masculina superfuerit; Absq; tamen Rugiæ Principatu, omnique alia prætensione ullius juris, in loca Regno Sueciæ cessa. Deficiente verò Linea masculina Domus Brandenburgicæ, omnes, præter Sueciam, alii Titulis, & Insigniis Pomeranicis abstinebunt; Atque tunc quoque ulterior Pomerania tota cum citeriori Pomerania, totoque Episcopatu, & integro capitulo Camminensi, adeoq; omnibus Antecessorũ juribus, & expectantiis consolidata ad solos Reges, Regnumque Sueciæ perpetuò pertinebunt; spe interim successionis, & investitura simultanea gavisuros; ità ut etiam Ordinibus, subditisque dictorum locorum pro homagii præstatione solito

lito more caveant.

Dominus Elector Brandenburgicus cæterique omnes interessati exsolvunt Ordines, Officiales, & subditos singulorum supradictorum locorum vinculis, & Sacramentis, quibus huc usque sibi suisque Domibus obstricti fuerant, eosque ad homagium & obsequia Regiæ Majestati, Regnoque Sueciæ more solito præstandum remittunt: Atque ità Sueciam in plena justaque eorum possessione constituunt; renunciantes omnibus in ea prætensionibus ex nunc in perpetuum: Idque pro se suisque posteris peculiari Diplomate hic confirmabunt.

Secundo Imperator de consensu totius Imperii concedit etiam Serenissimæ Reginæ, ejusque hæredibus ac successoribus hæredibus, Regnoque Sueciæ in perpetuum & immediatum Imperii feudum CIVITATEM PORTUMQUE WISMARIENSEM, una cum fortalitio Walfisch, & præfectu-

fecturis Poël (exceptis pagis Schedorff, Weitendorff, Brandenhusen, & Wangern ad hospitale S. Spiritus in urbe Lubeca pertinentibus) & Newen Closter, omnibusque juribus, & appertinentiis, quibus ea Duces Megapolitani huc usque habuerant: ità ut dicta loca, totusque portus cum terris utriusque lateris ab Urbe in mare Balthicum liberæ dispositioni suæ Majestatis subsit, possitque ea munimentis & præsidiis pro libitu & exigentia circumstantiarum, suis tamen propriis sumptibus firmare, ibique semper pro suis navibus, classeque tutum, securumque receptum ac stationem habere, iisque de cætero uti fruique eo jure, quod ipsi in cætera sua Imperialia feuda competit, ità tamen, ut civitati Wismariensi Privilegia sua sint salva, ejusque commercia protectione, favoreque Regio omni meliore modo promoveantur.

Tertiò, Imperator de consensu

totius Imperii concedit etiam vigore præsentis Transactionis Serenissimę Reginę, ejusque hæredibus ac successoribus Regibus Regnoque Sueciæ ARCHIEPISCOPATUM BREMENSEM, & EPISCOPATUM VERDENSEM, cum Oppido & præfectura Wilshausen, omnique jure, quod ultimis Archiepiscopis Bremensibus competierat in Capitulum & Diœcesin Hamburgensem (salvis tamen Domui Holsaticę, ut & Civitati, Capituloque Hamburgensi suis respectivè juribus, privilegiis, libertate, pactis, & possessione statuque præsenti per omnia, ita ut quatuordecim illi pagi in Præfecturis Holsaticis Trittoviensi, & Reinbeccensi pro moderno annuo canone Domino Friderico Holsatiæ Gottorpiensi, & illius posteris in perpetuum maneant) cum omnibus & singulis ad eos pertinentibus, ubicunque sita sunt, Ecclesiasticis, & secularibus Bonis, & juribus quocunque nomine vocatis,

catis, terra marique, in perpetuum, & immediatum Imperii feudum; sub solitis quidem Insigniis, sed Titulo Ducatus, cessante Capitulorum, cæterorumque Collegiorum Ecclesiasticorum eligendi, & postulandi, omnique alio jure, administratione, & gubernatione terrarum ad hos Ducatus pertinentium.

Civitati verò Bremensi, ejusque territorio, & subditis præsens suus Status, Libertas, Jura, & Privilegia in Ecclesiasticis & Politicis sine impetitione relinquantur. Si quæ autem ipsi cum Episcopatu seu Ducatu aut Capitulis sint, aut imposterum enascantur controversiæ, eæ vel componantur amicabiliter, vel jure terminentur, salva interim cuique parti sua, quam obtinet, possessione.

Quartò ratione supradictarum omnium ditionum feudorumque Imperator cum Imperio cooptat Serenissimam Reginam, Regnique Sueciæ Successores in immediatum Impe-

Imperii Statum; ita ut ad Imperii Comitia inter alios Imperii Status Regina quoque Regesque Sueciæ sub Titulo Ducis Bremensis, Verdensis & Pomeraniæ, ut & Rugiæ Principis, Dominisque Wismariæ citari debeant; assignata ejus sessione in Conventibus Imperialibus in Collegio Principum Scamno seculari loco quinto, voto quidem Bremensi hoc ipso loco & ordine, Verdensi verò & Pomerano, ordine antiquitus prioribus possessoribus competenti explicando. In Circulo autem Superioris Saxoniæ proximè ante Duces Pomeraniæ ulterioris: In Circulo Westphaliȩ & Inferioris Saxoniæ loco moreque receptis, ita ut inter Magdeburgensem & Bremensem Circuli Inferioris Saxoniæ alternetur; salvo tamen Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium Condirectorii jure. Ad Conventus autem Deputatorum Imperii, tàm Regia Majestas, quàm Dominus E-
lector

lector ſuos pro more ſolito mittant: Cum autem utrique Pomeraniæ unum tantum votum in iis competat, à Regiâ Majeſtate, communicato prius conſilio cum dicto Electore id ſemper feratur.

Deinde concedit eis, in omnibus & ſingulis dictis feudis privilegium de non appellando, ſed hoc ità ut ſummum aliquod Tribunal, ſeu appellationis inſtantiam commodo in Germania loco conſtituat, eique idoneas præficiat perſonas, quæ unicuique Jus & Juſtitiam ſecundum Imperii Conſtitutiones, & cujuſque loci ſtatuta abſque ulteriore provocatione, cauſarumque avocatione adminiſtrent.

E contra verò ſi contigerit, ipſos tanquam Duces Bremenſes, Verdenſes, aut Pomeranię, vel etiam ut Principes Rugię, aut Dominos Wiſmariæ, ex cauſa dictas ditiones concernente, ab aliquo legitimè conveniri, Cæſar. Majeſt. liberum eis re-

lin-

linquit, ut pro suâ commoditate forum eligant, vel in Aulâ Cæsarea, vel in Camera Imperiali, ubi actionem intentatam excipere velint. Teneantur tamen intrà tres menses, à die denunciatæ litis sese declarare, coràm quo judice se sistere velint.

Præterea concedit eidem Reg. Majest. Sueciæ Jus erigendi Academiam, vel Universitatem, ubi, quandoque ei commodum visum fuerit. Ad hæc concedit eidem moderna vectigalia (vulgo *Licenten* vocata) ad littora Portusque Pomeraniæ & Megapoleos, jure perpetuo; sed ad eam taxæ moderationem reducenda, ne commercia in iis locis intercidant.

Exsolvit denique Status, Magistratus, Officiales, & subditos dictarum respectivè ditionum, feudorumque omnibus vinculis, & Sacramentis, quibus prioribus Dominis & possessoribus, aut prætendentibus huc usque obstricti fuerant, eosque ad subjectionem, obedientiam, &

& fidelitatem Regiæ Majest. Regno Sueciæ, ceu ab hoc die, hæreditario suo Domino præstandum remittit, obligàtque, atque ita Sueciam in plena justaque eorum possessione constituit, verbo Imperiali promittens, se non solum modernæ Reginæ, sed & omnibus futuris Regibus Regnoque Sueciæ, ratione dictarum ditionum, bonorum, juriumque concessorum, securitatem præstiturum, eosque, sicut cæteros Imperii Status, in eorum possessione quieta contrà quemcunque inviolabiliter conservaturum, & manutenturum; atque hæc omnia peculiaribus Investiturarum literis omni meliori modo confirmaturum. Vicissim Serenissima Regina, & futuri Reges regnumque Sueciæ dicta feuda omnia & singula à Cæsarea Majest. & Imperio recognoscant; eoque nomine, quoties casus evenerit, Investiturarum renovationes decenter petant, juramentum fidelitatis, eique anne-

xa, ſicut Anteceſſores, ſimileſque Imperii Vaſalli, præſtando.

De cætero Ordinibus, & ſubditis dictarum ditionum locorumque, nominatim Stralſundenſibus competentem eorum libertatem, bona, jura, & privilegia communia & peculiaria, legitimè acquiſita, vel longo uſu obtenta, cum libero Euangelicæ Religionis exercitio, juxta invariatam Auguſtanam Confeſſionem perpetim fruendo, circa homagii renovationem, & præſtationem more ſolito confirmabunt. Interque eos civitatibus Hanſeaticis eam navigationis & commerciorum libertatem, tam in exteris Regnis, Rebuspublicis, & Provinciis, quàm in Imperio integram conſervabunt, quam ibi ad præſens uſque bellum habuerunt.

Hactenus Articuli X. ex Pacis Inſtrumento deſcriptioni huic noſtræ inſerti verba; ex quibus liquet, quantum incrementum ſumpſerit

Regnum Sueciæ, cujus Rex Potentissimus sequentem titulum hodierno tempore usurpat.

NOS CAROLUS GUSTAVUS *Suecorum, Gothorum, & Wandalorum Rex, & Princeps hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Estoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiorum & Wendorum, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, ut & Comes Palatinus Rheni, ac Dux Bavariæ, Iuliæ, Cliviæ, & Bergæ &c.*

His præmissis jam ipsam Descriptionem aggredimur omnium earum Regionum, quarum in Sueciæ Reges, & Regnum Pace anno 1648. Monasterii & Osnabrugi initâ Imperator *Ferdinandus III.* & Imperium Romanum possessionem, & Dominium hæreditarium transtulit.

Eæ ſunt Archiepiſcopatus Bremenſis, Epiſcopatus Verdenſis, Pars Pomeraniæ & Civitas Wismariæ, quarum ſuis titulis inſigniturum deſcriptiones ordine ſuo hic ſubjungemus.

DUCATUS BREMENSIS DESCRIPTIO NOVA.

DUCATUS BREMENSIS, qui uſque ad annum quadrageſimum Octavum præſentis à nato Chriſto decimi ſexti ſæculi Archiepiſcopatus fuit, in Saxoniæ inferioris Circulo Viſurgi, & Albi fluviis terminatur. Prior ex Weſtphalia aquas ſuas pleno, & navigia ferente alveo in Oceanum Germanicum provehens Comitatum Oldenburgenſem ab hoc Ducatu disjungit, & cum Oceano Germanico fines Meridionales, Occidentales, & Septentrionales eidem conſtituit. Poſterior Hamburgo in idem Mare deſcendens oram ejus finit, quæ mediam inter Septentrionem & ortum Cœli pla-

li plagam in conspectu habet. Exitum verò ejus Orientalem Ducatus Ferdensis, & Luneburgensis claudunt. Nomen sibi adscivit ab Urbe Brema, cui inter Emporia Germaniæ celeberrima, & Hanseatico fœdere junctas civitates præcipuas locus haud postremus datur.

De antiquis hujus, & circumjacentium ditionum, & regionum incolis ex veterum Romanorum Geographis & Historicis cum recentioribus aliquid divinabimus. Rectè enim *Seneca in consolatione ad Helviam*: *Assiduus humani generis discursus est: nova urbium fundamenta jaciuntur, nova gentium nomina, extinctis prioribus, aut in accessionem validioris conversis oriuntur. Itaque vix invenies ullam terram, quam etiam nunc indigenæ incolant. Permixta sunt omnia, alius alii successit.* Chauci, Cauchi, vel Cauci Archiepiscopatum Bremensem, Frisiam Orientalem, Comitatus Oldenburgensem, Delmenhor-

horstensem, Diepholtensem, & Hoyensem incoluisse creduntur. Horum vicinos fuisse ferunt Cheruscos, gentem celeberrimam, qui sub Duce suo *Arminio*, vel *Hermanno* tres Legiones Romanas, quibus *Quintilius Varus* præfuit, ad internecionem ceciderunt. Sedes suas habuêre, ut ex *Tacito* colligitur, in Episcopatu Ferdensi, Ducatibus Brunswicensi & Luneburgensi, Episcopatibus Hildesheimensi, & Halberstat., in Comitatu Schaumburgensi, parte Episcopatus Magdeburgensis cis Albim, Marchia Brandenburgensi veteri, parte Comitatus Dannebergensis, & Principatu Lauenburgensi cis Albim. In ipsorum sedibus *Strabo* collocat quoque Chatulcos, qui circa Luneburgum, & Ultzenam domiciliis suis commorati sunt. Campsanos item, & Ampsanos inter Brunschwigam & Wernigerodam tunc temporis habitantes, qui cum Gambriviis *Taciti*

proculdubio ſub Cheruſcorum tutela vixêre. De his populis *Abrahamus Ortelius in Theſauro ſuo Geographico* ſequentia tradit. *Chauci Plinio*, *&* *Tacito*; *Cauchi* καῦχοι *Ptolomæo*, *&* *Paterculo*; *Cauci* καῦκοι *Suetonio*, *Lampridio*, *&* χαῦκοι *Dioni*, *Germaniæ populi ſunt. Hos Chaycos Poëticè appellavit Claudianus ad Stiliconem eo verſu, ut jam trans fluvium non indignante Chayco: quod antè me annotavit Hottomannus in ſua Francogallia. Hos Ptolomæus, & Plinius in Majores & Minores dividunt. Minores ſunt hodiè, ut Iodocus VVillichius vult, Friſii Groningenſes: Majores comprehendunt Bremenſes & Luneburgenſes, ad Hamburgum uſque. Ptolomæi certè Cauchi minores, quos ponit inter Amaſium & Viſurgim fluvios, hodiè Oſtfrieſen ſunt. Cauchos minores vocat Leunclavius ex Dionis 60. Cauchuſios* καυχούσιοι. *Sed Plinius Caucos alios inter Helium & Flevum ſternit. Hos Hadr. Iun. in ſua Batavia Goeylanders facit. Cheruſci Tacito. Pater-*

terculo, & Straboni. Charusici χαιρ8σιxοι *Ptolomæo, quos Vibius sequester Cervecios nuncupat, Mansfelders ego existimo. Luneburgenses mavult Had. Iun. in sua Batavia. Vide Althamerū in Tacit. Ampsani,* ἄμψανοι *Germaniæ populi à Germanico Cæs. devastati Strabo. Gambrivii Germaniæ populi sunt Tacito. Cambray urbem Episcopalem ad Scaldim sitam inde forte nomen habere putat Althamerus. Idem sic infit: Sunt qui Gambrivios in Sicambros, hoc est, Geldrenses cessisse opinantur. Ex Gambriviis Hamburgum facit Peucerus, cui videtur assentiri Hadrianus Iunius. Annius in Berosum, (si his credendum) scribit, Plinium quoque Gambriviorum & Gambriviæ Regionis meminisse, quod mihi ignotum est. Gamabriunos,* γαμαβρίυοι *habet Strabo. Hamburgum, ut hoc addam, olim castellum fuisse, & Hochburg vocatum, scribit Albertus Stadensis. De hujus urbis nomine & etymo multa Goropius in Originibus: at veriora Erpoldus in Chronico Caroli*

Magni Germanica lingua edito. Visurgis οὐισοργὶς *Ptolomæo, & Paterculo, Bisurgis* βισοῦργις *Straboni,* οὐισοῦργις *Dioni: Germaniæ fluvius in Oceanum aquas evolvens: unde VVeser hodie nuncupatur. Vesatis Sidonio & Itargis sive Iturgis Ovidio dici observarunt Hadrianus Iunius, & Turnebus. Erygrus,* ἔρυγρος *Germaniæ fluvius est Dioni 55. Mendose pro Visurgis, vereor, & adfirmat Leunclavius. Phabiranum* φαβίρανον *Ptolomæo Germaniæ oppidum est. Bremen Saxoniæ urbem vocat P. Appianus, Item Peucerus. Bremensis regionis situm lege apud Chytræum in historia Saxonica. VVigmodiam anteà nuncupatam hanc Bremam scribit M. Adamus.* Hæc antiquos incolas concernentia ex *Cluverio & Ortelio* excerpsimus, quorum judicium Lectori committimus.

Anno post natum Christum 788. Carolus Magnus Imperator Episcopatum Bremensem erexit, ejusque rectionem commisit Episcopo primo

mo *S.VVillehado* Anglo. Poſtea Epiſcopatus in Archiepiſcopatum mutatus eſt, ejuſque aliis Epiſcopatibus in Saxonia imperantis cura mandata S. Anſgario primo Archiepiſcopo, quem longâ ſerie cæteri ſequuti ſunt uſque ad ſæculum decimum quintum, quo Religionis mutatio in Germania initium ſumpſit. Poſtquam enim an. 1522. *Henricus Zudphanienſis* Ordinis S. Auguſtini Monachus Euangelicam Veritatem Bremenſibus annunciare inceperat, Miſſa in omnibus Bremenſibus templis, Cathedrali excepto, abrogata eſt, mutationem ſequente obſidione urbis Bremæ anno 1547. de quâ *Dreſſerus part.5.Iſag. Hiſtor.* Mutationem illam excepit Religionis diviſio, quæ incolarum Confeſſiones diſſociavit. Nam Bremæ urbis Magiſtratus & cives Reformatam ſive Calvinianam Religionem amplexi ſunt, & hactenus eandem in templis ſuis exercuerunt, nullius alius Reli-

gionis exercitium admittentes. Sed ipsi Archiepiscopi, cum Capitularibus Lutheranæ Religioni, seu Augustanæ Confessioni se addixerunt, ejusque exercitium ubique per totum Archiepiscopatum introduxerunt, adeò ut nemini alîus alicujus Religionis libertatem permiserint. *Fridericus* Archiepiscopus Bremensis, Episcopus Verdensis, & Coadjutor Halberstatensis, qui *Christiano IV.* patri suo defuncto in Daniæ Regno nuper successit, & ultimus Archiepiscopus fuit, anno 1638. Lutheranæ Religionis exercitium in Cathedrale templum introduxit, utpote qui ejusdem templi possessionem sibi Archiepiscopali jure vendicabat. Ac quamvis se Bremenses opposuerint, ac tàm apud Cæsarem, quàm in Camerâ Spirensi hâc de re conquesti fuerint, amica tamen compositione controversia hęc transacta est, atque Archiepiscopus templum retinuit. Huic Archiepiscopatui

patui subjecti erant Episcopatus Lubecensis, Swerinensis in Ducatu Megapolitano, Lebusensis, Ratzenburgensis, Sleswicensis in Hollatia, & Hamburgensis, ex quibus Swerinensis & Ratzeburgensis pace anno 1648. facta Megapolitanis Ducibus & quatuordecim pagi in præfecturis Hollaticis Trittoviensi, & Reinbeccensi ad Hamburgense Capitulum pertinentes Friderico Hollatiæ Duci jure hereditario possidendi traditi sunt. De Archiepiscopatu Bremensi videantur *Vbbo Emmius lib. 2. ut & passim in sua hist. Fris.* Item *Historia Archiepiscoporum Bremensium inter scriptores rer. Germ. Septentr. Erpoldi Lindebrog. fol.* 111. ut & *VVilhelmus Dillichius in Chronicis Bremensibus.*

DUCATUS BREMENSIS maximâ pars planitie humili æquatur, & multis fluviis, ac fluviolis per via paludibus tàm magnis quam parvis consternitur, ac passim erycetis frequens

quens eſt. Ager tamen fertilis, & paſcua gramine pingui obducta. Hinc re pecuaria florent incolæ, & ex bobus, vaccis, ovibus, porcis, ac equis quæſtuoſa commoda ſentiunt, frumentique generis omnis inopiâ nullâ laborant. Viſurgis Bremam uſque onerarias naves ferens negotiationem addit commodiſſimam, & utiliſſimam, & cum cæteris fluviis, & rivis fluviatilium piſcium copiam ingentem ſufficit. Marinorum item multitudo eſt larga, ac copioſa ex mari Germanico Septentrionale littus alluente. Viſurgis fluvii aquæ ſingulis annis maximam omnis generis mercium navibus minoribus impoſitarum vim ex Weſtphaliȩ & Germaniæ ſuperioris regionibus Bremam provehunt, undè iterum navigia illa minora mercibus ex mari apportatis onerata aſcendunt, & ſuperiorem Germaniam, ac Weſtphaliam earum participes reddunt. Verno tempore quotannis cereviſia

illa

illa Brunſvicenſis, quæ Mum vocata ob ſingularem ſaporem ubique celebris eſt, Bremę navibus impoſita in Belgium, Hollandiam præcipuè, mittitur, ac magno pretio venditur, cui Bremenſes ſuam quoque non minoris ſaporis adjungere ſolent. Ac quoniam diutius in doliis conſervata vim ſuam non amittit, ſed fortior evadit, quotannis à Societate Indiæ Orientalis Bataviam in Inſula Java Hollandorum Coloniam miſſa etiam Indos ſapore ſuo grato delectat. Sunt porrò alii fluvii, quorum rigatione Regio hæc gaudet; ut Alre, Wemme, Drepta, Lun, Geiſt, Stotel, Bolla, Oeſt, Swinge, Auwe & Eſſa, quorum in ſequentibus mentio fiet. Diverſæ quoque Diœceſes in eodem hoc Ducatu inveniuntur; Diœceſis Woerden, Wurden admodum parvo ambitu cernitur, quà Geiſt, vel Geſta fluvius ſub celebri municipio Lee, vel Lea in Viſurgim aquas ſuas evehit. Proximi ſunt

Wor-

Worstenses, quorum districtus ultra Visurgis exitum tendit: Gens bellicosa, & antehac Episcopatui ità subjecta, ut ferè libera fuerit, quanquam ab Archiepiscopis sæpe debellata, & gravibus animadversionibus ac pœnis affecta sit. Nullam civitatem habent, nec etiam arces, ac potando maximè indulgent. Hos sequuntur Hadelarii in diœcesi Hadelaria, quæ olim cum prioribus Frisiæ annexa fuit. Gens superba vestimentorum ornatu & fastu se efferens, easdemq; vestes etiam laboribus occupati non deponentes: unde proverbio locum fecerunt dicenti: quod nullus rusticus in Hadelaria inveniatur. Antehac ad Principes Saxoniæ Lauenburgicos pertinuit hic districtus, in quo Hamburgenses præfecturam Ritzenbuttel hoc tempore in possessione sua habent, & arcem Ritzenbuttel ad ostium Albis fluvii cum insula ante littus, in ipso fluvii exitu sita, & het nieuwe werck/

id

id est, novum opus cognominatam obtinent. Reliqua pars, in qua oppidulum Atterndorf ejusdem nominis arcem appositam obtinens caput est, adhuc Saxonici juris est, ita tamen, ut parum à libertate absit: Excipitur parva portio juris Bremensis, in qua arx & pagus Nyenhaus haud procul ab ostio fluminis Ostæ sedet. Vulgare huic districtui nomen est, Het land te Hadelen. Hadelariis vicini sunt Kedingii in Kedingia, vulgò das Kedingerland, vel Keydingerland inter Ostam & Swingam fluvios. Tandem succedit Altland, Oltland, das Olde Stadeland districtus admodum amœnus, & hortis plurimis ac jucundis exornatus, ac longitudine sua à Swinga, usque ad Essam fluvium & Buxtehudam urbem duo milliaria cum dimidio dimetiens, cujus primaria civitas est Stada Swingæ amni accumbens. Hæc in genere dicta de hoc Ducatu nobis brevitati studentibus sufficiunt.

Nunc

Nunc peculiarem locorum ejusdem descriptionem, quantum in nobis situm fuerit damus, à Præfectura Wilshuysen inchoantes, ex qua extra Ducatus fines sita, iter hoc chartaceum nos in ipsum Ducatum, ac postea ex eo in Verdensem deducet.

WILDSHUSEN PRÆFECTURA nomen nacta est à civitate suâ Wildshusen vel Wildeshusen sita ad fluvium Huntam in Episcopatu Monasteriensi, & habet ab Oriente comitatum Diepholt, à Meridie territorium Vechtense, ab Occidente Cloppenburgensem Diœcesin, & à Septentrione Comitatum Oldenburgensem, à quo Huntæ fluvii alveo disjungitur. Hic supra Opidulum Hunteburg in Osnabrugensi Episcopatu exortus sub eodem in Dummer, vel Dummel Vechtensis territorii lacum, qui partim ad hunc, partim ad Diepholtensem comitatum pertinet, illabitur, & ex eo iterum suprà Diepholt opidulum aliquot

quot alveis egressus eosdem sub oppidulo in unum contrahit, & Wildeshusâ ac Oldenburg superatis sinuoso admodum, & anfractuoso alveo Elsfletam tendit, pagum in sinistra Visurgis ripa in Comitatu Oldenburgensi, suprà quem aquarum suarum onus in dictum flumẽ deponit. Qui Bremâ Oldenburgum iter navi conficere volunt, iis licet secundo amne Visurgis Elsfletam descendere, & Huntam intrare, ut per tædiosos ejus gyros, & anfractus Oldenburgum ascendat.

WILDESHUSEN, WILDSHUSEN oppidum ad Huntam fluvium haud magno intervallo à finibus Diepholtensis Comitatus, ab arce Delmenhorst duobus, & urbe ac arce Cloppenburg tribus milliariis recedit. *Hamelmannus in Oldenburgicis Chronicis part.* 1. *cap.* 21. docet, Urbem hanc cum castro ac toto territorio ab Oldenburgensibus certâ pecuniæ summâ venditam ad Archiepisco-

porum

porum Bremensium possessionem devolutã, & à *Nicolao* Archiepiscopo Bremensi, anno 1429. Episcopo Monasteriensi, qui alteri 4200. florenos mutuo dederat, pignori datam esse, eâ tamen conditione, ut quando vellet, solutione pignus liberaret. Ex hoc loco Monasterienses postea Oldenburgensibus Comitibus multum damni intulerunt, eosque multis vexationibus exagitarunt.

HUNTELOSEN oppidulum in mediâ ferè præfecturâ Huntæ margini vicinum.

CNETHEM oppidulum ad fluvium Lætum, qui ex Vechtensi territorio emergens Wildeshusensem præfecturam percurrit, & supra Oldeburgum Huntæ se jungit.

Atque hæc de præfecturâ Wildeshusen dicenda suppetebant. Jam Ducatum Bremensem ipsum ingredimur, & in finibus Ferdensis Ducatus initium facientes Ducatum ita cir-

circum ibimus, ut ad eosdem fines redeuntibus postea Ferdensem ingredi liceat.

NUWENHUSEN pagus inter Visurgis amnis dextram, & Alre fluvii sinistram ripam, in angusto spacio, quod duo fluvii isti hic in angustias contrahunt, antequam se è regione Tedinghusæ oppiduli conjungant.

ALRE, ALLER, ALLERA fluvius ex adverso oppiduli Tedinghusæ latus Visurgis dextrum perforat, & idem flumen aquis suis auget. Fons ejus est ultra fines Luneburgensi Ducatui & Magdeburgensi Episcopatui communes, supra pagum Gersdorp haud procul ab urbe Magdeburgo, unde suas aquas Giffhorniam in Ducatum Lunæburgensem devolvit, sub ea particeps redditus aquarum ex Isa fluviola per dextrum marginem illabentium. Parum inde progressus auctior fit undis advectis ab Ockera, vel Ocra fluvio Guelferbyto, & Brunswiga adventante,

tante, & sinistram ripam rumpente. Eodem latere sub Zella Luneburgensi civitate Fuse, vel Fues fluvii ex Brunswicensi Ducatu in Luneburgensem se inferentis, & Swartewasser, ac Auwe fluviolorum undis aucti aquas adlabentes excipit. Postea Ducatus Verdensis fines vix transgressus Law (aliis Lein) fluviū sinistrum marginem secantem sibi adjungit. Cunctis his aquis cumulatus Ducatum Ferdensem ac urbem Verden, vel Ferdam percurrit & mox in Ducatu Bremensi perrupto Visurgis fluvii dextro margine omnes aquas congestas è Tedinghusæ oppiduli regione, uti dictum est, evacuat.

Paulo supra hujus dicti fluvii in Visurgis marginis exitum fines Ducatus Bremensis idem flumen transgressi parvum spacium in Comitatu Hoya occupant, & sub Tedinghusâ in alteram partem trans illud revertuntur. Loca ejus sunt quæ sequuntur.

LYN-

LYNDEN pagus exiguus in ripa Viſurgis ſiniſtra.

WOEMERSDORF, WOENERSDORF, WOEMERDORF, itidem pagus, in eodem margine, inter Lynden, & Leenſe.

LEENSE pagus quoque ibidem inter Woemersdorf, & Tedinghuſam.

TEDINGHUSA, TEDINGHUSEN oppidulum infra LEENSE, cui oſtium fluminis Alleræ oppoſitum eſt.

Viſurgis, & Wemme fluvius, antequam ſub urbe Bremâ ſe conjungunt, ſpacium longius ac ſequentia loca includunt, quorum nomina & ſitum breviter indicabimus, cum pagi & vici, aut ſimiles eſſe videantur.

ABERDEN vel AVERDEN, & BAERN in margine fluminis Alleræ dextro commorantur, ità ut prior locus Ducatus Verdenſis termino vicinior, poſterior verò fluenti dicti oſtio propior ſit.

BOLIEN in dextra ripa Viſurgis.

EMEN ab eâdem non procul removetur.

APHUM

APHUM, OBENDORP, MAENDORP, & OSTERHOLT ab utriusque fluenti ripa ad interiora recedunt.

UPHUSEN Alleræ vicinior à Visurgis margine longius abit.

WALLE infra Bremam in dextro Visurgis latere.

GROPPELING ibidem inter Walle & Neddersbuyren.

MOORLOSENKERCKE, OSSELKEHUSEN, & GRAMMEKE inter utrumque flumen ferè in medio triangularem situm efficiunt.

WATERHORST sinistro Alleræ margini accumbit.

TERBURGH infra priorem locum à Bremensibus in proximo cum Suecis bello, quo Bremenses aggressus est Konigsmarckius, Ducatus hujus Gubernator, à Bremensibus militarium operum beneficio firmatus est.

MOERLOSEN in ipso apice, quem duo fluenta Visurgis & Wemme coëundo efficiunt.

WEMME fluvius ex Ducatu Lunebur-


BREMA
die Vorstatt
flus
die newe Statt
1. S. Stephani Kirch.
2. S. Anschary kirch.
3. Der Dom.
4. V. l. Frawen kirch.
5. Raht hauß.
6. Der Marckt.
7. S. Weilisadi kirch.
8. Suder thor.
9. S. Martins kirch.
10. S. Steph thor.
11. Des Doue thor.
12. S. Anschary thor.
13. Des Harden thor.
14. Oster thor.
15. das Sein thor
16. Wester thor.

neburgensi egressus, & Verdensis Ducatus fines Septentrionales à Ducatu Luneburgi Meridionalibus disterminans sub Vintel Ducatus Bremensis oppidulo se ad Meridiem inclinando in Verdensem Ducatum revertitur. Sub Nider-Rodenborg ejusdem Ducatus oppidulo se in Ducatum Bremensem recipit, & aquas suas in Occidentem volutatas sub præcedenti loco Moerlosen in Visurgim præcipites agit.

BREMA, BREMEN olim Archiepiscopalis sedes, nunc verò Ducatus hujus metropolis, inter præcipuas Hanseatici Fœderis civitates numeratur, & negotiationis, quam terrâ marique exercet, nomine ubique nobilitata, situm habet in Visurgis margine dextro, qui Septentrionem aspicit. Territorium ejus, Ducatui Bremensi, Verdensi & Luneburgensi confine, trans Visurgim Comitatibus Hoyensi & Oldenburgensi contiguum est. Horum locorum in-

colæ olim fuerunt veteres illi & bellicosi Chauci, de quibus *Tacitus lib. de moribus Germanorum. Chaucorum gens incipit à Frisiis, & partem littoris occupat omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed & implent: Populus inter Germanos nobilissimus.* Chaucos autem dividit *Ptolomæus lib. 2. c. 11. Partem, quæ secus Oceanum est, habitant suprà Busactores Frisii usque ad Amasum fluvium: Post hos Chauci, qui appellantur parvi, usque ad fluvium Visurgim: deinde Chauci Majores dicti usque ad Albim fluvium.* Assentitur *Plinius lib. 16. hist. cap. 1. Sunt in Septentrione visæ nobis Chaucorum gentes, qui Majores Minoresve appellantur.* Deposito hoc Chaucorum nomine Saxonum appellatio veteribus illis ignota incolis postea obtigit. Appellati sunt Ostvali, sive Saxones Orientales, qui hodiè adhuc Saxones sunt & inter

Visur-

Visurgim & Albim fluvios domiciliis suis hærent: & Westphali sive Saxones Occidentales, qui hodie Westphali trans Visurgim sedibus suis morantur. Confer cum his ea, quæ in principio descriptionis hujus Ducatus ex Ortelio & Cluverio de antiquis horum locorum incolis allata sunt.

De nomine Brema in diversas sententias discedunt authores. Sita urbs fuit in Wigmedia, juxta Diploma fundationis Diœceseos Bremensis, cujus nomen cum Chaucis interiit. Ptolomæi Phabiranum fuisse creditur. Nonnulli Bremma scribunt, nomenque petunt à Rubo frutice, qui Saxonibus Bremmen vel Braemen dicitur. Alii suspicantur, nomen hoc ipsi ortum esse à latis illis navigiis, quibus flumina trajicientibus nomen apud Saxones Praemen est, eo quo hoc in loco olim trajectus fuerit. Quidam à Braemen Genistam his in locis maxima copia

nascentem significante nomen derivant. *M. Martinius in Lexico Philologico* autumat, quoniam in Imperii Romani finibus Brema sita est, ideo hoc nomen eam nactam esse à fimbria, Saxonibus inferioribus Breme, vel Saum dicta, quod quasi fimbria sit Imperii Romani. Historici Poloni narrant, Lectium Principem suum hoc in loco munimentum condidisse incolis admodum molestum, ac ideò Breremie, hoc est, onus nuncupatum. Refert hoc *Cromer. ex Vapovio de gest. Polonor. libr. 2. in principio*, cui contradicit *Cluver. in Germ. antiq. lib. 3. cap. 18. f. 47.* Communis Geographorum sententia Bremam *Ptolomæi* Phabiranon esse statuit. *Vid. Munster. lib. 3. Cosmogr. cap. 453. Mercat. in Atlante tab. VVestphal. 1. Bertius in Commentar. Magnæ Germ. p. 106. & in civitate Bremensi, ubi citat Francisc. Irenicum. Martinius in Lexico Philologico, verbo Phabiranum, ubi allegat Appianum, & Peucerum. Petrus*

Clu-

Cluverius sup. allegat. lib. 3. c. 18. Hæc verba habet: *Apud Ptolomæum locus Germaniæ legitur, nomine φαβίρανον, Fabiranum, cujus situs probè quadrat in celebrem nunc urbem, in dextra Visurgis ripâ Bremen. Nec nomen omninò abhorret; nam dempta priore syllaba reliquum Biranum satis aperta gerit vestigia vocabuli Bremen, & quid scio, annon M. apud Ptolomæum corruptum sit in N. integrumque vocabulum fuerit Phabiramum.* Certum profectò & indubitatum est, Phabirani apud *Ptolomæum lib.2.Geogr. c.* 11. & hodiernæ urbis Bremæ situm optimè convenire.

De ortu autem, conditoribus, & tempore, ex quo surgere cœpit, propter barbariem sæculorum Christi nativitatem sequutorum nihil certi constat. Quæ autem ex authoribus haberi potuerunt, in brevi hujus urbis, rerum gestarum narratione mox sequutura invenientur.

Situs in ripa fluminis Visurgis cum

Urbis Ulmæ ad Danubium in Suevia ſedentis ſitu comparatur: quæ comparatio in Veteri Urbe locum habet. Nam ſi jam ad ſitum hodiernum tàm Veteris, quàm Novæ Urbis contemplationem adjicias, in longitudinem in utraque ripa Viſurgis exporrecta ovalem figuram repræſentat. Tota civitas undique validiſſimis operibus bellicis munita, & vallis, foſſis, ac propugnaculis circundata obſidionum hoſtilium tentamina facilè & morari, & eludere poteſt. Oppoſitæ ripæ novum opus validiſſimis item munimentis firmatum, ab altera, ſiniſtra nimirum fluminis parte, molitiones hoſtiles arcet, ità ut fluminis uterque margo tantorum operum præſidio, & tutela gaudeat. Nova hæc civitas anno 1623. ædificari cœpta, quamvis adhuc, ut nuper exordium capiens, ædificiis nondum frequens ſit, propugnacula tamen octo firmiſſima, foſſamque admodum latam campo Meridio-

ridionali opponit. Portis duabus patet. Uni Suder Thor, id est, Meridionali Portæ, alteri Wester Thor, id est, Occidentali portæ nomen est. Quà ad meridiem vergit ædibus frequentior templum ostentat, Novi templi nomine signatum. Pons ligneus Visurgi incumbens, & artificioso opere ita compositus, ut diversæ molæ ipsi adhæreant, & molendo Urbis necessitati inserviant, utramque veterem & novam urbem conjungunt. In fronte pontis, & nova civitate, ac sinistra Visurgis ripa turris est & munimentum, aut potius castrum, das Castel, die Braut, id est, Sponsa cognominatum, & parvæ Visurgis, quæ se hic in magnam præcipitat, undis circumfluum, quod pontem in hoc latere tuetur. Proxime pontis hujus in veterem urbem exitum, & dextra fluminis ripâ versus Occidentem ædificium cernitur rotam illam memorabilem complectens, quæ ex Visurgi, quam hau-

ſtam, & per tubos, ac canales occultos in civitatem deductam plæriſque ædificiis ſuppeditat. Viginti quatuor horarum ſpatio decem mille dolia ſeu tonnas aquæ exhaurire, & in urbem promovere dicitur. Nec putei civitati huic deſunt; quorum tamen aqua cereviſiæ & aliis cibis in culina coquendis illâ, quæ ex Viſurgi hauritur, minus idonea eſſe fertur. Urbis autem ædificia plæraque ex lapidibus coctis, aut etiam vivis & lapidicinis montium exciſis conſtructa, ac eleganter concinnata imbricibus coctilibus teguntur, nullique licet ad ædes tegendas materiam aliquam combuſtibilem adhibere, ut incendia quævis quocunque modo præcaveantur. Plateæ lapidibus eleganter conſtratæ, & ubique planę nullam inæqualem altitudinem admittunt, excepto templo Cathedrali, eique adjunctis ædibus & plateis, quæ editiori loco impoſitæ ſunt. Vetus civitas, porta aditum in pon-

pontem præbente excepta, quinque alias exteriores habet. Prima Das Oster Thor, id est, Porta Orientalis turri interius, & propugnaculo valido exterius munita Orientem aspicit. Huic alterum adjunctum est propugnaculum, quod proximè conjunctum cum alio opere militari, cui à figurâ, cornuti operis nomen indidêre artifices, huic urbis lateri patrocinatur. Haud procul inde sequitur altera porta Harden Thor, id est, gregum porta, cui nomen fecerunt pascui agri, & campi, civium pecoribus & pecudibus alendis destinati. Huic inscriptus est versus notatu dignus:

Brema, ut sis sospes, sic fortior hospite hospes.

Tertia & pręcedenti propinqua porta *S. Ansgarii* porta nominatur à proximo *S. Ansgarii* templo, quod cum parvo Capitulo Hartvicus anno 1182. in *S. Ansgarii* vel *Anscharii* Bremensis Episcopi quarti memoriam

moriam erigendam curavit. Quarta, quæ cum duabus præcedentibus tertia & ſecunda in Septentrionem proſpectu ſuo fertur, Das Dove Thor, id eſt, Dovana porta nominatur. Quinta in occaſum prona *S. Stephani* porta eſt, cognominata à S. Stephani templo, quod in vicinia conſpicitur. Sedet inter duo propugnacula, quorum unum anno ſeculi præſentis decimi ſexti ſecundo extructum eſt: alterum poſtea priori acceſſit. Unum item Viſurgi contiguum eſt; alterum ad ſiniſtram hanc S. Stephani, & ad dexteram Dovanam portam habet. Aliquot urbem veterem templa decorant. *S. Stephano* conſecratum templum in angulo veteris urbis, qui Occidentem ſpectat, haud longè à porta, quam ſui nominis participem vicinum habet. Elegans eſt, & luci admodum pervia. Sita olim erat in ſuburbio, cum pars hæc urbi nondum incluſa eſſet, ubi Collegium

Canonicorum institutum fuerat, translato eodem Collegio *VVillehadi* ab *Adalberone* Archiepiscopo. *S. Nicolai* fanum parvum mutatum hodie in Xenodochium, in quod pauperes viduæ recipiuntur. Hinc platea ad *S. Stephani* portam recta excurrit. *S. Iacobi* delubrum exiguo quoque spacio inclusum, in quo *S. Anscharii* Canonicos sacris operari solitos dicunt. *S. Ansgarii*, vel *Anscharii* templum, quod portæ à se denominatæ vicinum anno 1182. *S. Ansgarii* primi Archiepiscoporum Bremensium honori dicatum est. Collegium Canonicorum huic templo adjunctum fundationem & reditus suos acceptos fert Archiepiscopo Bremensi *Hartvico II.* qui in medio Choro, ut vocant, templi illius sepulturam suam habet. Intus templo ipsi ornatum haud exiguum conciliant epitaphia, candelabra in coronæ speciem fabrefacta, & Organon Musicum tubis suis suavem

concentum efficiens. Turris ejus lapide vivo & quadrato in altum promotus & cupro tectus fastigium VI. Id. Aprilis anno 1647. tempore nocturno fulmine tactum, & exustum amisit, quod postea redintegratum est. *S. Mariæ* seu *Beatæ* Virginis templum à tergo Curię, antiquitate cæteris antecellens, ut fertur. Conditum nempe anno 1160. *Adalberonis* Archiepiscopi tempore à tribus fratribus Ecclesiasticis, primum & unicum in tota urbe templum Parochiale fuit, donec anno 1229. Pontificis *Gregorii* permissu, propter populi multitudinem grandem Urbs in quatuor parochias divideretur. Duabus turribus, & eleganti Organico Musices instrumento decoratur, & in eodem, Ecclesiarum Bremensium Ministri conventus suos celebrare solent. *S. Martini* templum in Visurgis ora dextra proximè pontis portam civibus anno 1375. ejus structuram ordientibus ortum suum debet,

debet, & epitaphia admodum elegantia oſtentat: *S. VVilhadi* templum fori oram Orientalem claudens, quod proprii Canonicatus & fundationis jure fruitum eſt, conjunctione poſtea tamen facta cum collegio *S. Stephani*, ut in modò præmiſſis dictum eſt. Cathedrale templum priori verſus Meridiem, & Curiæ verſus Occidentem oppoſitum, & *S. Petro* Sacrum *VVillehadus* primus Bremenſium Archiepiſcopus anno 788. ex ligno condidit. Exuſtum ducentis & quinquaginta quatuor annis poſt ex cineribus novum eduxerunt *Adelbertus* & *Liemarus* Archiepiſcopi, ac lapide vivo totum conſtruxerunt, adeo ut ex ligneo lapideum factum longè pulchrius & elegantius ſurrexerit, in quo haud pauci Archiepiſcopi aliique magni nominis ſacrarum rerum Antiſtites monumentis ſuis reconditi quieſcunt. Duabus ſuperbiebat turribus, faſtigiis aërem altè penetrantibus,
qua-

quarum quæ adhuc ſupereſt, anno 1446. conſtrui cæpta omnes totius urbis cæteras altitudine ſuperabat. Altera verò VI. Kal. Febr. an. 1638. ante primam pomeridianam cum campanis omnibus, quarum decem tàm magnas quàm parvas fuiſſe quidam dicunt, tribus vicibus decidens, ita ut tertia parte minor evaſerit, duas ædes, atque in iis octo homines oppreſſit, tertiamque ruinoſam reddidit. A prima ejus extructione trecentos annos elapſos eſſe ajunt: Decem autem annis ante lapſum aut ruinam à faſtigio uſque ad imam partem rimam egiſſe, quo tempore minore ſumptu reparari potuiſſet. Univerſum hoc templum cupro tectum fuit, antequam anno 1553. fulmine tactum tecto illo cupreo privatum eſt. Poſtea plumbo illud operuerunt. Anno 1530. Pontificiis ceremoniis abrogatis, ſequentibus 1533. & 1534. inter Archiepiſcopum *Chriſtophorum*, & Senatum

Bre-

Bremenſem res ita tranſacta eſt, ut Ceremoniæ Pontificiæ in templo Cathedrali abrogatæ uſque ad Concilium Generale quieſcerent. Anno 1638. Lutheranæ, ſeu Auguſtanæ Confeſſionis exercitium à *Friderico* Archiepiſcopo nunc Daniæ Rege in hoc templum introductum eſt. In Suburbio eſt Xenodochium & templum *S. Remberti*, ad quod nonnulli circumjacentes pagi pertinent, qui cum Suburbanis Bremenſibus illud commune habent. Anno 1547. cum Brema obſideretur, totum exuſtum anno 1596. nova ſtructura renovatum eſt. Præter *S. Pauli* monaſterium celebre ordinis *S. Benedicti* Monachis inhabitatum, quod anno 1523. ob alicujus invaſionis hoſtilis metum Bremenſes diruerunt, duo fuere alia Cœnobia in urbe hac Brema: unum *S. Catharinæ* olim Nigrorum ſeu Ordinis Prædicatorum Monachorum habitatio, poſt reformationem autem Gymnaſio & Scholæ

Illu-

Illustri destinatum: Alterum *S. Iohannis* Franciscanorum Minoritarum Monachorum olim sedes, hodierno tempore in Xenodochium mutatum. Xenodochia aliaque ejusmodi ædificia sacris & aliis usibus destinata sunt, ut hic ordine sequuntur. *S. Iohannis* Xenodochium modo nominatum, in quo pauperes senectute confecti, aut mente capti cibo, potu, igne, & habitatione sustentantur. In ejus templo autem singulis septimanis conciones haberi solent. Postquam *S. Georgii* Xenodochium *S. Anscharii* templo confine anno 1597. incendio deletum est, ejus bona & reditus huic Xenodochio adjuncti sunt: quod etiam factum cum *S. Gertrudis* Xenodochio, cujus in vetus Granarium mutati reditus huic Xenodochio cesserunt. *S. Elisabethæ* Domus in qua nonnullæ ætatis provectioris viduæ aluntur. Talis est etiam Domus *S. Nicolai* iisdem usibus dicatum. Beginen haus, id est,
Moni-

Monialium Domus, inserviens alendis aliquot virginibus, quæ extra matrimonium viventes puellis instituendis & docendis operam dant. Orphanotrophium institutum ex donatione cujusdam ex urbe Neapoli in Regno Neapolitano oriundi, qui *Tarquinius de Montignano* nuncupatus Bremæ vixit & mortuus est. Hujus ædificii structuram an. 1598. extrui cœptam aliorum liberalitas posteà ita promovit, ut haud parvus puerorum & puellarum parentibus orbarum numerus tàm diu educari queat, donec artificiis aliisque artibus imbuti victui & amictui suo prospiciant. Vestimentis rubris induti, de rothe Kinder, id est, rubri liberi nuncupantur. Domus Nautica anno 1545. fundata, & ex Mercatorum, & Nautarum largitionibus orta, iisdem hactenus sustinetur, ac alimenta, & habitationem subministrat numero haud exiguo senum, qui vel jacturis & damnis marinis ad inci-

incitas redacti sunt, vel alio aliquo pacto in paupertatem inciderunt. In Suburbio *S. Remberti* Xenodochium, ejusdem nominis Archiepiscopo originem suam adscribit, temporibusque sequentibus, ac administrationi rerum suarum diligenti & sollicitæ divitiarum, quas possidet, incrementa accepta fert. Senes tam Masculini quam Fœminini sexus hîc totius vitę suæ spatio alimentis, & cæteris ad vitam colendam necessariis rebus affatim fruuntur. His addendum Ergastulum, seu Ergasterium, Das Zuchthaus, id est, Domus in qua perditæ & profligatæ vitæ homines tàm mares quam fœminæ, tàm adulti, quam pueri severâ disciplinâ, & duro labore labori, & vitæ frugaliori & honestiori asuescunt, dum ab otio, improbitate & malitiâ suâ abducuntur, & ad meliorem vitæ rationem redire coguntur. Hinc à diversis Politicis locus hic laudum debitarum præconio extollitur. Vide

Rein-

Reinking.lib.2.class.1.de regim.saecul.c.7.n.6. Maximil. Faustum in consil.pro aerar.consil.455.circà fin. Limnaeum de jure publ.in addit.ad lib.cap.7. nu. 15. Postquam vero in Germania proximis bellis & seditionibus omnia turbata sunt, laudabilis haec disciplina & malos corrigendi ratio optima anno 1629. collabi incepit; Redintegrata tamen & restaurata anno 1644. à Nobilissimo & Amplissimo hujus civitatis Magistratu, qui aliam curavit adhuc domum adjungi pro iis, qui victus & amictus quaerendi causa labori sponte inhiant; ut hanc domum ingressi mares ligna illa exotica serrae beneficio in scobem redigant & foeminae ac puellę fila ducant, atque ità mercede accepta victui & amictui consulant. Anno 1647. turris proxima Pyrii pulveris copiam haud exiguam continens, cum incenderetur, vicinas domos & inter eas utramque hanc in terram dejecit, quae anno 1650. Magistratus jussu

su iterum erectæ sunt. Post remotam Pontificiam religionem, & Reformatam anno 1522. in ejus locum introductam, quæ adhuc hodiè in templis ac Scholis Urbis, totaque ejus ditione exercetur, Amplissimus Magistratus Monasterium *S. Catharinæ* in Scholam mutavit, & anno 1528. primum eidem Rectorem præfecit *Iohannem Oldenburgium*. In hac Schola juventus sine ullo didactro, aut minervali pietate, bonis litteris, artibus liberalibus, & linguis singulari diligentia imbuitur. Posteà Scholæ huic triviali octo classibus constanti, adjuncta est Schola Illustris, seu Gymnasium Illustre, in quo hactenus Philosophia, & Philologia, ut & tres istę facultates superiores Theologia, Jurisprudentia, & Medicina publicis lectionibus, quæque in auditorio suo studiosę juventuti proponuntur, adeò ut ex aliis regionibus, regnis & Provinciis haud exiguo numero studiosi affluentes frequentiâ non conte-

temnendâ in his Musarum Castris eruditionis consequendæ causa militent. Hinc Gymnasium hoc in Germania celebre inter plures doctos & eruditos viros & sequentes produxit, qui doctissimis suis scriptis ad posteritatem famam suam propagarunt. Ii sunt *Euricius Cordus, Ioachimus Meisterus, Iohannes Molanus, Nathan Chytræus, Christophorus Pezelius, Vrbanus Pierius, Iohannes Esychius, Matthias Martinius, Iohannes Lampadius, Henricus Bruningius, Henricus Isselburgius, Lodovicus Crocius, Conradus Bergius, Iohannes Combachius, Gerhardus de Neufville, Iustus Reiffenbergius, Iohannes & Balthasar VVillius, Iohannes Coccejus, Hermannus Hildebrand, & Iohannes Tesmarus.* Superioribus annis in conclavi lato & amplo Bibliotheca elegans & insignis adornata est, plurimis libris insignibus tàm manu exaratis, quàm prælo exscriptis scatens, & plures res alias rariores ostentans. In eâ reposita sunt anno

anno 1647. diversæ urnæ ossibus combustis, & cineribus repletæ, ac nuper repertæ in Bremensi Præfecturâ Behderkes, & vici Lehe viciniâ, sub tumulis ac monumentis Chaucorum, & alibi in terra, ubi etiam inveniebantur ferramenta rubigine infecta, verticilli cretacei, seu spondyli, quos fila nentes fœminæ fusis annectebant, ut facilius & promptius verterentur, cœrulea quoque & rubra coralia, succinum, & silices acutæ. Vide *Cluver.lib.*1.*Germ.Antiquæ cap.*23. Reliqua ædificia & loca publica sunt: Forum, Curia, Armamentarium, Domus Mercatoria, Bursa, Granarium, Cella urbis vinaria, & alia, quibus amplissima hæc civitas exornatur. Forum elegans & amplum muro aliquot pedes alto, & aditibus diversis introeuntes & exeuntes admittente & emittente cingitur. In eo non solum Mercatores de negotiis suis conferendi causa quotidie convenire, sed & pisces, car-

nes, olera, aliaque id genus venalia exponi videas. Quà Septentrionem intuetur, Curiam pulcherrimam & elegantissimam in conspectu habet. Ædificium antiquitatis splendore excellens structuræ suæ initium ad annum 1405. refert, & plurium conclavium & structurarum accessione superioribus annis magna incrementa sumpsit. Exterior ejus facies statuas Imperatoris & Electorum, ut & prisci sæculi sapientum, Platonis, Aristotelis, Ciceronis &c. lapideis statuis repræsentatas imagines oculis subjicit. Sub Curiâ operis arcuati vinaria Cella publica ad ærarium urbis pertinens, mediocri pretio omnis generis vina & cerevisias eò potum venientibus promit. Ante Curiam pluribus tiliis consitum ambulacrum deambulantibus recreationem parit, ubi versus Orientem in conspectum cadit Imperatoris *Caroli Magni* statua lapidea; cum insignibus ejus imperialibus suprà caput, in scuto media

linea

linea in duas partes diviſo, in quarum una Imperii aquila dimidia, & altera tria lilia conſpiciuntur. Quà Orienti obverſum eſt forum, in S. Willehadi templum è regione ſitum, emittit proſpectum, & in latere poſitum aſpicit templum Cathedrale cum aliis ędificiis ſplendidis è regione Curiam intuens. Quà latus ſuum in Meridiem tendit, vicinam tangit domum Mercatoriam, Der Schutting, vel Das Kaufmans haus nuncupatam, & è regione Curiæ ſitam, in qua ſexdecim Seniores (Elterleute, ut vocant) conventus ſuos agere ſolent, ſi quando de rebus urbem aut populum concernentibus, & à Senatu propoſitis deliberandum eſt. Ex lapide quadrato & vivo conſtructa eſt anno 1537. ac elegantibus, & pulchris tricliniis, & conclavibus exornata. In altero angulorum lateris Orientalis conſpectui ſe offert locus, in quo malefici, qui ultimo ſupplicio non afficiuntur, virgis cædi,

& a-

& aliis infamiæ notis, publici exempli causa, puniuntur. Prangher ei nomen Germanicum est à Pranghen fortè, quod est, se magnifice ostentare, quia malefici eo in loco pœna merita affecti ostentantur, ut quasi publicum ignominiæ meritæ exemplum ibi exhibeant. In angulo lateris Septentrioni se obvertentis, & è regione Curiam habentis erecta cernitur statua Rolandina manu dextra gladium tenens, & sinistra scutum exhibens, in quo aquila depicta est. Signum est Libertatis, & Immunitatis huic Urbi ab Imperatore *Carolo Magno* concessæ, quam inscriptio scuti sequens testatur;

Vryheitt / do ick yu openbahr /
De Carll / vnd mannig Forst vorwahr.
Deeser Stadtt gegeven hatt.
Des danckett Gode / is min Rath.

Tandem Occidentale fori latus claudunt ædificia aliquot admodum splendida, ex quibus publica sunt Pharmacopœa urbis publica, vecti-

galium Domus, & Taberna vinaria publica, in qua Magiſtratus nomine & juſſu vinum publicè pretio tolerabili venditur omnibus, qui vino recreandi aut exhilarandi ſe cauſâ illam frequentant: qui mos in plæriſque Saxoniæ & Weſtphaliȩ urbibus obtinet, ut ad lenienda & toleranda onera publica Magiſtratus nomine in ejuſmodi tabernis vinum venale proſtet. Armamentarium tubis & cannis illis majoribus & minoribus, armiſque aliis, rebuſque omnibus ad bellicas expeditiones requiſitis inſtructiſſimum in platea ſedet, quæ ad portam Herdenthor protrahitur. Granariorum, aut horreorum publicorum vetus proxime S. Martini, novum propè S. Stephani templum oſtenditur. Magna frumenti copia quotannis in hæc granaria ſeponitur, quo neceſſitati publicæ, ſi opus fuerit, ſuccurri queat. Accedunt tribuum quoque horrea, quæ frumentum quodque à ſua tribu repoſitum

ſitum recondunt. Præterea ſtatuta & leges jubent, ut quiſque piſtorum frumenti certam copiam in promptu ſemper habeat. Tandem & Mercatores in tabulatis & horreis ſuis magnam frumenti multitudinem ſeponunt, ut vel navibus aliò tranſmittant, vel in Civitatis uſus convertant. Salis marini quoque copia ingens ſuis in locis ſemper in promptu eſt, ut & Carbonum foſſilium, ne rerum ejuſmodi neceſſariarum penuriâ, in anguſtiis occurrentibus, ullâ civitas premi poſſit. Suburbium duplex: unum am Stein thor nuncupatum à porta ſua Stein thor, id eſt, lapidea porta: & alterum nomine Uth Bremen vel exterior Brema. Utrumque populoſum ſeptingentis familiis inhabitari fertur: vallis, foſſis, & tranſverſis trabibus atque arboribus viam claudentibus inexpectatos impetus ſiſtunt. In veteri civitate, & dextra Viſurgis ripâ, inter *S. Martini* templum, quod non longè abeſt à

ponte, & novum granarium longus & ſpatioſus eſt locus lapidibus ſtratus, quem Slacht incolæ vocant. In eo merces navibus imponi, aut ex navibus in terram deferri ſolent. Plateæ in locum illum exeuntes portas ſuas habent, quæ nocturno tempore claudi ſolent.

Civitas porro hæc celeberrimi fœderis illius Hanſeatici membrum non poſtremum in civitatum Hanſeticarum conventibus tertium ſeſſionis locum obtinet, & Coloniam ſecundo loco ſedentem ſequitur. Lubeca enim prima toti fœderi præſidet, fœderiſque archiva & monimenta cuſtodit. Quoniam etiam civitatibus Hanſeaticis in nuperis turbis & tumultibus bellicis conventus ſuos agere, & rebus ſuis deliberatione neceſſaria conſulere integrum non erat, tribus vicinis civitatibus Lubecæ, Bremæ, & Hamburgo in mandatis datum eſt, ut communis utilitatis & commodi omnes totius Hanſeatici

Fœde-

Fœderis civitates concernentis rationem haberent: quod ab ipsis factum, ut anno 1628. commune interesse civitatum Hanseaticarum curæ inprimis habuerint, & ad nuperam Monasterii & Osnabrugi in Westphalia pacis transactionem suos Legatos miserint, & obtinuerint, ut Hanseaticæ civitates pacis instrumento insertæ ejusdem conditionibus & fructibus frui debeant & possint. Insignia hujus Urbis Bremæ in scuto suo depictam ostendunt clavem argenteam in rubra area, quamvis in ædificiis ejus haud paucis, & aliis monumentis aquila imperialis cernatur. Imperatoris *Henrici V.* certè privilegio Bremensibus concessum est ut in signum libertatis & gratiæ possint ornare signum Rolandi clypeo & armis Imperialibus: Ita *Caroli V.* privilegio, quo Bremensibus numismatum cudendorum libertas permissa est, ipsis quoque indulgetur, ut numismatibus suis præ-

ter usitata urbis insignia etiam Imperialem aquilam imprimere possint. Cives benigni, liberales, & hospitales externos, & peregrinos humanissimo favore complectuntur, in opibus & facultatibus augendis laboriosi sunt, & seduli; Majore eorum parte mercaturam exercente, aliis agriculturæ operam dantibus, ac nonnullis cerevisia coquenda sibi de necessariis prospicientibus. Cerevisia illa tàm rubri quam albi coloris sapore optimo & gratissimo palatum permulcet, & ea de causa in Hollandiam & alias regiones mittitur. Præter saporem sana etiam creditur, eò quod nullos flatus, nullaque in intestinis tormina excitat. Civitas populosa est, ac incolis satis referta, civesq; distributi in catervas militares quasque suum certum signum ac vexillum habentes. Nulli autem sine Senatus permissu in hac urbe rerum ac fortunarum suarum domicilium locare, aut negotiationis alicujus exercitio incum-

cumbere licet. Necesse vero est, ut jus civitatis sibi acquirat, & jurejurando Senatui ac civitati se adstringat. Nulli peregrino juramentum hoc præstare conceditur, nisi prius in duorum civium sponsorum præsentia jurejurando affirmaverit, se integræ vitę studiosum à seditionibus abhorrere, ac mancipii jure nemini obstrictum esse. Ac si fortè aliquis civis factus alii jure mancipii aut servitutis obnoxius fuisset, unius anni spacio post civitatem datam præscribitur libertas, jure privilegii, quod Imperator *Carolus Magnus* Bremensium Civitati largitus est, & Imperator *Fridericus I.* anno 1186. confirmavit. vid. *Limnæum in addit. ad lib. 7. de jur. publico, c. 7, num. 2.* Civitatis incolæ sunt Senatus, Eruditi tam Ecclesiastici quàm Politici, Patricii, Mercatores & Opifices. Mercatores in Societates suas divisi Seniores suos (Elterleutte) habent. Opifices in tribus sua distincti Inspectoribus aut præsidi

bus suis subsunt, qui ex Senatu delecti Morgensspraecks Herren nominantur. His adjuncti sunt Tribuni, quorum quisque ex tribus suæ fratribus electus fidelitatis juramento Senatui & tribui se obligat. Quævis autem tribus suis à Senatu concessis privilegiis fruens pręter alia, quæ fert onera certum sclopetariorum numerum, bellicæ necessitatis tempore ingruente, ad necessariam civitatis defensionem subministrare tenetur.

Politicæ rectionis administratio usque ad Cæsaris *Ottonis I.* tempora erat penes Cæsaream potestatem & Judiciariam manum, quo nomine Magistratus Rectionis clavum tenentes tunc temporis appellari solebant. His potestatibus Cæsareis (Reichs-Vogten appellatis) *Adeldago* Archiepiscopo intercedente, abrogatis (quod & in aliis Civitatibus Imperialibus factum est) Proconsules, ac Consules usque ad annum 1307. rerum summæ præfuerunt. Ad

Oli-

Oligarchiam administratione tunc temporis inclinante, diversæ familię veteres, ob injuriarum & violentiarum exercitia crebra, cum conjugibus & liberis à Populo ejectæ sunt. Mansit quidem penes Proconsules, & Consules Reipublicæ administratio, ita tamen, ut eorum numerus triginta tres personas non excederet, & præterea in mortui locum ex ea Parochia, in qua mortuus erat, & non ex alia, unus substitueretur. Anno tamen 1391. Bulla à Pontifice *Bonifacio* impetrata Senatui Sacramento priore soluto concessit liberam electionem nullam certam parochiam spectantem, sed optimum & Reipublicę utilissimum quemque eligentem. Anno 1426. seditio vehemens in Urbe excitata veterem Senatum expulit, novumque creavit, cui cum civibus à Cæsare Sigismundo aqua & igni interdictum cum esset, vicini Principes, Comites, & Civitates eò rem deduxerunt, ut re-

ſtituta fuerit. Anno 1530. ſeditio recruduit, & centum ac quatuor viri adminiſtrationis participes eſſe voluerunt. Conatu hoc ſucceſſu ſperato carente, ſeditioſi pœnas luerunt, & centum ac quatuor viri propoſito ſuo ſuperſedere coacti ſunt. Iidem enim Principes, Comites ac civitates anno 1534. ad rectionem priſtinam civitatem reduxerunt, & maximè caverunt ne inſcio Senatu conventicula agerentur, in Societatibus & tribubus nihil aliud quam quod negotiationem, & opificia concerneret, proponeretur, & tribus ipſæ inſciis Senatoribus ipſis ex Senatu adjunctis convenirent. Senatus autem conſtat quatuor Conſulibus, & viginti quatuor Senatoribus, ac in quatuor partes diviſus eſt, ita ut quiſque Conſulum ſex Senatores habeat ſibi adjunctos, cum quibus civitatis in quatuor quoque partes diviſæ partem ſibi aſſignatam regit. Inter hos Conſu-

les & Senatores munera civitatis publica diſpertiuntur. Ex Conſulibus, qui toto ſuæ vitæ tempore hoc munus gerunt, duo annuatim Rempublicam adminiſtrant, ita ut unus dimidium annum Senatui toti præſit, & proponenda proponat, ac alter ſequenti anno dimidio eodem præſidis munere fungatur. Anno ad finem perducto ad reliquos duos ſequentis anni adminiſtratio devolvitur, eoque abſoluto ad priores duos vices redeunt. Totum Senatum Bremenſes de Witheit, Weisheit, aut den Weiſen Raet, id eſt, Sapientiam, aut Sapientem Senatum, vel Sapiens Conſilium nominare ſolent. In hunc Senatum adſciſcuntur ex civibus maximè idonei & habiles, præcipuè autem viri doctrina & experientia clari, ut & mercatores inſigni rerum uſu exercitati. Cum gratia & favore hic omnis cognatio, omnis affinitas, & propinquitas excluduntur. Soli in Senatorium hoc Collegium

adſciſcuntur, qui ob virtutes, merita, aut eruditionem digni judicantur. *Ioh. Angel. VVerdenhaghen fol. 421. item part. 3. de Rebuspubl. Hanſeat. cap. 2. & 12. & in Antegreſſu part. 4.* Conſule aut alio Senatore defuncto, aut ob imbecillem valetudinem, vel ſenectutem munus ſuum deponente, ſequenti mox die alius eligendus ex toto Senatu, qui Conſuli defuncto ſuccedat, aut ex civibus, qui defuncti Senatoris locum occupet. Ex quaque autem urbis regione ſive Conſulem ſive Senatorem, & ita quatuor ſortiuntur perſonas, qui ſtatutis Urbanis ſacramento fidem ſuam aſtringentes quod optimum & utiliſſimum totius civitatis civem Senatorem creare velint, conclavi includuntur, nec prius emittuntur, niſi electione facta promiſſo ſatisfecerint. Formam ac requiſita electionis hujuſmodi laudat *M. Stephan. lib. 2. de Iuriſd. c. 2. p. 2. n. 272. Everh. Spechan cent. 2. claß. 1. q. 5. n. 9.* Diverſa quoque munera publica

blica à Senatu inter cives distribuuntur, adjunctis tamen etiam ex Senatoribus nonnullis, quorum communi curę ærarii, armamentarii, granariorum, munimentorum civitatem tuentium, templorum, Xenodochiorum, ut & diversorum redituum publicorum administratio committitur: Hi quotannis Senatui administrationis suæ rationem reddunt. Consulari, & Senatoria dignitate nonnisi mors Consules & Senatores privat: utpote qui toto vitæ suæ tempore eandem retinent. In Caussis justitiæ, & quæ statum Reipublicæ non concernunt, singulo dimidio anno die Veneris post Festum Trium Regum vices alternantur, & quavis vice iisdem consiliis unus Consul præest. Causę justitiæ tam civiles, quàm Criminales, Fiscales, ac Consistoriales à Superiori judicio, seu Senatu cognoscuntur, judicantur, & sententiis deciduntur, à quibus ad Cæsaream Majestatem, aut

Spirensem Cameram appellando litem renovare non licet, nisi summa controversia sexcentos aureos Rhenanos excedat. Is porrò, qui appellatione sibi consulere statuit, se appellationis jure in fraudem adversarii & judicii differendi causa non abusurum, prius juramento affirmet, ac sponsoribus datis promittat oportet, se in Camera Spirensi contumaciæ & petulantiæ condemnatum quinquaginta aureorum mulcta & solutione Senatui Bremensi satisfacturum. Indultum hoc Bremensibus *Privilegio Caroli V. Cæsaris dato Bruxell.* 22. *Novemb.* 1554. quod exhibet *Limn. lib.* 7. *de jur. publ. c.* 7. Præter judicium illud Superius, Bremenses aliud habẽt Inferius, tribus judicibus constans, quorum unus Senator, alter Jurisconsultus & tertius Senator natu minimus regionis sive partis urbis præsidentis. Ad hoc deferuntur lites civiles ducentorum aureorum summam non superantes, *ejus*-
que

que ſententiis, ad Superius Tribunal, ſive Senatum provocando adverſarium, refragari licet. Iiſdem judicibus commiſſum eſt judicium, quod Bremenſes Gaſtgericht nuncupant, (hoſpitale tribunal, aut judicium, vel peregrinorum tribunal forſan quis rectè vocaverit.) In hoc tribunali de ſimplici & plano, etiam in ipſis Feriis, cauſę civiles inter cives & extraneos, & extraneos ipſos inter ſe diſceptantur & deciduntur, vid. *Lim. in addit. ad lib. 7. de jur. publ. cap. 7. n. 6.* Præterea Civitas hæc habet judicium ſeu tribunal cameræ quatuor habens judices Camerarios ex Senatu, coram quo injuriarum, & aliorum ſimilium commiſſorum actiones dijudicantur: ab hoc ad Senatum appellatio quoque datur. Tandem judicium ſeu tribunal vigilias & cuſtodias urbis concernens & minimorum natu Senatorum in quatuor Urbis regionibus curę concreditum eas controverſias, & commiſſa

di-

dijudicat, & mulctat, quæ inter cives excubias agentes orta sunt.

Præter communia & scripta jura civitati statuta sua sunt peculiaria, quæ à nato Christo anno 1281. primo collecta, & in Ordinem redacta, postea aucta & emendata, atque ab Imperatoribus Romanis confirmata sunt. In judicando eorum potissima ratio habetur, adeò ut etiam cives eorum observationi & conservationi fidem suam jurejurando devincire debeant. Eodem jure Bremensi utitur quoque vicina civitas Verden Verdensis olim Episcopatus, nunc Ducatus caput; civitas item Oldenburgum, cui pactis & privilegiis certis à Comitibus Oldenburgensibus usus ille concessus est. Vid. *Hamelmann. part. 1. Chron. Oldedburg. cap. ult. Griphiand. de VVeichb. Saxoniæ cap. 77. num.* 13. Quibus autem privilegiis, & immunitatibus Bremam urbem Imperatorum Romanorum munificentia decoraverit, tum ex præcedenti-

dentibus & ſequentibus patet, tum ex tenore privilegiorum quæ exhibet *Limn. in addit. ad librum 7. de Iure Publ. cap. 7. num. 2. & ſeqq.*

Quantum porrò ad Reipublicæ Bremenſis gubernationem attinet; primò notandum, eam Magiſtratui Bremenſi ita abſolutam & ſolam eſſe, ut ſine Archiepiſcoporum ulla approbatione aut improbatione Conſules & Senatores ſuos elegerit, conſtituerit, munera publica diſtribuerit, rationum computationes à ſuis miniſtris exegerit, bona publica adminiſtraverit, civitatis jus donaverit, munera, & tribus inſtituerit, eas privilegiis pro lubitu dotaverit, leges, & ſtatuta tulerit, mutaverit, omnia juriſdictionalia, tàm in civilibus, quam in criminalibus, tàm cognoſcendo, quàm exequendo, atque ità merum & mixtum imperium, miniſtros requiſitos admittendo, & alendo, certaque loca in & extra civitatem in territorio ſuo extruendo & conſervando

vando exercuerit. Urbis valla, mœnia, & fossas pro lubitu construxerit, mutaverit, & emendaverit, armamentaria conservârit, in & extra civitatem inter suos jure Collectandi, diribitoria assignandi, delectus agendi, & similibus aliis juribus, nullo hominum, præcipuè verò nec ipso Archiepiscopo impedimentum ullum objiciente, in territorio suo usus sit, ac tandem omnia ea effectui dederit, quæ Urbis suę & suorum commodo in servire poterant. Quæ omnia jura territorialia Civitatis liberę Imperialis indubitata signa sunt, & esse debent. Deinde omnes Archiepiscopi, antequam Civitatem hanc Bremam fidelitatis Sacramento devincirent, tenebantur scripto publico eidem spondere securitatem publicam, se videlicet operam daturos, ut nullo unquam tempore Bremensium privilegia, immunitates, & consuetudines à se aut à suis infringantur, aut violentur. Prætereà nemo

mo unquam in dubium vocare audebit id, quod indubitatis & veteribus & novis documentis, concessionibus, & confirmationibus asseri poterit, insignibus juribus regalibus nimirum urbem Bremam tàm terra, quàm aqua esse ornatam. Talia sunt Jurisdictio, pacificatio, & protectio, viæ Regiæ, & Visurgis fluvii ab utraque ripa, ab ipsa urbe Brema usque in mare: Jus cudendæ monetæ tàm aureæ quàm argenteæ, eique inscribendi Reipublicæ tituli, ac aquilæ Imperialis: Jus vectigalia imponendi, Jus Stapulę, aliaque ejusmodi, quę nonnisi civitates immediate Imperio subjectę, nullæ alię habere possunt. Luce meridiana quoq; clarius constat, Consules & Senatum Bremensem coram nullo alio judice, quam ipsâ Cæsarea Majestate, & ejus Cæsareo judicio Spirensi tam prima quàm secunda instantia conveniri posse, quod ipsa observantiâ & experientiâ manifestè testantur. De

privi-

privilegio appellationis à judicio Superiore Bremensi ad Tribunal Cęsareum Spirense paulò ante mentionem fecimus, & illud 22. Novembris anno 1554. factum ibi diximus, quod alias ad annum 1541. rejecit. His accedit, quod juxta cum Imperio Brema, ratione immediatæ dependentiæ fundatam intentionem habeat, eo quod in diversis Indicibus Imperialibus, quos matriculas vocant, præcipuè verò annorum 1431. 1471. & 1480. aliisque pluribus reperiatur. Diversis autem archetypis invitatoriis adhuc præsentibus liquidò demonstrari potest, Bremam tanquam civitatem Imperialem ad Comitia Imperialia antehac vocatam, & invitatam esse. Ex Imperii quoque Indicibus, seu protocollis, ut vocant, satis patet, in Comitiis Imperialibus Bremam inter Imperiales civitates sessionem & votum habuisse. Quanquam verò sequutis temporibus proculdubio sumtus nimios vitandi gratia,

tia,

tia, aut forſan aliis de cauſis Magiſtratus Bremenſis legatione ſuorum ad comitia ſuperſedit, non tamen par fuiſſet, ut Conſules & Senatus Bremenſis anno 1640. ad Comitia Imperii, invitati dubitarent, & diſputarent; An in Cæſareæ Majeſtatis poteſtate fuiſſet eas civitates, quæ plurium annorum ſpatio nec ad comitia vocatæ forſan fuerint, nec iiſdem etiam fortè non interfuerint, iterum invitare. Quid de veteribus & novis documentis & apochis dicam? quæ ſatis ſuperque arguunt, in auxiliis Imperio Romano ferendis, & pecunia ipſi Imperio ſolvenda urbem Bremam nunquam præteritam eſſe. Sæpè etiam evenit, ut ab Imperatoribus, & judicio Cæſareo Spirenſi Bremę urbi juxta cum aliis Principibus, Comitibus, & aliis Imperii ſtatibus immediatis ſententiarum executiones contra contumaces commiſſę fuerint. Quin omni tempore & ſemper Bremenſes jus fœderis

ris & auxiliorum habuerunt. Cum anno 805. *Imperator Carolus Magnus* propè Magdeburgum ad Albim Comitia insignia celebraret, ac cum Saxonibus novam & perpetuam pacem faceret, ac Saxonicas regiones de novo in Imperii tutelam reciperet, ipsis privilegia & immunitates veteres intactas & inviolatas reliquit, ac imprimis Bremæ urbi statuam Rolandinam libertatis suæ testem, quam in præcedentibus descripsimus, concessit. Quantum ad Homagium, ut vocant, Archiepiscopis præstitum attinet, illud neque à civibus, neque à Consulibus & Senatu toto, sed à duobus ex Senatu Senatoribus, eoque tempore Camerariis præstari solitum est, idque tantum dextræ manus elevatione, sine juramento, ac sine verbis conceptis, quibus jurantibus præiri solet. Nec hæc obligatio pura & simplex sed reciproca fuit præcedente prius Archiepiscopi sponsione literis mandata,

ta, qua civitati ſanctæ pollicitus eſt, homagium hoc civitatis veteribus & novis privilegiis, immunitatibus & conſuetudinibus non perniciosum aut noxium fore. Facta autem ſponſione homagium præſtitum eſt, & hinc inde ultro citroque nata eſt obligatio. Notandum itaque eſt, homagium hoc non ex Fundatione proficiſci, nec etiam antehac unquam uſitatum fuiſſe, quamdiu inter Archiepiſcopos & urbem Bremam conjunctio aliqua fuit. Ante quadringentos tantum annos inde emerſit, quod Brema urbs cum Archiepiſcopo *Gerhardo I.* defenſionis mutuæ cauſa ſe conjunxerit, & ideo in defenſione mutuâ præſtandâ ejuſmodi homagio fidelitatem debitam pollicita ſit, & Archiepiſcopi contra ipſam de privilegiis & immunitatibus ſartis & tectis conſervandis ſecuram reddiderint. Advocati ſeu Præfecti Archiepiſcopalis poteſtas in Urbe Bremâ nunquam tam ampla

pla & lata fuit, ut omnes res judiciales, & quidem privativè ad ejus judicium pertinuissent, sed civibus semper integrum erat, & adhuc est, ut causas suas mox ad Senatus judicium deferant, qui usque ad hanc horam in possessione nunquam controversâ manens, judicia, præfecto ipso absente, & nullam controversiam movente, constituit, & confirmationum à diversis Imperatoribus factarum vi exercet. Cum Criminalibus ita comparatum est: Maleficum Senatus propria authoritate in vincula conjiciendum curat, & vel arbitrio suo impunitum dimittit, vel merito supplicio affici jubet. Si capitis damnat reum, duobus ante diebus ipsi hoc significari mandat. Horæ quadrante tempus, quo ad supplicium ducendus maleficus, antecedente Archiepiscopi præfecto accersito, & nudo capite coràm Senatu stanti à Coulule præside indicatur, maleficum morti adjudicatum adesse,

se, ut ultimo supplicio afficiatur, hoc se ipsi indicare, ut actui illi interesse velit. Deinde carnifici suo vocato Senatus in mandatis dat, quo pacto sententiam pronunciare debeat. Hoc facto præfectus considet, ac malefico vincto & adducto ea, quæ confessus est, ex Senatus mandato præleguntur. His prælectis miser rogatur, num hâc sua confessione acquiescat. Ipso annuente vir postulatur ad judicium, qui est carnifex, publicè pronuncians supplicium, & modum supplicii, quod de malefico est sumendum, prout ipsi à Senatu indicatum est. Mox ad locum supplicii consuetum deductus ex Senatus mandato punitur. Nomine Senatus autem adest Urbis Camerarius cum equitibus nonnullis, qui pacem publicam proclamando denunciat. Sin vero Maleficus ea, quæ confessus est, iterum inficietur, Præfectus Senatum in Curia congregatum de hac re per ministrum certiorem reddit,

qui reduci hominem in carcerem jubet, si aliqua saltem adhuc dubitatio occurrere possit. Si autem pro comperto habeatur, maleficum satis superque criminis sui convictum ejusmodi negatione nil aliud quærere, quàm ut sententiæ executionem extrahendo aliquantum temporis adhuc lucrari queat, Senatus jussu & authoritate de malefico supplicium decretum sumitur. Quando usu venit, ut Præfectus aut ægritudine aut debilitate impeditus, executioni adesse nequeat, aut propter certas causas nolit, uni ex collegio suo Senatus hanc provinciam mandat, qui Præfecti loco adesse debet: Hoc ut Senatus faciat, ipsi licet per privilegium Cæsareum, quod anno 1541. nactus est. Nihil præterea dicto Præfecto negotii fuit unquam administratione Urbis, cum ne unico verbulo aliquid præcipere aut vetare, & in nullis casibus, nec in civilibus, juris cognoscendi, judicandi, multò minus exe-

exequẽdi particeps esse solitus sit aut potuerit. Ac quamvis Senatus Bremensis ad Comitia & judicia Archiepiscopatus suos miserit, & tanquam liber status iisdem interesse voluerit, non tamen ipsius civitatis causa, sed propterea factum est, quia Senatus in Archiepiscopatu sua prędia & territoria habuit, de quibus peculiaribus pactis & recessibus cum Archiepiscopis transegerunt. Tandem anno 1640. Bremenses ad comitia Imperialia invitati ab Imperatore *Ferdinando III.* Legatos suos Ratisponam miserunt, qui inter Liberas Imperii Civitates votum & sessionem habuêre. In actis comitiorum 1641. expressa fit mentio *D. Bethmanni Herdesiani* Syndici Bremensis, qui dictis Comitiis interfuit, in quibus quoque numerus notatur militum, quos necessitate belli postulante Bremenses exercitui Imperiali adjungere debent. In Comitiis autem anni 1471. ut illorum indices testan-

tur, decem equites, & viginti pedites Bremensibus imperati sunt, qui numerus anno 1481. duplicatus est, eò quod exercitus, qui prius decem militum millia complectebatur, tum viginti militum millia comprehendere debebat, ità ut eo tempore Bremenses viginti equites, & quadraginta pedites mittere coacti fuerint. Cum verò Kal. Junii anno 1646. Imperator *Ferdinandus III.* Bremam diplomate publico civitatem Imperialem pronunciasset, ac in tutelam suam suscepisset, XVI. Kal. Martii anni 1647. sexdecim equites, & triginta duos pedites ipsis mittendos injunxit, qui sumptus singulis mensibus trecentos & viginti florenos æquant, & ab Imperatoribus nonnisi totius Imperii consensu, & in certum tempus exigi possunt.

Atque hæc de Politicâ rectione & Privilegiis Bremæ Urbis dicta sufficiunt. Dominia ejusdem cis & trans Visurgim paucis quoque expediemus,

mus, præmissis commoditatibus quæ Urbi fluvius ille largitur.

Die WESER, der WESERSTROOM incolis dici videtur à WASSER, vel GEWÆSSER, eò quod variæ aquæ à fluminibus diversis in hunc fluvium congerantur. Latinè Visurgis, quod vi surgat. Apud Historicos veteres sequentia ejus nomina occurrunt: Werra, Werraha, Wisura, & Wisera. Vid. *Mercat. in Atlant. tit. de Germania.* Cum ortu ejus ita comparatum est: Duo fluvii Werra & Fulda in Thuringiæ sylvâ ad Franconiæ fines oriundi, Thuringia, & Hassia peragratis sub urbe Munden aquas suas conjungunt, & depositis veteribus nominibus uno nomine Weser, & uno alveo descendunt. Wesera autem hæc regiones Brunsvicensem, Paderbornensem, Corveiensem, Ravenspurgensem, Schaumburgensem, Lippensem, Mindensem, Verdensem, Hoyensem, Bremensem, Delmenhorstensem, Oldenburgen-

lem percurrit, ac plurimas aquas coacervatas octodecim sub Bremâ urbe milliaribus in Mare Germanicum seu Oceanum Septentrionalem dimittit. Hujus igitur fluminis beneficio Bremenses insigni & quæstuosa navigatione fruuntur, dum navigiis planas carinas habentibus, & ab incolis Eken appellatis ex dictis regionibus merces, inprimis ligna, frumentum, lanæ, metallorum diversæ species, & alię secundo flumine Bremam vehuntur, ut in vicinas regiones & regna navibus onerariis exportentur. Eadem minora navigia mercibus mari ex peregrinis regionibus & regnis advectis onusta adverso flumine ascendunt, & per Germaniam easdem distribuunt. Sub Urbe Brema majorum & minorum navium frequentationem fluvius admittit antehac arenis affluentibus vadosior quidem redditus, sed Magistratus Bremensis laudatissimi cura & sollicitudine proximis annis profundior factus

ctus, ut mediocres naves onere suo distentæ Bremam velis plenis contendere queant. Magnis autem illis onerariis, quibus ob fundum alvei non satis profundum onus impositum ad urbem advehere non licet, uno & dimidio milliari ab urbe distans statio tuta est parata, ac portus satis commodus, cui Vegesack nomen est. Ut autem navigationis aditus & abitus adverso & secundo flumine tutior præstaretur, laudatissimi Magistratus Bremensis cura & jussu, ab urbe Bremâ usque in mare, profunditas, per quam navibus cursus est tenendus, doliis quinquaginta & uno, ac signis aut Pharis quadraginta quatuor ubique notata est. Dolia dicta ex ligno querno fiunt, vinculis ac circulis ferreis accuratè vinciũtur, catena lapidi quadrato ingenti anectuntur, & ita in aquam demittuntur, ut immisso lapide alvei fundo firmiter adhæreant, & ipsa aquæ innatando semper eundem locum obtine-

tineant, & nunquam ſubmergantur. Unumquodque autem ejuſmodi vas ſeu dolium marinum, ſi omnium tàm majorum quam minorum fiàt ſupputatio univerſa, centum imperialibus conſtat. Intra hæc dolia & ſigna naves ſe contineant neceſſe eſt, aliâ extrà eadem vagantes vado & arenis illiduntur. Ob Bremenſium autem in Imperatores, Imperium Romanum, & Orbem Chriſtianum maxima merita Bremæ Urbi Imperator *Henricus V*. Privilegium largitus eſt, datum Maguntiæ 2. Idus Maji anno 1111. & confirmatum à *VVilhelmo Imperatore* Antverp. 4. Kal. Octobr. Anno 1252. & *VVenceſlao* Imperatore Pragæ anno 1369. Imperatore *Caroli V*. Ratisponæ 20. Julii, anno 1541. & omnibus ſequentibus Imperatoribus. Vide *Limn. addit. ad lib. 7. de jur. publ. cap. 7. num. 3. & 4. Et data eſt plana & libera poteſtas pacificandi, protegendi, VViſeram ex utraq; parte littoris à Civitate Bremenſi, uſque ad ſalſum*

mare

mare; nec non mercatores cum suis navibus & mercimoniis civitatem adeuntes seu visitantes & ab ea declinantes, justo judicio contra piratas & prædones procedendo. Hujus Privilegii à plurimis retrò annis Bremenses observantissimi Visurgim in securitate summa conservarunt, & quosvis paratas animosè adorti vi maxima prostraverunt, & captivos Bremam deductos meritis pœnis, & suppliciis affecerunt, & omni jure Superioritatis aut potentiæ in hoc fluvio usu sunt, ut vetera & recentia exempla testantur. Aptitudo certè fluminis successu temporis Commercia Bremensia mirum in modum promovit, adeò ut non modò Mercatores multi domicilia sua Bremæ habeant, sed & ipsius civitatis præcipui & primarii viri Mercaturæ exercitio dediti, & in vicinis ac longè dissitis regionibus commerciis exercendis occupati sint. Commerciorum autem promovendorum causa veteri admodum

usu & consuetudine introductum, ac Privilegio Cæsareo stabilitum est, ut omnis generis frumentum, vinum, cerevisiam, aliasque merces secundo amne avehenti urbem Bremam præterire non liceat, sed in ea relinquere eas cogatur, quod jus stapulæ in viridi observantia semper conservatum est, ut *P. Frider. Mindan. de Process. execut. lib. 2. cap.* 14. *sect.* 4. *in fine* annotavit. Non modo autem Brema navigationis adjumento sibi famam conciliavit, sed etiam expeditionibus diversis maritimis æterni nominis honorem sibi peperit. *Horsum & Hengistum* duos Saxonię Principes anno 449. à Christi nativitate tres longas naves Bremæ ædificandas curâsse, & cum iis in Angliam profectos regnum illud occupâsse, & Scotos ac Pictos inde expulisse, antiqua Chronica referunt. Sub Cæsare Henrico IV. cum circa annum 1096. Terra Sancta & Urbs Hierosolyma à Duce *Gottfriedo Bullionæo*, & aliis Chri-

Christianis Principibus & militibus recuperata essent, & Bremenses milites suos instructos eò miserunt, & non parvo communi causæ adjumento fuerunt. Hinc anno 1111. à Cæsare *Henrico V.* insigni privilegio donati sunt. Ejus verba sequenti elogio Bremenses extollunt: *ob obsequiorum promptitudinem, multasque Deificas virtutes, viriles actus, ac non modicos labores & expensas, quos & quas Bremenses per mare suis navigiis, & per terram fecerunt, in passagio ultrà mare ad terram Sanctam, quando civitas Hierosolymitana capta est.* Anno 1147. Secundum alios anno 1141. sub Cæsare *Cunrado* expeditione Hierosolymam iterum suscepta, & Bremenses suos denuo instructos militiæ Christianæ adjunxerunt, in via cum cæteris Saracenos ex Hispania & Lusitania expellentibus adjumẽto fuerunt. Vide *Helmold. lib. 1. Chron. Sclavon. c. 62. Crantz. lib. 4. Vandal. cap. 2.* Anno 1185, Bremenses in mare Balthicum

venientes, & in fluvii Dunæ ostium naves suas appellentes cum Livonibus ibi habitantibus familiaritate & necessitudine se junxerunt, ac posteà pium Sacerdotem, cui *Meinhardo* nomen erat, eò secum adduxerunt, qui multos ad fidem Christianam convertit. Hanc conversionem sequuta est Rigæ Urbis extructio, Archiepiscopatus fundatio, plurium urbium, arcium, templorum, & Monasteriorum in Livonia constructio, & coloniæ Bremensium multæ, quibus Ethnica illa Regio impleta est. Vide *Balthasaris Russovornii Chronica Livonica, in præfatione, & part. 1. fol. 3.* Porrò Expeditionem exercitus Christiani sub *Imperatore Friderico I. Barbarossa* in Terram Sanctam Bremenses quoque navibus & militibus suis propria signa habentibus comitati sunt; id testantibus *Abbat. Stadens. in Chron.* 1190. *Crantz. lib.* 7. *Metropol. cap.* 13. *& lib. 6. cap.* 28. *Petersonio in Chron. Holsat. part.* 2. *fol.* 58. In quâ expedi-

peditione Lubecenses & Bremenses initium fecêre Ordinis Teutonici in urbe Hierosolyma, ut referunt *Crantz.lib.6.Vandal.cap.28.Funcc.in Chronol.ann.*1189.*Munst. lib.3.Cosmogr.cap.*491. Secundus etiam Ordinis Teutonici Magister *Otto à Kerpen* nobilis & civis fuit Bremensis narrante ex antiquis Chronicis Caspare Henenbergero in Borussicis Chronicis fol.364. *Crantzins lib.6. Vandal.cap.*28.in fine: *Lubecenses & Bremenses, quia primi fuerint, qui semina futuri Ordinis jecerint, inter militares eosdem assumi in ordinem, quum aliâs plebeios non admittant, nisi iu chorum psallentium.* Verè autem circumiens Bremam Regio in Diplomate fundationis Episcopatus Bremensis à *Carolo Magno* Imperatore (quod extat apud *M. Adam lib.5.hist.Eccl.cap.9.aliâs* 10.*Abbat.Stadens.in Chron. fol.*81. & 82.*Crantz.lib.*1.*Metrop.c.*7.) *Terra piscium ubertate ditissima, & pecoribus alendis aptissima* nominatur. Nam Visurgis

ſurgis exundationes annuæ adjacentes terras limo replent, & pingues redditas pecoribus & pecudibus paſcendis aptiſſimas faciunt, adeò ut circa urbem, ſub tormentorum majorum defenſione, ad quartam milliaris partem duo millia boum & vaccarum ab incolis paſci queant. Hinc caro, lac, & butyrum Bremæ tolerabili pretio quotidiè comparari poſſunt. Omnis generis piſcium copiam inſignem idem fluvius incolis ſubminiſtrat, qui ſingulis mane, & quovis tempore meridiano vili pretio venales in foro proſtant. Imo quovis menſe aliud atque aliud piſcium genus venum exponitur, quod menſe iſto præ cæteris delicatiorem, quàm aliis menſibus, ſaporem habet. Copioſi quoque piſces marini recentes, ſiccati, & ſalſi ex mari & finitimis inſulis à piſcatoribus urbi ſuppeditantur. Intra urbis munimenta ſingulis annis aliquot mille Salmones ſaporis optimi capiuntur, qui par-

partim fumo indurati, & ſale conſperſi ad exteros tranſmittuntur, hoc peculiare habentes, ut ob ſaporem gratiorem & acceptiorem aliis longè præponantur. Muſtelæ fluviatiles, ſeu murenulæ, quas hyberno tempore Bremenſes piſcatores capiunt, recentes aſſantur, aut fumo indurantur vel ſale conſperguntur, & in exteras regiones navibus evehuntur. Bremenſes autem piſcatores hoc juris habent, ut quatuor milliaribus ſupra urbem Bremam, ſub ponte urbis Hoyæ in Comitatu Hoyenſi, incipientibus in Viſurgi retibus piſcari liceat uſque in mare ſalſum, quorum etiam piſcationi deſtinata ſunt flumina in Viſurgim ſe ingerentia; qualia ſunt Hunta, Ochtumb, & Leeſem, ſive Leſmona.

Ad cereviſiam coquendam Viſurgis aqua maxime eſt idonea, quod patet ex ſapidiſſima illa alba & rubra cereviſia Bremenſi, non incolarum modo palatum ſapore ſuo gratiſſimo

mirè

mirè afficiente, verum etiam exteris gratiſſima, eo quod benè ſapiat, diu ſaporem incolumen ſervet, & valetudini conducat, quarum proprietatum cauſa etiam apud *P. Bertium lib. 3. rer. Germ.* inſigni elogio de prædicatur, & in Indiæ ipſius oras transmiſſa à gentibus illis remotiſſimis in pretio habetur. Eadem aqua porrò facit, ut in hac urbe & pannos tingendi, & coria parandi ars maximè vigeant, & ad mercaturam exercendã haud exigua incrementa adjiciant.

Quod ad hujus Urbis libertatem attinet, ea in præcedentibus fuſè declarata eſt. Fuſè tamen dicta illa hic in compendium contrahemus. In libertate, quam olim tutata eſt, Imperator *Carolus Magnus* eam immotam reliquit. Ac quamvis à viciniis ſæpius tentata & afflicta fuerit, ſemper tamen libertate, privilegiis, & juribus ſartis ac tectis conſervatis, animoſè & fortiter ſe expedivit. Ab omnibus Imperatoribus inter Liberas

ras Imperii Civitates ſemper relata & numerata iiſdem juribus ac privilegiis juxtà cum cæteris uſa eſt, multaque privilegia & regalia ſibi acquiſivit. Ad comitia invitata inter Liberas Imperii civitates ſeſſionem ac votum habuit. Onera Imperii juxta cum cæteris Liberis Imperii civitatibus tulit. Juriſdictionem tàm ſæcularem, quàm Eccleſiaſticam in civitate ac territorio ſubdito ſine ullo impedimento ſemper adminiſtravit: & ſemper in omnibus, ut Libera Civitas Imperialis, ſe geſſit.

Territorium Bremenſi Senatui celeberrimo immediate ſubjectum diverſas diœceſes ſeu regiones complectitur, quaram quatuor Gogræfften nuncupantur. 1. Ober Vieland, id eſt ſuperior regio pecuaria, trans Viſurgim, inter fluminis dicti ſiniſtrum, & Ochtum fluminis dextrum marginem ſitum ſuum habet. 2. Nider Vieland infrà Bremam eodem ſitu inter dicta flumina ſita eſt, & Inferior ter-

terra pecuaria Latinè dici poteſt. Utrique nomen natum à paſcuis pinguibus dictorum fluminum inundationibus rigatis, & pecoribus ac pecudibus gratiſſima pabula præbentibus. Inferior ad ingreſſum fluminis Ochtum in Viſurgim ſe extendit. Ochtum amnis ſiniſtro margine Varrel, Delmam, & Wels fluvios abſorbet, & ſecum in Viſurgim portat. 3. Hollerlandt cis Viſurgim fluvii Wumme minoris ſiniſtrum marginem tangens amœnus admodum eſt tractus ſylvulis, ligno, & agris frumenti feracibus abundans. 4. Blockland & juriſdictio Borchfeld. Prior ſiniſtram fluvii Wumme Majoris oram attingit; Poſterior utroque fluvio Wumme majore & minore clauditur. Piſcibus divites amnes piſcationem uberrimam incolis exhibent. In paſcuis pinguibus armenta copioſa nutriuntur. Weerderlandt regio inter Viſurgim & Lesmonam amnes arenoſa quidem,
ſed

ſed pratis paſcuis & agris fertilibus tamen referta. Das nieuwe ampt Blumenthal & Das Gericht Nieuen-Kirchen Viſurgis margini dextro adjacent, ac amœnitate delectabiles ſunt tractus. Porrò ad Bremenſes quoque pertinet Das Ampt Behderkes, propè terram Hadelariam, ubi arx eſt ſatis munita, & præſidio cuſtodita. Fuit olim dominium proprium ſuum dominum habens, in cujus vicinia cernitur municipium Lehe, quod plerunque incolas habuit ſtrenuos, & in militia probè exercitatos. Omnes hi tractus ſuis parent præfectis, qui ſunt Senatores Bremenſes, ac Droſten aut Voghden nuncupantur, cunctas has præfecturas, quiſque ſuam adminiſtrant, ità tamen ut ad Senatum Bremenſem provocare liceat, qui omnimodam juriſdictionem, & ſuperioritatem territorialem ubique in ipſis exercet.

Hæc ſunt, quæ in celeberrimi hu-

jus

jus emporii descriptione in medium afferenda duximus: Restat, ut brevem rerum gestarum narrationem subjungamus.

Circa annum Christi 913. aut ut alii volunt 915. Hunni, qui nunc Hungari sunt, Germaniam totam immani & horrenda vastationem afflixerunt. Communem calamitatem sensit quoque Brema subitò impetu obruta, Sacerdotes ante altaria occisi & templis omnibus ignis subjectus. Tempestas tamen orta, & ignis de cœlo lapsus Ethnicos in fugam vertit, qui fugientes partim aquis submersi, partim à civibus trucidati perierunt. Anno 923. redeuntes horrenda iterum depopulatione urbem & regionem deturparunt. Erat tunc temporis Brema municipium quidem exiguum, sed tamen ut *Caroli Magni* tempore, ita etiam ea ipsa ætate postea præ cæteris Saxoniæ locis satis celebre, quod antè annum 990. nulla adhuc mœnia clauserant. Quidam

tra-

tradunt, Episcopum *Vmanum* circa decimum à nato Christo sæculum fossis & vallo eam circumdedisse. Alii dicunt, *Libentium* Episcopum prima mœnium fundamenta jecisse, motum crudelissimis invasionibus Hunnorum, Normannorum & Wendorum sive Wandalorum, qui sæpius hæc loca oppressêre. Episcopum *Bezelinum* autem opus illud inchoatum promovisse quidem, sed non absolvisse, ac ultimo ejus anno, postquam Episcopatus 270. annos duravisset, totam civitatem incendio conflagrasse. Anno 1100. maxima Bremæ negotiatio exerceri incepit. Quanta autem potentiæ incrementa hæc civitas posteà sumserit, inde facilè quis conjiciet, quod tribus expeditionibus maritimis Bremenses interfuerint, & navigationes per Mare Balthicum in Livoniam instituerint, sicuti in præcedentibus narratum est. An. 1135. *Ascomanni* Danici piratę à Bremensibus propè Lesmonam oppressi, & ex flumi-

flumine Visurgi ejecti sunt. Eos postea *Christianus* Oldenburgi Comes, urbe occupatâ vexavit. Idem fecit anno 1167. *Henricus Leo* Saxoniæ & Bavariæ Dux, qui urbem vi captam diripuit, & cives urbe ejecit, qui tamen post Ducis à Cæsare præscriptionem restituti in urbem redierunt. Anno 1205. *Henrici* Leonis filii Cæsar *Otto IV. Henricus Palatinus*, & *VVilhelmus*, quibus cum *Hardvvigo* Archiepiscopolis erat, iterum urbe potiti, & magnam prædam nacti sunt; ex quorum tamen potestate cives se mox expedierunt. Anno 1233. *Gerhardus* Archiepiscopus Bremensis Romani Pontificis & Cæsaris jussu concionibus publicis Christianos ad bellum hortatus est contra Stedingos incredulos, quos *Henricus* Brabantiæ Dux, *Florentius* Hollandiæ Comes, Cliviæ & Oldenburgi Comites ac Bremenses prœlio fuderunt, ac multis occisis Bremensi Archiepiscopo subjecerunt. Anno 1235. *Henrici*

Leo-

Leonis nepos *Otto* Dux Brunſvicenſis exercitu ſuo Bremam circumſedit, ac hyeme ingruente conatu irrito diſceſſit. Alii dicunt, ipſi à Bremenſibus pecunia ſatisfactum fuiſſe, ut miſſis prætenſionibus ſui diſceſſerit. Anno 1254. Bremenſes cum *VVilhelmo* Romanorum Rege, & diverſis Electoribus, ac Liberis Civitatibus Imperialibus pacis publicę tuendæ cauſa fœdus Moguntiæ inierunt. Anno 1258. incendium maximam Bremæ partem conſumpſit. 1285. eandem incendium aliud haud exiguo damno affecit. 1344. tractus urbis à *S. Martini* templo uſque ad pontem Viſurgis incendio periit. 1351. peſtilentia tunc temporis per totum ferè terrarum orbem graſſata, Bremæ ex notis hominibus 6766. extinxit, quibus non annumerati ſunt ex vulgo homines, qui in plateis, extra urbem, & in cœmiteriis perierunt. 1359. Exundatio ingens partem pontis Viſurgim ſternentis abſtu-

abſtulit. 1361: Bremenſes cum aliis civitatibus Hanſeaticis junxerunt ſe Regi Sueciæ & Norwegiæ contrà *VValdemarum* Daniæ Regem; Milites ipſorum navibus inſtructis miſſi adeò ſtrenuè ſe geſſerunt, ut magnum apud *Henricum* Holſatiæ Comitem, & Hanſeaticarum civitatum ducem gloriæ præconium invenerint. Anno 1369. vel ut alii 1366. Archiepiſcopus *Albertus* Brunſvicenſis Dux magna pompa, & multis equitibus in urbem introductus eſt. Paulò poſt ſeditione ortâ nonnulli cives Senatui ſe oppoſuerunt. Portis juſſu Archiepiſcopi clauſis cives cæteri fideles ſeditioſos alios aggredi ceperunt, qui Senatus mandato (capite plexi meritas ſeditionis pœnas) dederunt: cæteri in exilium miſſi Senatui maximas moleſtias creaverunt, ac tandem in ſuas partes Archiepiſcopum pertraxerunt, cui noctu proditores nonnulli portas aperuerunt, per quas Archiepiſcopus

irrum-

irrumpens civitate potitus eſt. Multis egregiis Senatoribus & civibus trucidatis, reliqui fugâ ſibi conſuluerunt. His opem ferens Oldenburgi Comes *Conradus* noctu ad urbem cum militibus ſuis venit, & à civibus, qui poſt Archiepiſcopi abitum reliqui erant, portas aperientibus admiſſus, quicquid ſeditioſorum civium, & proditorum occurrebat, neci dedit, eorum duces & incitatores deprehenſos quemque in janua ædium ſuarum ſuſpendi juſſit. Pari ratione mulieres ſeditioſæ cum totâ familiâ luce ſpoliatæ ſunt. Reliqui cives novo ſe ſacramento Senatui devinxerunt. 1384. Bremenſes arce Elens occupata *Hajonem Huſenen* ob piraticam in mari exercitatam ultimo ſupplicio affecerunt, ejus territorium *Lubbe Onneken* Friſio poſt præſtitum fidelitatis juramentum tradiderunt. 1386. locorum Elm, Lith, & Lueneberg incolę ab Archiepiſcopi Vicario *Bernhardo* Schaumburgenſi &

Bremensibus bello oppressi sunt. Hinc factum est, ut Lit & Elm locorum habitatores Bremæ Urbis vasalli evaserint. 1400. Oldenburgi & Diepholtzæ Comes cum Bremensibus Frisios Butiadingenses ob latrocinia & prædationes commissas prœlio vicit, & subjecit. 1407. Bremenses cum Comite Hoyæ & Delmenhorsti *Christianum* Oldenburgi Comitem oblatam piratis Butiadingensibus, qui Fratres Vitaliani dicebantur, opem, prœlio juxta Goltzschwarden commisso superavit, captumque Bremam abduxit, unde certis cõditionibus liberatus ad suos rediit. 1420. *Sigismundus* Cæsar literis suis per Legatum *Sigfridum à VVendung* Bremam missis regionis Butiadingensis rectionem Bremensibus, donec aliquid aliud constituere Cæsari visum esset, commisit. 1426 *Nicolaus* Archiepiscopus Bremensis, ac Comites Oldenburgensis, Hoyensis, Diepholtensis & Ritber-

bergensis Frisiam invaserunt, & prope Detern à Frisiis in fugam conjecti sunt. Archiepiscopus verò captivus detentus, à Bremensibus & vicinis Principibus & Comitibus pristinæ libertati restitutus est. Eodem anno magna & periculosa lis seu controversia orta est inter *Herboldum Duckel*, Senatoresque ipsi adhærentes, & veterem ac novum Senatum. 1429. aër adeo calidus fuit, ut circa S. Nicolai festum arbores floruerint. Sequenti verò anno ingens Pestis exorta homines multos abstulit. 1433 magna seditio urbem turbavit, sopita tamen à *Iohanne* & *Ottone* Comitibus Hoyensibus, aliisque qui seditioni placandæ operam navarunt. 1433. Urbi Bremæ Cæsar *Sigismundus* aquâ & igni interdixit, eo quod Consulem suum *Iohannem Vasmer* virum ætatis provectæ, canum, & eloquentem, attamen innocentem ultimo supplicio affecerant. Res tamen tandem composita, & pecuniæ solu-
 tione

tione defuncti hęredibus satisfactum est. 1442. In contentionem Brema venit cum *Philippo* Burgundiæ Duce, cujus subditi jam sæpius Bremensium naves damno haud exiguo affecerant. Ea de causa aliquot Burgundionum naves ereptæ sunt à Bremensibus, qui etiam Halecum piscationem turbaverant: sed anno 1446. Burgundo reconciliati sunt. Anno 1474. seditio mota est contrà Senatum. 1475. *Carolus* Audax Novesium obsedit. Imperatore autem *Friderico III.* Novesii liberandi causa Imperii exercitum eo ducente auxilia sua Bremenses miserunt, iisque *Reinerum à Bersen* Senatorem præfecerunt. 1488. Auxiliares copiæ à Bremensibus altera vice missæ sunt eidem Imperatori liberaturo filium *Maximilianum*, qui à Brugensibus in Flandria captivus detinebatur. Annis 1505, 1512, & 1522. Bremæ pestis grassata est. 1522. *Henricus Sutphaniensis* Monachus Ord. D. August. vir do-

doctus, & Latinæ, Græcæ, ac Hebraicæ linguę admodum peritus Bremæ contrà Pontificiam Religionem conciones suas exorsus est, quem mox sequuti sunt *Iacobus Probst Antverpiensis*, & *Iacobus Timannus Amsterodamensis*. 1525. Missa in omnibus templis, Cathedrali excepto, abrogata est, 1532. eandem cives in Cathedrali templo abrogarunt. *Nicolaus Heldvaderus part. 2. Sylv. Chronol-* Circuli Baltici dicit; Ex civitatibus Bremam primam Luthero auxilium tulisse, & ab eodem ad Calvinistas anno 1561. desciviste. Ab eo tempore cives, exceptis paucis, aliisque nonnullis ad templum Cathedrale pertinentibus Reformatæ Religioni hactenus addicti sunt. 1530. Seditio urbem turbavit. Eodem an. cum aliis Electoribus, Principibus, & Civitatibus Brema Religionis Euangelicæ tutandæ causa fœdus Smalkaldicum inivit, & anno 1532. Norimbergæ Paci Religionis constituendæ interfuit.

fuit. 1539. Visurgis fluctus exundaverunt, quam exundationem pestis sequuta est. 1540. *Balthasar* Dominus in Esens, Stedesdorf, & Witmond Bremensium naves diversis vicibus deprædatus, ac ideò à Cæsareo judicio Spirensi proscriptus est, executione mandata vicinis Principibus, Comitibus, & civitatibus. Bremenses igitur cum *Maria* Domina in Jever arcem Esens cum toto territorio armis in potestatem suam redegerunt, & rogatu *Philippi* Hassiæ Landtgravii *Iohanni Redbergæ* Comiti ut feudum concessêre, donec anno 1554. post reconciliationem Bremenses coacti sunt dominia illa Cæsari *Carolo V.* tradere, ipsius perpetuo mansura, qui Comitibus Redbergensibus, & eorum successoribus Frisiæ Orientalis Comitibus ea clientelari jure possidenda largitus est. Anno 1547. Imperatoris Caroli V. jussu ab *Erico* Brunsvicensi & Lunæburgensi Duce & *Christophoro à*

VVris-

VVrisberg Brema obsidione circumsessa est, quæ obsidio quatuor menses duravit. Interea Fœderatorum exercitus, cui *Albertus* Mansfeldiæ Comes, & *VVilhelmus Thomshirn* præfecti erant in Lunæburgensem Ducatum impetum fecerunt. *Ericus* Brunsvicensis & Luneburgẽsis Dux, ut ipsis resisteret, obsidione soluta, copiis istis obviam processit, & in vicinia Drackenburgi ad Viadrum cæsus in Hamburgensium, & cæterorum Fœderatorum manus incidit, qui omnia impedimenta *Erici* bellica nacti, octodecim tormenta bellica majora Bremam deduxerunt. 1555. controversia Religionem concernens, & admodum molesta & difficilis gliscere cœpit inter *D. Albertum Hardenberg* & cęteros urbis concionatores, quæ postea civitatem in magnas turbas, & difficultates conjecit. 1560. periculosa & molesta dissentione Senatus in factiones abiit, adeo ut tandem ex viginti octo Se-

natoribus Senatum constituentibus viginti duo sponte ex urbe excesserint, & sex tantum in ea manserint. 1577. Bremæ pestis à Pentecostes ad S. Michaëlis festum 1500. homines vita spoliavit. 1599. Visurgis aggerem admodum fortem & firmum, cui ferrea rota (das eisen Radt) nomen, suprà Bremam perrupit, & circumjacentis regionis ædificia, pecudesque ac pecora summo cum damno fluctibus obruit. 1611. Multi homines peste perierunt. XII. Kal. Quintil. anno 1624. diversa loca Bremæ fulmen tetigit, ac inter ea propè portam Orientalem turrim quadraginta pulveris pyrii doliis refertam, cujus pars superior momento citiùs ablata fuit. Ictus autem hic celerrimus quingentas circiter ædes tectis spoliavit, fenestras plurimas confregit, ac decem homines interfecit. Septem captivi in turri incolumes evasêre, sed fœmina quædam captiva vitæ jacturam fecit. Anno 1627. pestis pro-

proximis aliquot annis hinc inde homines abripiens, tanta incrementa sumpsit, ut circiter decem hominum tàm inquilinorum, quàm exterorum, qui belli horrenda incommoda fugientes in urbem se receperant, millia abripuerit. Eodem anno Cæsareus exercitus sub ductu *Comitis de Anholt* persequebatur, Danicas copias, quas Generalis *Morgan* ducebat, per territorii Bremensis tractus, qui appellantur Hollerlandt, & Werderlandt. His miserrime vastatis Cæsareani ad transitum Ter Burgh munimentum extruxerunt, quod anno 1631. occupatum & dejectum est. *Morganius* verò pulchrum illud municipium cum ponte fluvium Lessemb tegente incendio delevit. Anno 1638. 27. Januarii minor Cathedralis templi turris decidit, quod jam supra narravimus. Anno 1638. Fridericus Holsatiæ Dux & Archiepiscopus Bremensis Lutheranæ Religionis exercitium in tem-

plum Cathedrale, seu D. Petri introduxit. Cui cum Senatus Bremensis se vehementer opposuisset, tandem Rege Daniæ *Christiano IV.* Unitarum Provinciarum Ordinibus Generalibus, ac utraque civitate Lubeca & Hamburgo mediantibus IV. Nonas Octobris anno 1639. Stadæ inter utramque partem ita conventum est, ut Consules, Senatus & cives Bremenses Capitulum Cathedrale, ac cives suos Lutheranæ Religioni addictos, ut & alios incolas aut extraneos Augustanę Confessionis aut Lutheranæ religionis exercitio sive in templo Cathedrali, sive in ædibus suis necessitate ita postulante, operam dantes nullo modo, aut nullâ ratione impediant, ac nulla molestia afficiant: Cives autem & incolę Lutherani liberos suos suis concionatoribus in templo Cathedrali baptizandos offerentes nihilominus Bremensibus concionatoribus antiquo & solito more satisfaciant; Utriusque

que partis concionatores etiam baptiſmi ſacri ſuſceptores utrinque admittant, Lutherani cives matrimonii futuri proclamationem, ejuſque poſtea copulationem Bremenſium Parochiarum concionatoribus committant, Clerus verò, & ii, qui Senatui non ſunt ſubjecti, Lutheranis in Cathedrali templo concionatoribus illud peragendum concedant: Cathedralis autem templi concionatores nullum ſibi in Lutheranos cives jus arrogent, ac tandem utriuſque partis miniſtri & concionatores à convitiis, & vexationibus mutuis abſtineant. 1642. Circa nativitatis Chriſti Feſtum tanta nivium & pluviarum copia fuit, ut Viſurgis aquarum copia nimia intumeſcens, ac alveum ſuum egrediens anni 1599. exundationem pede uno ſuperaverit, & occiduas Bremæ urbis regiones pervadens diverſa ædificia & domos ſecum abripuerit. Nonis Sextilis anno 1647. turris proximè ergaſtulum,

ſtulum, ſeu Ergaſterium, qua pulvis pyrius cuſtoditur, de cœlo tacta, non ſolum domum illam diruit, ſed etiam circa ſexcenta, aut plura ædificia disjecit, triginta aut quadraginta homines extinxit, & circiter ducentos vulneravit. Kal. Jan. anno 1648. ingens aëris tempeſtas & ventus horrendus in urbe & extra eam tecta, arbores, & ædificia ſummo damno affecit. VI. Kal. Martii ventus iterum procelloſus & horribilis infra urbem ad Viſurgim, & Albim, ut & in Holſatia magnum damnum intulit, & plura templorum faſtigia deturbavit.

De urbe Bremâ porro inſpiciendi *Georgius Braun in 5. parte de civitatibus. Petrus Bertius lib. 3. Rer. German. Matth. Quade de Germanicæ nationis magnificentia. Matth. Dreſſerus in libr. civit. Conringius in Exercit. de Vrbib. Germaniæ. Chronica Brunſvicenſia, Relationes Francofurtenſes. Chytræus lib.* 15. *Saxoniæ fol.* 330. *ſeq. &* 338. *ſeq.*

Regk-

Regkmannus in Chronico Lubecensi, VVilhelmus Dilichius in Chronic. Bremensi, & Limn. tom. 4. de Iure publ. in addit. ad d. lib. 7. p. 170. & seqq.

Quantum ad Episcopatum & Archiepiscopatum Bremensem attinet, Episcopatûs Fundator est Imperator *Carolus Magnus*, qui anno 788. illum Bremę fundavit. Imperator *Ludovicus Pius* eum cum Hamburgensi Archiepiscopatu conjunxit, cui conjunctioni Archiepiscopus Coloniensis vehementer refragatus est, utpote qui Episcopum Bremensem tanquam suffraganeum sibi vindicaverit, teste *Adamo Bremensi lib.* 1. *Histor. Eccles. cap.* 41. Sed Cæsar *Ludovicus Pius* Gregorii Pontificis consensu conjunctionem illam effectui dedit, ac Archiepiscopatus dicti Ecclesiasticę jurisdictioni subjecit Regna & Regiones Daniam, Sueciam, Norwegiam, Farriam, Groēlandiam Halsingolandiam, Islandiam, Schridevindiam, Slaviam. vid. *Diploma in privil.*

privil. Archi-Eccles. Hamb. n. 1. & 2. Posteà S. Ansgarii Archiepiscopi temporibus, cum ab incredulis, & Ethnicis Hamburgum oppressum, & dirutum esset, Archiepiscopatus inde Bremam translatus sedem in urbe habuit, usque ad annos proximè præteritos, quibus in Ducatum mutatus est. Episcopi autem & Archiepiscopi Bremenses sequenti ordine sibi invicem successerunt.

1. *VVilhadus* Anglus primus Bremensi Episcopatui præfectus à Cæsare *Carolo Magno* lucis communis usu spoliatus Blexemiæ in Rustingerlandia anno 790. ac Bremam delatus in S. Petri, seu Cathedrali templo terræ mandatus est: Ejus festum 8. Novembris celebrari solet.

2. *VVillericus S. VVillehadi* discipulus & Canonicus Bremensis decrepitus senex annó 840. mortuus, & ibidem sepultus.

3. *Tendericus*, quem Saxonica Chro-

Chronica tradunt ob ſuperbiam à *Ludovico* Cæſare ab Epiſcopatu remotum, & in ejus locum ſubſtitutum eſſe.

4. *Ansgarium* primum Archiepiſcopum Bremenſem & Hamburgenſem, qui omnium regionum Septentrionalium Metropolitanus conſtitutus eſt anno 850. ac vita functus anno 865. poſtquam triginta ſex annis utrique Eccleſiæ Bremenſi & Hamburgenſi præfuiſſet. In Cathedrali templo terrę mandati Feſtum III. Non. Febr. celebratur.

5. *Rembertus B. Ansgarii* diſcipulus, ac filius adoptivus poſt duo & viginti annorum adminiſtrationem anno 888. diem obiit, & in Cathedrali templo tumulum habet. Ejus Feſtum eſt, juxta *Chronicon Bremenſe, 3. Id. Iunii: juxta Ægid. Gelen: lib.4. de Colon. magnit. Prid. Nonar. vel* 4. *Febr.* Tres autem illi Epiſcopi *VVilhadus, Ansgarius, & Rembertus* Apoſtoli Saxonum nuncupantur,

quo-

quorum vitas exhibuit *Philippus Cæsar in Triapostolat. Saxoniæ. Coloniæ anno* 1642. *edito.*

6. *Adalgarius* anteà Monachus Corbejensis anno 888. electus, postea Cæsaris *Ludovici* consilarius factus, & 3. Id. Maji anno 909. vitâ terrenâ orbatus, cujus cadaver in S. Michaëlis sacello in tumulum suum reconditum est.

7. *Hojerus* anno 909. ad Archiepiscopatum promotus, anno 910. ex vitâ discessit, cujus Cathedrali templo cadaver custoditur. Bremense Chronicon memoriȩ prodit, majores credidisse, hujus Archiepiscopi corpus in Cœlum translatum esse, quod 120. annis post ejus sepulturam in sepulchro aperto nil, præter ejus cervical & crucem, inventum fuerit.

8. *Reginvvardus* anno 910. electus. anno 919. obiit.

9. *Vnni* anno 119. à *Conrado* Cæsare ad Archiepiscopale munus evectus.

ctus. Hic incredulis verbum Dei annunciandi causa in Sueciam profectus Bircæ, quæ fuit Gothiæ metropolis, anno 934. mense Septembri è vivis excessit.

10. *Adaldagus*, cui, juxta Chron. Saxoniæ Bremensis Archiepiscopatus ab *Unni* traditus esse fertur. In Cæsareâ aula magnam obtinuit authoritatem, ac Cancellarius fuit trium *Ottonum* Imperatorum, qui nonnunquam Wildeshusę in Bremę vicinia sedes suas habuerunt. Obiit anno 988. Dominica incarnationis, vel ut alii scribunt, 28. Aprilis.

11. *Libentius I.* ex Italiâ adductus ab Archiepiscopo *Adaldago*, 25. Augusti anno 1013. de vita decessit, ac in Cathedralis Templi Choro, ut nuncupant, sepulchrum suum habet.

12. *Unvvannus* nonnullis *VVimarus* VI. Kal. Feb. morte abreptus apud antecessores suos quiescit.

13. *Libentius II. Libentii I.* Fratris filius, & Italus natione anno 1032. mundo

mundo valedixit, juxta *M. Adam.* VIII. Kal. Septemb.

14. *Hermannus* IV. Kal. Octobr. anno 1035. vita nudatus, & in Cathedralis templi choro sepultus. Ejus Sacellanus fuit *Suedegerus* nobilis Saxo, postea Episcopus Bambergensis, ac tandem Pontifex Romanus, cui *Clementi secundo* nomen erat.

15. *Bezelinus* cognomine *Alebrandus* origine Coloniensis, uti refert *vetus Chronicon Saxoniæ.* Anno 1043. VII. Kal. Maji in cœnobio Bucken vitam hanc caducam deseruit, & Bremam translatus in Cathedrali templo in monumentum apud *B. VVillehadum* repositus est.

16. *Albertus* vel *Adelbertus* ex principum Bavariæ prosapiâ oriundus, *Azonis Marchionis d'Este*, & *Kunigundæ VVolffii* Bavariæ Ducis filiæ filius, qui magnâ apud Cæsarem *Henricum III.* pollebat authoritate, eâque de causâ à *Schafnaburgensi* Con-

Consul Imperii nuncupabatur. Kal. April. anno 1072. Goslariæ finem vitæ inveniens Bremam transportatus, ac monumento, quod in Cathedralis templi sacello à se constructo sibi fieri curavit, impositus est.

17. *Liemarus* Nobilis Bavarus 26. Maji anno 1101. vitam reliquit. Hoc vivente Archiepiscoporum Hamburgensium titulus evanuit, extinctus ab Archiepiscopatu Landensi in Scania, quem *Erici* Daniæ regis rogatu Pontifex Romanus instituit, ut trium Regnorum Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ Episcopatibus suffraganeis suis omnibus præesset.

18. *Humbertus* primus solo Archiepiscopi Bremensis titulo usus est, quem cæteri omnes secuti.

19. *Fridericus* anno 1114. electionis beneficio Archiepiscopatum nactus anno 1123. 29. Jan. eum cum vitâ deposuit, & in Cathedrali templo humatus est.

20. *Adalbertus* anno 1124. designa-

ſignatus, & anno 1148. vitâ orbatus.

21. *Hartvicus I.* Comitis *Rudolphus de Franckeleve* filius, cujus electio in annum 1149. mors vero in 11. Octobris anni 1160. incidit.

22. *Balduinus I.* Præpoſitus Halberſtadienſis vir provectioris ætatis *Henrico Leone* Bavarię & Saxoniæ Duce, cujus Sacellanus fuerat, promotore munus Archiepiſcopale obtinuit, ac anno 1178. è vitâ migravit.

23. *Sifridus Alberti* Marchionis Brandenburgenſis filius, cum anteà etiam Bremenſis Archiepiſcopus eſſet, anno 1179. in Epiſcopatu confirmatus, anno 1184. vitam caducam æternâ commutavit.

24, *Hartvicus II.* ex nobili genere nobilium de Lithe in Archiepiſcopatu Bremenſi, 29. Januarii anno 1184. electione ad Epiſcopatum pervenit, ac die poſt Feſt. Avemar. anno 1205. moriens eum reliquit.

Mo-

Monumentum suum habet in medio choro templi *S. Ansgarii* ab ipso fundati, quò ex Cathedrali Ecclesiâ translatus est.

25. *VVoldemarus* ex Danicâ stirpe Regiâ Dux & Episcopus Sleswici, in Schismate cum *Gerhardo I.* anno 1207. electus Archiepiscopatum tenuit usque ad annum 1215. quo Pontificis mandato parens Episcopatu deserto monasterium Loccam ingressus est, ac monasticam vitam ibi agens mortuus in templo quiescit.

26. *Gerhardus I.* anteà Episcopus Osnabrugensis anno 1211. à Pontifice Archiepiscopus creatus, munere hoc functus est usque ad annum 1221. quo Francofurti ad plures abiit. *Gerhardum I.* anno 1219. decessisse referunt *Alb. Abb. Stad. & author. histor. Archiepiscop. Bremens. in Gerhardo.*

27. *Gerhardus II.* Lippæ Comes die *S. Panthaleonis* fato functus, & in tem-

templo Cathedrali humatus.

28. *Hildeboldus*, qui & *Hildebrandus* Bruchhausæ Comes anno 1259. electus, anno 1261. Romæ à Pontifice Alexandro IV. consecratus, & anno 1273, vel, ut alii tradunt, Kal. Octob. anno 1275. ex hac miseriarum valle ereptus est.

29. *Giselbertus de Brunckhorst* antecessoris *Hildeboldi* amitinus Voerdæ anno 1306. diem obiit, ac Bremam delatus in medio templo Cathedrali in monumentum reconditus est.

30. *Henricus I.* cognomine *Golthoran*, vel *de Golteren* in decrepita ætate ex Decano Ecclesiæ Cathedralis Archiepiscopus factus, & morte abreptus, quatuor mensibus non diutiùs hanc Provinciam gessit, *Hildeboldi* Sacellanus, & posteà successor, apud eundem sepultus est.

31. *Florentius de Brunchorst Giselberti* Archiepiscopi nepos in Schismate cum Præposito *Bernhardo zur*

VVol-

VVolpe Comite, designatus Archiepiscopus anno 1307. vitam finivit.

32. *Iohannes* Episcopus Londensis, & Præpositus Roschildensis in Daniâ Pontificis Romani promotione Archiepiscopatum consecutus est. Nobili in Daniâ genere natus, & Theologiæ ac juris admodum perito viro cum Archiepiscopatus sui Ordinibus non admodum benè conveniebat, quod ipsum movit, ut Parisios in Galliam profectus fuerit, ubi magno ære alieno conflato tandem decessit.

33. *Burchhardus* ex *Grellorum* familiâ Patriciâ Bremensi anno 1327. ab aula Pontificia ad Episcopatum subvectus, ipse die Vigil. Assumt. Beatæ Virg. anno 1344. vitam ad finem perduxit.

34. *Otto I.* Oldenburgi & Delmenhorstæ Comes anno 1345. Archiepiscopatum acquisivit, & eodem cum vita anno 1349. orbatus est.

35. *Gotfridus Ludovici* Comitis Arns-

Arnſpergenſis filius Archiepiſcopatus Bremenſis Scholaſticus, & Osnabrugenſis Epiſcopus, anno 1359. Archiepiſcopatu ſe abdicavit, & Stadæ curriculum vitæ peregit.

36. *Albertus* Dux Brunſvicenſis, vivente anteceſſore ſuo anno 1359. electus anno 1395. vitâ ceſſit.

37. *Otto II. Alberti* antecedentis fratris filius, anteà Verdenſis Epiſcopus anno 1406. morte abreptus, ac in medio templo Cathedrali conditus eſt.

38. *Iohannes II. à Schlamsdorf* vir Nobilis, & Juris inſigniter peritus anno 1406. 19. Jul. in Archiepiſcoporum numerum electione relatus, & ex eo morte demptus 20. Decemb. anno 1421. ac in templo primario terra contectus.

39. *Nicolaus* Delmenhorſtæ Comes Archiepiſcopatum anno 1421. acquiſitum ſucceſſori *Balduino* anno

1432.

1432. tradidit, ac Delmenhorstiæ vita finita, ibidem, vel in cœnobio Huda in Comitatu Delmenhorstano sepulchrum suum habet.

40. *Balduinus* Decretalium Doctor, & Abbas *S. Michaëlis* Lunæburgi ex nobili *VVendorum* familia, quæ nobile illud Monasterium Riddagshausen ante urbem Brunsuigam fundavit. Archiepiscopatu an. 1432. acquisito, post exactum anno 1442. Lunæburgi vitæ curriculum in *S. Michaëlis* Abbatia humo opertus est.

41. *Gerhardus III.* Hoyæ Comes 22. Jan. anno 1442. Episcopatu potitus 11. Aprilis anno 1463. mortales exuvias deposuit, ac in primario templo Bremensi sepulchrum nactus est.

42. *Henricus III.* Schwartzburgensis Comes, & Episcopus Monasteriensis ibidem in primario templo anno 1496. sepultura reconditus,

43. *Iohannes* ex Rodhenorum familia patricia Bremensi Decretalium Doctor, & Præpositus Bremensis 14.Decemb. an. 1511. Voerdæ obiit, & Bremæ in templi Cathedralis choro sepulchrum suum adeptus est.

44. *Christophorus* Brunsuigæ & Lunæburgi Dux, anteà Verdensis Episcopus 22. Januar. anno 1558. Tangermundæ in Marchionatu Brandenburgensi ex hâc vitâ abiens in Verdensis templi Primarii choro monumentum suum habet.

45. *Henricus IV.* Saxoniæ Angriæ, & Westphaliæ Dux Episcopatuum Osnabrugensis, & Monasteriensis Administrator anno 1567. Archiepiscopatus Bremensis electione compos factus, 22. Aprilis anno 1585. Voerdæ annorum 38. ætatem absolvit, & ibidem terrę mandatus est.

46. *Iohannes Adolphus* Holsatiæ Comes, post obitum patris *Adolphi*

Hol-

Holſatiæ Ducis, Archiepiſcopatu Bremenſi anno 1596. abdicatọ, Holſatiæ Ducatum hæreditatem paternam adiit.

47. *Iohannes Fridericus* anteceſſoris *Iohannis Adolphi* frater Lubecenſis quoque erat Epiſcopus, & in veteri Monaſterio propè Buxtehudam 3. Septembr. anno 1634. ex hujus vitæ contubernio emigravit, ac Sleswici in primario templo ſepulturæ datus eſt.

48. *Fridericus* Holſatiæ Dux, *Chriſtiani IV.* Danię Regis filius, Verdenſis Epiſcopus, & Coadjutor Halberſtadienſis, &c. Archiepiſcoporum ultimus: Anno 1644. inter Suecos & Danos bello orto Archiepiſcopatus Bremenſis, & Epiſcopatus Verdenſis in Suecorum poteſtatem redacti ſunt. Poſt pacem utrinque conſtitutam, ac *Chriſtiani IV.* Daniæ Regis obitum filius *Fridericus* paternum Regnum adeptus atq; Danię & Norwegiæ Rex factus Ar-

chiepiscopatu Bremensi & Episcopatu Verdensi cessit: qui in Suecorum potestatem sub Ducatuum titulo redacti sunt anno 1648. 14. 24. Octobr. ut patet ex articulis pacis hujus Ducatus Bremensis descriptioni præmissis. Quænam huic Urbi, & utrique Episcopatui Bremensi & Verdensi superioribus bellis ante hanc in Ducatus mutationem usu venerint, inferius post eorum descriptionem brevi narratione expediemus.

Sequentia loca, pagi, vici, arces, nobilium sedes, oppidula, &c. insident intervallo, quod Wemme & Drepta fluvii cum uliginosis tractibus Duvels moer, & Corte moer comprehendunt.

Duvels moer, Diaboli palus, pars est hujus tractus paludosi, & uliginosi inferior.

Dat corte moer, id est brevis palus, pars ejusdem tractus superior, ad Verdensis Ducatus exitum Occiden-

dentalem ferè se extendens. Palus hæc à Meridionali regione cœli in Septentrionalem excurrens Dreptam & Oestam fluvios, illum in Occidentem, hunc in Septentrionem, emittit.

Satterum & *Cluverborstel* à Ferdensis Ducatus termino Occidentali inter dictam paludem & Wemme fluvium, exiguo intervallo absunt.

Ottersberga in dextrâ, Wemme fluvii ripâ cernitur. Anno 1547. Bremenses arcem hanc deditione ceperunt, quia Archiepiscopus hostis eorum erat.

Otterste inter Ottersbergam & Bulverstedam.

Bulverstede, *Elsdorp*, Duo hic ex palude, Dat corte Moer, fluvioli exeunt, quorum superiori prior, & inferiori posterior locus, uterque in dextrâ ripâ sedens, adhæret.

Northim, *Northem* in medio dictorum fluviolorum spacio offenditur.

Norvverck superioris dictorum fluviolorum orę sinistræ inhæret.

Tarnstede post confluxum eorundem fluviolorum in alveum unum, in cujus orâ sinistrâ situm habet.

Ylermoelen, in *Zeileri* itinerario *Vermulen* pagus in itinere, aut viâ, quæ Bremâ, Bremer Voerdam, Stadam & Hamburgam tendit. Situs ejus est in angulo è regione ostii, per quod fluviolus ex palude Duvels-Moer egrediens in Dreptam se infert. Distantia ejus ab urbe Bremâ est quatuor milliarium. Inde Bremer-Voerdam viâ per ericetum sterile ducens trium milliarium longitudine absolvitur. Sic Bremâ Bremer Voerdam profecturo septem milliarium iter faciendum.

Nienbrugge, *Vellershude*, *Svvaner*, aut *Svvanvv*, *Penningbuttel*, & *Scharmbeck* inter utrumque flumen Dreptam, & Wemme sedes suas habent.

Liliendal supra fluvioli cujusdam

in

in Visurgim ingressum.

S. Iorgien, & *Lese* in dextra Visurgis orâ. Sub posteriori Wemme fluvius suos cum Visurgis fluctibus confundit.

Schoinbeck ad lævam fluvioli cujusdam, suprà Vegesack in Visurgim se recipientis.

Vegesack infra ostium fluvioli, quem diximus, portus est & statio navium urbis Bremæ, eas onerarias recipiens, quæ magnitudine impeditæ Bremam pervenire non possunt. Merces earum minoribus navibus impositæ hinc Bremam deferri solent. Iisdem quoque navigiis minoribus ad naves in dicto portu commorantes Bremâ mittuntur merces, quæ mari in alias regiones avehendæ sunt.

VVillenbrock, *VVillenbroeck* è regione ostii, per quod Hontæ fluvii aquæ in Visurgis sinistram oram infunduntur. Inter Vegesack & Willebrock tractus est Visurgim trans-

grediens, & ad pagum Scharmeke se extendens, qui ad Comitatum Oldenburgensem pertinet.

Aschvvarden, VVorthvliedt, Santvliedt, VVersuppe, Santstede dextram Visurgis oram legenti occurrunt.

Buttel, *Hagen* Dreptæ fluminis margini sinistro incumbunt: *Hagen* arx est anno 1644. à Koningsmarckio, mox iterum ab Archiepiscopo capta.

Vtheide & Scharmeke, illud in principio fluvioli aut rivi in Dreptam, supra ejus in Visurgim introitum, irruentis; hoc in finibus extremis tractus Oldenburgici hîc Ducatum Bremensem dividentis.

Drepta fluentum aquas suas ex tribus fluviolis, quorum duo ex palude Corte Moer, tertius ex palude Duvels Moer supra pagum Ylermeulen erumpit, congestas ex Oriente in Occidentem provehit, & infrà Sandstede Visurgi tradit.

Territorium Dreptæ & Lun fluviis

viis inclusum sequentia loca in conspectum producit.

Nysteden proxime originem fluminis Lun, quà ex palude Duvels Moer ortum trahit.

Kurstede infrà præcedentem locum, ad lævam dicti fluminis collocatur.

Ackstede oppidulum flumini Lun transitum præbens.

Huderbroeck ad dextram Dreptæ fluminis.

Barmstede(aliis *Harmstede*)ibidem infrà præcedentem locum:

Nesse haud grandi distantia ab urbe Stotel in Meridiem recedit.

Opder Drepte, suprà quem locum, Drepta in Visurgim evolvitur.

Deestorp in Visurgis dextro littore, ubi parva territorii hujus portio in nonnullis typis Geographicis notata est; ita ut ad Oldenburgensem Ducatum pertinere videatur.

Lettel in eodem littore.

Thom Holte inter Lettel, & Stotel.

Stotel oppidum in fluvii Lun margine ſiniſtro, ſub quo ipſius fluminis exitus adeſt.

Hethoren, *Hetboren* in eodem margine ſupra Stotel Orientem verſus.

Lun amnis ex palude Duvels Moer prorepens ab Oriente in Occidentem curſum ſuum promovet, & ſub urbe Stotel aquas in Viſurgim ingerit.

In Diſtrictu, quem amnes Lun, & Geiſt ambiunt, ſequentia loca oculis ſubjiciuntur.

Basdale & *Steingrove* inter paludes Duvels Moer, & Lange Moer.

Oerle in ripâ fluminis dextrâ infrà oppidum Ackſtede.

Beverſtede in eadem ripa, infra Oerle.

VVrieſchen, *Lunenbergen* ibidem, priore tamen loco Beverſtede inferior: inter utrumque oſtium eſt fluvioli aut rivi in Lunam fluentum aquas ſuas ejicientis.

Vliſtede, aut *Vliſtede* inter Stotelam

lam urbem, & ingressum fluminis Lunæ in Visurgim.

VVolstorp, *Faselhuys*, & *Lismarchude* in citeriori Visurgis margine.

Geistendorp, & *Lee*, vel *Lea* aut *Leha* proximè influxum amnis Gestæ in Visurgim: posterior locus celebre municipium esse fertur, pulcher & dives locus in agro admodum fertili pertinet ad arcem & præfecturam *Bederhofen* vel *Bederkes* Bremensibus subjectam. Arx illa & fossa probè munita, & armamentario, ac præsidio instructa subjectas habet 7. Parochias, & 19. pagos, ac Dynastia olim fuit.

Bramel, & *Scipdorp*; illud intra, hoc extra fines districtus Wurden in oculos incurrit.

Oldt Lunenbergen in meridionali angulo lacus parvi Gestam fluvium emittentis.

Geista, *Gesta* fluvius ex lacu modo dicto dimissus amnis anfractuoso alveo ex ortu ad occasum aquas suas

volutans Wurden præfecturam perreptat, & sub Leça municipio ostium Visurgis ingressus marinis fluctibus salsis suos dulces miscet.

In spacio Gestæ & Stotela fluentis cincto se conspicienda exhibent loca, ut sequitur.

Depenbrugge & *Cranenborg* inter paludem Lange Moer, & Stotelam fluvium: quorum prior locus in ipso paludis, posterior in fluenti margine locatus cernitur.

Elm à *Gestæ* ripa dextra parum abest.

Nuvve Closter, Seipdorpe, & *Depstede* rivulum obsident: primum exiguo spatio ab ortu ejusdem remotus, reliqui duo pagi primo inferiores sunt, ita ut Seipdorpe extra, Depstede verò intra præfecturam Wurden eodem rivulo terminatam sedeat.

Hoblerhude sub se Stotelam flumen à Visurgis margine dextro absorberi cernit.

Stote-

Stotela, *Stotel* flumen ex apice Meridionali paludis Lange Moer, id eſt longi Stagni, evadens, rivulos aliquot ſuſceptos à Meridionali cœli plaga in Septentrionalem ſecum anfractu duplicato abripit, ac ab Oriente iterum in occaſum prolapſum per Oſtium Viſurgis in Oceanum Germanicum tranſit.

Tractus omnis, quem Stotela fluvius, palus Lange Moer, & Oceanus Germanicus Viſurgis amnis aquas ſuſcipiens complexu ſuo coercent, ſequentia loca ac flumina oſtentant.

Dat Lange Moer palus ſeu ſtagnum eſt uliginoſum & lutoſum, quod à Steingrove, & Baſdale pagis inter Bremer-Voerdam & Stotelæ fluminis originem incipiens longo & anguſto excurſu à Meridie in Septentrionem protenditur, ubi montem, in quo Kaimbergæ pagus eſt, attingit, & ab eo ſe ita avertit, ut ab ortu in occaſum collo coarctato pro-

progrediens mox se versus littus inter Septentrionem & Meridiem dilatet, & ità propè ad mare accedat, ut parvum littori spacium supersit, cujus beneficio ex unâ in alteram partem meare & remeare licet.

Lutkerode dextram Stotelę fluminis ripam occupat.

Bedersa vulgò *Bricksmalen* in Occidentali locatur orâ lacus, ex quo Bolla amnis egreditur.

VVeduvaert, *VVervvorden* in littore maris sub Stotele fluminis exitu se in conspectum dat. Tria hæc loca situ suo locata sunt inter Stotelam fluvium, & fines Meridionales Hadelariæ diœceseos. Het Landt te Hadelen, appellatæ.

Imesum, *Ymsen* in littore & finibus Hadelariæ sedem obtinet.

VVreem vel *VVremem*, *Mesterferde* & *Ziverden* fluvioli cujusdam assident oræ dextræ; primus locus, quà mari redditur fluviolus; alter paulò suprà primum, & tertius, quà fluviolus

lus dictus non longè à parvo fluviolo Otter Ortum sortitur.

Misselvvaerde, *Misselvverden* in fluvioli aut rivi cujusdam margine dextro.

Molsum inter *Misselvverde*, & *Krayerberg*.

Krayerberg ad lęvam Bollæ amnis.

Boltem ibidem paulo suprà *Bollæ* exitum.

Bolla flumen ex latere lacus paludem Lange Moer tangentis Septentrionali excedens, & ad occasum properans, antequam ad oppidulum Otterendorp pervenit, duorum fluviolorum accessione augetur.

Grote Otter, id est magnus *Otter*, dextram, & *Kleine Otter*, id est parvus *Otter*, sinistram perrumpit. Illius ingressus superior, hic inferior, utriusq; autem est supra oppidulum dictum. Ab oppidulo progressa Bolla infrà Boltem in Visurgis ostiũ reconditur.

Otterendorp oppidulum Hadelariæ in Bollę dextro latere, ubi flumen il-

lud

lud parvi Otter fluvioli aquas admittit. Sub hoc oppidulo alius fluviolus in Bollam se immittit, & supra Boltem item alius.

Dornhem inter dictos duos fluviolos.

Padingbutel in latere dextro non longè à fonte ultimi fluvioli antè exitum à Bolla recepti.

Nieuvvolde, *Holtziel*, *Olderhude*: his locis sedes concessa est in fluvio, cujus ex lacu, paludi Lange Moer proximo, orti nomen in tabulis non exprimitur. Primus propè Lange Moer dextro, Holtziel medius, & Olderhude extremus, & ostio proximus sinistro margini accumbunt.

Vlengeling ad dicti lacus flumen illud nomine carens edentis extremitatem Meridionalem collocatur.

Spyck, *Cappel*, *Midlum* inter dictum flumen, & paludis Lange Moer partem in occasum vergentem & se inter Septentrionem & Meridiem dilatantem conspectui se offerunt.

VVe-

VVesterhude, Hadlerot, & *Lutkesant* littoris extremitate sustinentur.

Reliqua Hadelariæ pars extrà paludem Lange Moer, ab Oldecloster ad Ostę fluvii in Albim irruptionem ad sequentium locorum inspectionem nos deducit.

Oldecloster, & *VVestenbuttel* mox à Lutkesant adventantes obvia loca habent.

Ritzenbuttel possidet sinistrum apicem fluvioli in sinistrum ostii Albis latus exeuntis. Arx est satis firma, quæ toti huic præfecturæ ad Hamburgenses pertinenti nomen dedit, ut nuncupetur, Dat Ampt Ritzebuttel. Administrator Magdeburgensis anno 1627. hanc arcem in potestatem redegit. Hujus loci causa multæ simultates & lites inter Hamburgenses & Bremenses ortæ sunt.

Oldenvvold inter paludis Langhe Moer extremitatem Septentrionalem, & fluviolum eundem modo dictum. *Payen-*

Payenbuttel ejusdem fluvioli sinistro lateri apponitur.

Hadler, *Hadeleria* oppidulum in principio dicti fluvioli, ex palude Langhe Moer erepentis, quod huic territorio nomen Hadelariæ diœcesios fecit.

Groien vel *Thon Groden*, & *Thom Oldenbroke* ostii Albis margini sinistro inter Ritzebuttel & Aterndorp accubant. Totum littus, quod à Ducatu Bremensi Oceano Germanico opponitur, & ab ostio Visurgis ad Albis exitum deducitur, multis arenis, & vadosis locis septum est, quæ in mare latiorem excursionem suam dilatando cum arenis oppositis, & tàm ab Oldenburgico, quàm Holsatico littore protuberantibus utriusque fluminis ostium angustioribus limitibus & alveis includunt.

Teutel insula admodum parva, sed habitatoribus destituta in arenis dictis cernitur.

Dat Nieuvve vverck, id est, no-

vum opus, parva itidem insula cum turri, in quâ noctu ignis accensus nautis adventantibus viam monstrare solet.

Aterndorp, *Atrendorp* oppidulum in littore sectum fluviolo, qui hîc Albim intrat.

Keimberge impositum monti, seu colli editiori supra oppidulũ Aterndorp, qui Meridionali radice ad paludem Lange Moer excurrit.

Belem vel *Belum* pagus inter Aterndorp & Ostæ fluvii exitum.

Genersdorp in Ostæ sinistro latere, paulò supra ejus in Albim exitum.

Kanbarge pagus in clivoso loco parum ab Osta & Genersdorp remotus.

Osta flumen ex palude Corte Moer ejectũ plurimis flexibus alveũ suum hucatque illuc detorquet, & rectà in Septentrionem tendẽs postquam aliquot fluviolos & rivos secum abripuit, ac Bremervoerdam & Himelport præterlapsus est, Hadelaria,

laria, & Keydingia divisis Albim subit.

Osta & Swinga fluvii ex finibus hujus Ducatus Bremensis in Albim descendentes territorium claudunt oblongum, cujus inferior pars inter utriusque ostium Keidingia, Keidinger Landt nuncupatur. Ejus territorii loca jam nobis inspicienda sunt.

In littore, & proximè littus inter utriusque fluminis in Albim ingressum oculis se subjiciunt.

Ther Ballie fluvii Ostæ apici, quà Albi infunditur, dextro proximus pagus.

Oderchvvart, *Oiertquart* aliquantum ab aggere Albis fluctus coërcente remotus pagus in dextro fluvioli in Ostam delabentis latere.

Friborg in aggere littoris inter Hamelhoerden & Balliȩ oppidulum, quod Dani milites anno 1632. occuparunt, ejecti iterum à Worstensibus, & Archiepiscopi militibus, qui

Danos malè ibi tractarunt. *Theat. Europæum part.2.fol.53.*

Hamelhoerden, Hamelſvvort præcedenti proximus pagus.

Sileflet in eodem aggere pagus inter Aſell & Hamelhoerden.

Aſell pagus Sileflet proximè Orientem verſus ſequens.

Butzflet pagus in aggere, & quidem ſiniſtrâ orâ fluvioli Schede, qui eodem in loco Albi fluvio aquas ſuas ſuppeditat.

Reliqua loca ſunt, ut ſequuntur.

Broeckerhude, & Averendorp in dextro Oſtæ fluvii latere, quorum pagorum ille inferior, hic ſuperior eſt.

Ter Horſt in inſulâ Oſtæ fluctibus circumfuſâ.

VVorden ad caput fluvioli inter Averendorp & Ter Horſt in Oſtam ſe infundentis.

Nordvvachteren, Suydvvachteren Fluviolis adjacent aquas ſuas congerentibus, ac inter Butzfled & Aſel Albi tradentibus.

Hi-

Himelport oppidulum in dextra Ostæ fluvii ora inter Bremer Furdam, & Orle.

Orle trans Oestam inter Hilmelport & Ter Horst.

Boterhude & *Koyenberg* ab Oriente Oestam, ab Occidente paludem Lange Moer habent.

Hasel, pagus, quà fluviolus originem capit, qui supra Himelport Ostę se associat, situs est.

Stader Heyde campus ericetis confertus, qui se ab ube Stadâ usque ad pagum Hasel extendit.

Laerhude ad Oestam suprà oppidulum Himelport.

Hogenovv Croech & *Frienbeke* inter utrumque flumen, Oestam & Swingam.

Voerda, *Furda*, *Bremer-Furde*, *Bremer-Foerden* pagus cum arce splendidâ hactenus Episcoporum Bremensium sedes fuit: ubi jam Regis Sueciæ Gubernator, qui huic Ducatui præest, commoratur. Pagus autem

BREMER FORDE

Ost

Fluvius



1. der Innere Schloß platz.
2. das Vorwerck
3. das New Gebew
4. die Kirche.

autem ille durantibus his postremis bellis vallo, propugnaculis, aliisque operibus militaribus circundatus est. Situm suum nactus hic locus in Oestæ dextro margine, & transeundus iis, qui Bremâ Hamburgum tendunt. Conditor arcis fuit *Luderus* Saxoniæ Dux, ut *Alb. Crantzius in Vandal. l. 3. c. 17.* testatur. Anno 1547. Bremenses hunc locum Archiepiscopo eripuerunt, qui ei recuperando postea multum temporis impendit.

Kocksted, *Blene*, & *Zeven* ad Oestam siti pagi: Primus infimus trans flumen in sinistro, reliqui duo cis illud in dextro margine: Blene medius est. Zeven supremus proximè paludem Corte Moer, ex quo Oesta oritur.


Sequitur tandem Territorium vetus Stadense, Das Olde Stade Land, ab urbe Stada denominationem sumens, quod duorum fluminum Swingæ & Essæ complexu comprehensum sequentes fluvios & loca exhibet. *Svvin-*

Swinga, *Swinge*, flumen ortum capit in Luneburgensis Ducatus finibus, & extremitatem paludis vicinæ permeans instar arcus laxati, Meridie deserto, Septentrionem petit, ac sub urbe Stada in Albim defertur.

Heesling, *Selmhorn*, *Bergstede* fluvio Swingæ appositi sunt pagi.

Stada, *Stadium*, *Stade*, *Staden* hujus territorii caput Suinga, vel Zuinge fluvio circundatur, ac parvo loci intervallo ab Albis fluvii ripâ sinistrâ sejungitur. Una ex Hanseaticis urbibus, secundum nonnullos Stada dicta à Statione militum, & secundum alios ante Romanorum in Germaniam adventum nota fuit. Vide quid *Saxo Grammaticus lib.* 1. *Histor. Daniæ fol.* 25. de eâ scribat. *Georgius Braun. lib.* 5. *de civit.* eam Saxoniæ civitatum antiquissimam 323. vel 633. ante Christum natum annis conditam esse tradit. *Pet. Bertius lib.* 3. *Comment. Rer. German. p.* 675. Saxoniæ antiquissimam civitatem, & *Ptolomæi* Situ-

STADA.



1. Rahthause.
2. S. Ioris. 3. S. Willat.
4. Groten thor.
5. Sault thor. 6. Caen thor.
7. Hassen vhet thor.
8. Stegher thor.
9. Scipfer thor.

Situandã esse arbitratur. Situm suum ab Occasu ad Ortum in longitudinem protendens fossis, vallis, propugnaculis ac turribus valide munitur, & sex portis patet. In latere Meridionali duę sunt Scipler Thor, & grotẽ Thor, id est, Scipleriana Porta, & Magna Porta: In latere Occiduo una Caen Thor, id est Caen Porta: In latere Septentrionali tres, Hassenvliet Thor, & extra hanc in suburbio Steger Thor, ac in medio latere isto Sault Thor. Loca urbis præcipua sunt: Domus Episcopalis, des Bisschofshoff, cum adjuncta Abbatia, proximè vallum Orientale inter duo propugnacula: Templum Montanum die Berg Kirch vallo Septentrionali contiguũ *S. Iohan.* templum proximè portam Sault Thor: *S. VVillati* templum inter portas Sault Thor, Hassenvliet Thor, *S. Nicolai* portas Hassenvliet Thor & Caen Thor: *S. Cosmi* è regione templi *S. Iohannis*, *S. Georgii* in foro equorum. *Bertius* quinque tantum tem-

pla numerat, *S. Pancratii* nimirum, *Nicolai, Cosmi, Iohannis* & *Georgii*. In Cœnobio *S. Mariæ* sepulta est *Agnes* uxor *Conradi* Comitis Palatini ad Rhenum, qui fuit frater Imperatoris *Ottonis IV*. Hi conjuges multis bonis, & inter alia pago Heredorf dictum Cœnobium donarunt, ut legere est in *Chronico Brunsuicensi pag.* 202. Epitaphium *Gotfridi* Archiepiscopi Bremensis in Choro templi S. Georgii lapidi incisum tale est: *Anno Domini* 1363. *in die Beatæ Barbaræ obiit Venerabilis Pater, Dominus Godefridus, nobilis de Arnesberga, Sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, hic sepultus, Orate pro eo, qui per* 12. *annos injustas injurias, à suis s. passus; sed tribulantes eum graviter à Deo puniti fuerunt.* Vide *Lindenbrogii scriptores rerum German. Septentrionalium &c. pag.* 142. Curia urbis splendidè extructa ante S. Cosmi templum cernitur. Xenodochium è templi *S. Georgio* sacri regione Meridionali fori equo-

rum

rum latus claudit. Mercatorum Basilica, die Beurs, ubi merces navibus imponuntur, & ex iis exponuntur, se conspiciendam præbet propè plateam, quæ ad portam Caen Thor ducit. In Gymnasio, quod amplissimus urbis Senatus instituit, Latina, Græca, & Hebraica lingua cum aliis artibus liberalibus juventuti inculcantur. In hoc floruerunt *Casmannus*, & *Severinus Sluterus*. Cives urbis humanitate & civilitate insignes exteteros, & peregrinos haud exigua benevolentia prosequi solent. Aër salubris, situs amœnus, ager urbem ambiens variarum rerum ferax, ac horti, & prædia civium extrà urbem insigni amœnitate & pulchritudine quemvis delectantes. Suburbia incolis plena sunt, & utriusque fluminis commoditas negotiationis, & Mercaturæ exercitio lucroso cives ditat. Cudendæ monetæ jus, insigniaque alia privilegia cives olim consequuti sunt, ex quibus illud haud

minimum, quod omnes naves Hamburgum tendentes antè fluminis Suingæ ostium fortalitio munitum ancoras figere, ac Archiepiscopatus Domino Senatuique Stadensi vectigal pendere cogantur. *Saxo Grammat. lib. 1. Hist. Daniæ.* Nemini itaque licet vel unicum cujusvis vini dolium navi Hamburgum deferre, nisi prius more consueto vectigal pependerit iis, qui hujus vectigalis exactores sunt. Hi ex urbe cum comitibus & satellitibus suis ab adventantibus nautis & mercatoribus ad naves invitantur, quibus ex quovis, vel minimo etiam, dolio singulo singula vini mensura, ut gustu explorent, propinanda. Si vectigalis illius præfecto vinum arrideat, illud justo pretio persoluto servare potest. Qui non soluto vectigali Hamburgum tendit, literis Hamburgum missis Stadam evocatur, ut mulctâ pecuniariâ vectigal negligentibus impositâ contumaciam suam redimat. Sta-

densi-

densibus olim controversia fuit cum Hamburgensibus de jure Dominii in Albi flumine, ac frumenti exportatione, ut *Chytræus lib.* 19. *Saxoniæ p.*490. testatur. In subjectos Senatus absolutam potestatem habet, ut ex locis justitiæ exercendæ dicatis, tàm in Albis ripâ contra piratas, quàm in alterius lateris monte contrà alios facinorosos patet. Proprios olim Comites, ac Marchiones Stada habuit, de quibus *Albertus Crantzius lib.*6. *Saxoniæ cap.*5. & 6. *Ioh. Angelius à VVerdenhagen de Rebus Publ. Hanseat. part.*3. *c.*2. *fol.* 212. seqq. legendi. Incolæ Stadenses, Stadingi, & Stadingii nuncupabantur. *Angelus in Chron. Marchiæ* & *Vbbo Emmius in fine lib.*6. *rerum Frisicarum* docent, quos post Comites Dominos habuerint, donec Archiepiscoporum dominio subjicerentur. *Philippus* enim Cæsar Sueviæ Dux hunc Comitatum Archiepiscopis Bremensibus dedit, relictis tamen Urbi Stadę juribus

ribus ac privilegiis ſuis. Anno 1234. grave bellum exortum eſt cum Stadingis vel Stadenſibus in paludibus hujus territorii inviis commorantibus, quibus hæreſios inſimulatis bellum Papæ *Gregorii* inſtinctu inferebatur. *Aubertus Miræus in Chron.* Ut alii tradunt, Canonici Bremenſes hujus Belli authores in eos bellum concitaverunt, quod Archiepiſcopo renitentes hæretici haberentur, cum tamen libertatem ſuam defenderint. Hinc à Pontifice & Imperatore *Friderico II.* proſcripti an. 1294. ad internecionem fere deleti ſunt. *Ubbo Emmius lib. 10. rer. Friſ. p.* 143. *ſeqq.* qui ipſos Stedingios nuncupat. Dithmarſia olim etiam annumerata eſt huic Comitatui Stadenſi, in quo cernitur Herſefelda vel Hertzfeld ad fluvium Luhe vel Auwe, de quâ ſuo loco. Poſt Comites Stadenſes alios adhuc Dominos Stada habuit, antequã Archiepiſcopi Bremenſes ea potiti ſunt, Inter eos fuit Henricus Leo
Saxo-

Saxoniæ Dux, ut ex *Crantzio, Emmio in fine lib. 6. Angelo VVerdenhagen, Angelo in Marchiæ Chronico, & aliis liquet.* Imperator *Otho IV.* & *Henricus* Comes Palatinus Ducis *Henrici Leonis* filii, jure ſuo, quo Stadam ad ſe pertinere contendebant, cedere recuſantes, urbem anno 1206. oppugnatam ceperunt, & Hardvicum Archiepiſcopum captivum abduxerunt. Arcem tunc temporis habuit, quam poſt urbem à Danis & Normannis deletam, & à Marchionibus ac Comitibus reſtauratam, *Sigfridus Henr. Boni* filius circà annũ à Chriſto nato 1000. eo in loco, ubi *S. Pancratii* templum hodiè cernitur exſtruxit. *Henricus* Comes Palatinus an. 1227. mortuus, Stadam antè obitum ſuum Archiepiſcopis Bremenſibus reddidit, ut *Chronicon Brunſuicenſe* refert. Imperatorem *Ottonem* ejus fratrem illud feciſſe alii ajunt. Diſplicuit hoc Duci *Ottoni*, utriuſque fratris filio, qui tantum Comitatum ab avo ſuo

Duce *Henrico Leone* ad suos devolutum, sibi eo pacto ereptum dolebat. Anno 1619. Daniæ Rex Stadam in potestatem suam redegit.

Auvve, Avve, Luthe fluvius in Ducatu Lunæburgensi per medias inter Essam, & Swingam paludes transitu capto, anfractuosi, & arcuati sui alvei ex Meridie in Septentrionem deducti undas per marginem sinistrum in Albim evacuat.

Hersefelda, Hertzfeld in dicti fluminis latere sinistro Monasterium cum municipio, aut oppidulo. *Angelus in Marchia Chron. Vdonem II.* qui anno 1100. Vandalis, seu Wendis Brandeburgum iterum extorsit, ac à *Primislao* Wendorum Rege anno 1105. expulsus est, anno 1106. in hoc oppidulo fatis cessisse narrat.

Horneborg, Hornburg, Hornborch oppidulum ad fluvium Auwe, quem *Zeilerus* Luhe appellat (alius ejusdem nominis Luhe est in Ducatu Lunæburgensi Winsen præter labens)

bens) inter Stadam & Boxtehudam. Hunc locum Duces Brunſuicenſes anno 1424. obſidione cinxerunt. Poſtquam proximum Monaſterium Herſefelde expugnaviſſent, templa hinc inde incendiſſent, & Buxtehudam oppugnaſſent, tranſactione amicâ bellum extinctum eſt.

Oldenkercke cum priore in ſiniſtra fluminis Auwe vel Luhe ripa, cum ponte ſternens, quem ſub hoc pago intrantem Albis arripit.

Thom lorcke pagus appoſitus dextræ ripæ fluvioli, qui medius inter Ouwam & Eſſam fluvios recto curſu in Albim deſcendit.

Nieuvve Cloſter, id eſt novum Monaſterium inter fluviolum illum, & Buxtehudam medium ſitum habet.

Dat Olde Cloſter, id eſt, vetus Monaſterium Buxtehudâ aliquanto ſuperius Eſtæ margini dextro accumbit.

Boxtehuda, Buxtehuda civitas Han-

ſeatica tribus Hamburgo milliaribus diſtans, quam Eſta fluvius ſecat. Nonnulli nobiles ex Buxtehudarum Proſapiâ oriundi olim cœnobium ſacrarum Virginum hoc in loco fundaverant. Hinc poſtea incrementis tantis ſurrexit, ut tempore Cæſaris *Rudolphi I.* à *Giſelberto* Archiepiſcopo Bremenſi civitatis juribus,& privilegiis donata civitas evaſerit. Hinc ad Eſtæ pontem deſcendentibus fertiliſſimi agri, & perpetui horti veteris Regionis (des alten Landes) uſq; ad fluvium Suingam per tria milliaria occurrunt. Anno 1424. Boxtehudam obſidione irritâ aggreſſus eſt Dux Brunſuicenſis. Idem fecit *Voldus* Mansfeldiæ Comes anno 1552. qui Cœnobium Virginum propè urbem incendio delevit.

Eſta vel *Eſſa* fluvius ex agro Lunæburgenſi excedens aquas ſuas per Buxtehudam in Albim provehit, & aquis ex Albi in alveum ejus ingredientibus adeò accreſcit, ut onerariæ na-

naves Buxtehudam accedere queant, ut ſcribit *Chytræus lib. 2. Saxon. pag. 61.* & *VVerdenhagen part. 3. rer. Hanſeat. cap. 2. in fine.*

Paludes: tertius hic locus paludoſus parte lateris Orientalis Lunæburgenſes terminos tranſgreditur, & Swingæ ac Ouwe fluminibus tranſitum præbet.

Vintel oppidulum ad fluvium Wemme proximè fines Ducatus Verdenſis.

DUCA-

DUCATUS VERDENSIS DESCRIPTIO.



ERDENSIS DUCATUS Bremensi & Lunæburgensi Ducatibus, ac Hoye Comitatu determinatus exiguis finibus circumscribitur. *G. Bruschius de Episcopatibus Germ. c.* 14. scriptum reliquit, Episcopatum hunc Verdensem à *Carolo Magno* circà annum 776. in Saxonia Orientali trans Visurgim in loco Konende, vel, ut alii volunt, Bardewici institutum, sed mox, melioris commoditatis causa Verdam, quæ tunc temporis longè nobilior, & celebrior, quàm hodie, erat, translatum esse. *Suibertum* primum Episcopum natione Anglum fuisse, ac anno 807. vitam finivisse. *S. Pattonem* Scotum ipsi successisse. Ante *Bruschium* & *Crantzius* eadem memorię prodidit. Sed *Ubbo Emmius lib.*

us lib.4.rer. Fris.hist.f. 66. Crantzium nominum similitudine deceptum hallucinatum esse dicit. Nam *Suidbertus* Verdensis ille Episcopus ex Frisia oriundus, alius fuit ab illo *Suidberto*, qui cum *VVillebrordo* ex Britannia venit. Tertius *Tanco* Scotus quoque fuit. Decimum *Erlulphum* cum multis aliis Christianis Eppeckstorpii Normannorum crudelissima tyrannis circà annum 876. de medio sustulit. *S. Adelvvardus* fuit decimus quartus; *Bruno* Saxoniæ Dux deinde Papa Romanus *Gregorius V.* decimus quartus; *Nicolaus* qui arcem Rotenberg tutissimum hujus Episcopatus munimentum munivit, & anno 1334. diem obiit, trigesimus sextus; *Daniel Carmelita* insignis totius cleri hostis trigesimus octavus. In exilio Coloniæ anno 1336. mortuo Epigramma sequens accinuerunt.

Daniel

Daniel Antistes, non curat Clerus, ubi stes,
Optans ut valeas, dum modò non redeas.

Theodorus van Niem quadragesimus quartus; *Bertholdus*, qui insignem in *S. Mauritii* templo Bibliothecam collegit, & urbem Roteburgum profundioribus fossis, & validioribus muris circumdedit, ac iisdem suburbium inclusit, annoque 1503. mortale corpus deposuit, quadragesimus nonus; Anno 1629. huic Episcopatui ut & Osnabrugensi præfuit *Philippus* Dux Brunsuicensis & Luneburgensis. *Besold. in Thes. pr. V. Bisschoff. p.* 122. De hoc Episcopatu v de *Schop. p.* 3. *Chro. Germ. c.* 6. *fol.* 78 De Episcopis quoque *Mattha Dresserum part.* 4. *Isag. Histor.*

Verda Civitas hujus olim Epis patus, jam vero Ducatus capu n dextro Alleræ fluvii margine, quem Occidentali suo latere attingit, à Meridie in Septentrionem exporrecta,

cta, quà in Occasum vergit, collibus, & clivis septa est. Murum lapideum seu Mœnia urbem ambientia turres aliquot firmiora reddunt. Opus antiquum ex antiqua muniendi arte profectum, quod subitaneam invasionem aliquandiu remorari potest, solidioribus autem viribus resistere nescit. Duplex est civitas, non tamen muro distincta, quarum superior Nova, & inferior Vetus appellatur. In nova civitate cernere est templum Cathedrali lateri Orientali insidens; ac supra hoc *S. Andreæ* templum in angulo Meridionali, propè portam novam, Nie Thor. Haud procul à lateris Orientalis fine in conspectum cadit *S. Nicolai* templum, è cujus regione in mediâ urbe est domus seu aula Episcopalis, Bisschofs Hoff, ubi Episcopi sedem & habitationem suam habere solebant. In latere Septentrionali est porta Septentrionalis Nordthor, & haud longo inde spacio versus Orientale

latus

latus templum *S. Iohannis* ſuprà quod Curia ſe ſpectandam exhibet. In medio latere Occiduo Porta, Burghthor appellata occurrit, per quam ad Alleram fluvium ituris exitus patet. Civitas ipſa non admodum ſpacioſa ædes non admodum multas in anguſtum ambitum cogit. Hinc civium frequentia non uſque adeò magna, quamvis pluribus templis abundet, quæ diverſis proculdubio Epiſcopis fundationem ſuam debent. Allera fluvius de piſcibus incolis proſpicit, & navigia fert minora; quæ adverſo flumina aſcendentia ab hominibus aut equis protrahuntur, & merces hinc inde vehunt.

VVittelho, *Auf Bergen*, *Dervverden* pagi ſunt aut vici inter ſiniſtrum Alleræ marginem & fines hujus Ducatus Meridionales.

Tetzkude pagus in ſiniſtra Alleræ ripa infrà Ferdam.

Langvvedel, *Langenvvedel*, *Languedelum*, *Langvveel* à nonnullis appella-

pellatum infrà Verdam arx est cum vico, ad Archiepiscopatum Bremensem cum arce Tedinghausen pertinens, quamquam in plærisque tabulis Geographicis in Verdensi Episcopatu locatur. *Hamelmannus in Chron. Oldenb. part.* 1. *cap.* 25. *fol.* 84. *Chytr. lib.* 19. *Saxon. p.* 420. *& alii.* Unde Scriptores ad Verdensem Episcopatum hunc locum referentes, vel modò Bremensi Archiepiscopatui modo Verdensi Episcopatui tribuentes errant. De nominis origine videatur *Iohannes Angelius à VVerdenhaghen de Rebuspubl. Hanseat. part.* 2. *cap.* 1. *fol.* 95. *a.* Bellum Suecis cum Cæsarianis gerentibus hic locus modo ab his, modo ab illis occupatus plurimis cladibus afflictus ac tandem anno 1644. à Konigsmarckio Suecorum Ductore exustum, valloque in fossam præcipitato & dejecto dirutus & solo æquatus est.

Inferius Rodenburgum, Nider Rodenburg oppidulum ad Lesmonam fluvium. *Hut-*

Huttelhof, *Ramsola* duo oppidula alia.

Ammendorf, *Shurvvalden*, *Spiker*, *Beinsselko*, *Holtzen*, *Scasvvinckel*, *Scharlo*, *Halben*, *Neukirch*, *Stellagde*, *Edinckhausen* reliqua sunt hujus Ducatus loca.

Hactenus Bremensis & Verdensis Ducatûs Descriptio. Excipit hanc brevis Narratio eorum, quæ proximis bellis gesta hunc Ducatum haud leviter afflixerunt.

Posteaquam Imperatoriis armis superiorem Germaniam Martis alea incolis iniquior subjecisset, tota Belli moles Inferioris Saxoniæ Circulum obruens eâdem clade regiones ejus nobilissimas prostravit. Quanquam enim totius istius Circuli proceres & Magnates Daniæ Regis *Christiani IV*. nuctu & auspicio viriliter Cæsaris invasioni se opposuerunt, tandem tamen succumbentes, & Rex ipse parte Regni pulsus est, & cæteri omnes libertatis jacturam fecêre,

cêre. Tempestatis quaquaversum cuncta prosternentis ictus horrendos quoque sensit Archiepiscopatus Bremensis hinc inde à Daniæ Regis militibus insessus. Horum exigendorum causa *Tillius* Imperatoriarum copiarum præfectus summus, Archiepiscopo subjectas ditiones aggressus est, ac primo Langenweel in Archiepiscopatu Bremensi an. 1626. sui juris fecit. Sequenti 27. anno Comes *Anholtius* Danicas reliquias ex Scotis & Anglis constantes per Bremensem districtum persequutus est, ac eum depopulatus haud exiguâ Bremensem Rempublicam clade affecit. In cineres redactus tunc elegans ille vicus & pons Lesmonam fluvium sternens à *Morganio*: munimentum verò extructum à Cæsarianis in transitu zur Burgh, quod Bremensibus plurima damna intulit. Eandem fortunæ aleam subiit ager Ottersbergensis, in quo arx Ottersberg quoque capta est. *Morganius*

ganius reliquias suas militares Stadam deduxit, eamque adeò firmavit, ut diuturniore defensione obsidentis *Tillii* spem remoratus fuerit. Vis tamen externa obsessorum virtute tandem superior, animosum & rebus militaribus exercitatum virum *Carolum Morganium* coëgit, ut 27. Apr. 7. Maji anno 1628. deditionem urbis pactus, bis mille & quingentis militibus, exiverit. Buxtehudani Cæsariana arma sibi quoque imminere cernentes, Danum militem, qui ipsis præsidio datus fuerat, armis nudatum urbe ejecerunt. Hoc pacto totus Archiepiscopat. Cæsaris Dominio cessit, ac *Iohanni Friderico* Archiepiscopo, præter nudum tituli usum, nil reliqui factum est. Sequuta Lubecæ pacis-transactio Daniæ Regi amissa restituit. Proceres & Magnates Saxoniæ inferioris cæteri magna bonorum parte mulctati, eodem malo & Superioris Saxoniæ Principes, uno Saxone Electore excepto,

cepto, mactari videbant. Omnes in universum expectabant, ut Edicti illius, quod 1629. emanans bona omnia Ecclesiastica reddere jubebat, fulmine prostrati ad incitas redigerentur. Porrò id agebatur, ut Archiepiscopatibus Magdeburgensi & Bremensi, ut& Episcopatui Helberstadensi Cæsaris Filius *Leopoldus Guilielmus* Austriæ Archidux præficeretur. Sed molitiones has turbavit Rex Sueciæ *Gustavus Adolphus Magnus*, qui anno 1630. in Germaniam irrumpẽs Bienni spatio totum Imperium Romanum pervasit, unde factum est, ut Cæsariani ex Archiepiscopatu Bremensi, non tamen sine magna incolarum clade etiam ejecti sint. Nam Anno 1631. Archiepiscopus *Iohannes Fridericus* Sueciæ Regis partibus se adjunxit; Qua de re, *Bogislaus Philippus à Chemnitz Historiographus Regius Belli Sueco German. volum.* 1. *lib.* 3. *pag.* 214. sequentia tradit. *Cum primis Archi-præsul Bre-*

mensis

mensis conceptum, ob controversiam de administratione diœceseos sibi motam, & illatas multifariam injurias odium, quod contectum, & alta mente hucusque repostum foverat, post debellatum ad Lipsiam hostem, senescente anno, palàm erupit. Vixerat is intemerata in Cæsarem fide, dum cum Rege Daniæ tumultuaretur, & Cæsari, magnificis ejus expurgationibus, promissisque fretus, unicè adhæserat. Adeò ut ob fidem Cæsari servatam, à Rege Daniæ Fimbria, proprii patrimonii insula, quam Rex, bello fervente occupatam, pace factâ non reddidit, mulctari mereret. Expertus autem paulò post fuerat: Exitiabili Protestantibus anni 1629. Edicto suum quoque jugulum peti, & certo sibi demenso annuatim attributo, Cæsaris Filium Leopoldum Guilielmum Archi-Ducem diœcesi suæ intrusum iri. Quapropter justâ indignatione motus, alibi dignitati ac fortunis suis stabilimentum quærere, ad Regem Sueciæ, propinquo cognationis vinculo junctum, se applicare, ejusque

que patrocinium ac tutelam ambire, suborta hoc bello, decernebat. Iamque IX. Kal. Iul. eò res devenerat, Iohannis Salvii Regii Commissarii interventu, ut de fœdere certis legibus iniretur pactio; cujus in tabulis Rex Sueciæ recipiebat: quia Archiepiscopus conquereretur, malevolos & hostes inditionibus, juribus, & privilegiis suis, non modo præcipua diocœseos loca infestis præsidiis insessa tenendo, sed & mobilibus illic repertis indignê manus injiciendo, subditosque iniquissimis exactionibus gravando multum ipsi creasse prajudicii, id unicè acturum se, omnesque convenientes initurum rationes ac vias, ut Archiepiscopus ab ejusmodi indignitatibus liberatus, quod ipsius esset, Deo, & omni jure suffragante, ad dies vitæ quietus retineret. Vicissim Regi hic, in præsenti bello ad obtinendam, communi Protestantium bono, ejus intentionem, fidelem operam navaturum, militeque & pecunia, quantum status proprii facultas & securitas pateretur, adminiculaturum, fidem

dem suam obstrinxit. Istud eorum propositum, quò facilius effectum sortiretur, Anglo Scotorum novos delectus, sub Marchione Hamiltonio, Rex huc destinarat; Qui ad Albis seu Visurgis ostia in terram expositi, Archiepiscopo res novas animo molienti, & militem in præfecturis Holsaticis, jure hæreditario possessis, finium muniendorum prætextu, pariter conscribenti præstò forent. Hæc ut ut clanculò tractarentur, non potuêre tamen adeò in occulto haberi, ut Tillium vigilantissimum & versutum senem, omnino fallerent. Is ergò impensè operam dare, ut re exactè comperta, nascenti malo in ipsis cunabulis occurreret. Hinc interceptæ ab eo, & resignatæ Archiepiscopi litteræ: Hinc in Provincia VVursterum, quam primam tumultus fore palestram forsan autumabat, Ordines provinciales, conventu instituto, per Reinackerum Tribunum, gravi militarium hospitiorum comminatione, se obligare in scriptis adacti: In Cæsaris fide ac obedientia perstituros, nec quicquam
in

in Cæsaris, Imperii, & Cæsarianorum, qui aut nunc apud eos commorarentur, aut commoraturi essent in posterum, damnum, aut præjudicium molituros, quin omnibus id viribus amolituros potius. Archiepiscopum quoque, litteris ad eum datis, submonebat Tillius: Ne intuitu Archiepiscopatus, ob attentatam ejus translationem, cum quoquam nato homine in tractatum descenderet, multò minus arma induens, infidæ externorum Principum amicitiæ se illigaret. Reverteretur potius ad meliorem mentem, & molitionibus ejusmodi sua sponte abstineret. Invalescentibus verò indies suspicionibus, contrà Episcopum conceptis, etiam dedando in custodiam actum, jamque faba in ejus libertatem causa erat; Ni à persona non postremæ dignitatis, quæ eodem tempore, dum consilium istud sub incudem veniret, nullius militiæ innexa, Tillium ut honorarius miles sequebatur, clàm admonitus, anticipatâ Bremam fugâ, discrimini jam jam instanti caput subtraxisset. Licet verò

Anglicanæ & Scoticæ copiæ, errore nescio quo, non ad Visurgim aut Albim, sed in Pomerania appulerint, Tottio tamen Campiductori, maximè post feliciter pugnatam ad Lipsiam pugnam, à Rege injunctum fuerat, Megapoli ab hostium jugo liberatâ, huc vertere arma, & Archiepiscopo suppetiatum ire. Quod priusquam fieret, Archiepiscopus, omnis moræ impatiens, cum novo, quem conscripserat, milite, rei periculum facere constituit, ac Langvvedelo primum ad Visurgim, mox Verdâ occupatis, Clerum, qui illic nidulatus fuerat, pontificium, captâ nuper sede, ejecit. Et sanè prima in eum Cæsarianorum consilia cadere in cassum: Reinackero, qui cum octingentis peditibus, ducentis equitibus, & machinis nonnullis exorienti novo hosti imminebat, re infectâ retrocedente, dum Brema, præter urbem, qua necessario intra tormentorum jactum iter illi erat, transitum denegat. Nec ob id tamen abstitêre proposito, sed Comiti Gronsfeldio in Comitatu Hoyensi non

diu

diu post junctus idem Reinackerus, confecto trium millium exercitu, Alleraque tramissâ, in hostem uterque tendentes, Langvvedelum, Verdamque ab Archiepiscopo præsidio munita, recepêre. Oppressis mox ubique, & dissipatis Archiepiscopi novellis delectibus, quorum reliquiæ Cæsarianorum manus ægrè elapsæ, Bremam trepido pede se contulerunt. Archiepiscopus ergo hac vice latibula sua revisere cogebatur: Nec solus ipse par Cæsarionorum armis: & Regiis, ipsi destinatis, subsidiis, quæ Mægapolis adhuc occupabat, voto atque ardore ejus tardioribus. Verda ergò & Langwedelum bis anno 1631. occupata, & uno eodemque anno binâ clade afflicta haud exiguo damno rerum & bonorum suorum jacturam fecerunt. Prior occupatio facta est in principio Novembr. an. 1631. quam posterior mox sequuta est. Eodem anno Bremenses munimenti à Cæsarianis ad transitum zur Burgh erecti, potiebantur, ac illud dejiciebant.

Sequenti 1632. ad Sueciæ Regis partes transierunt, certi tributi intra sex menses, seu in pecunia numerata seu commeatu solutionem, & suæ Urbis contra Sueciæ Regis belli religiosi, quod in Germania à Protestantibus gereretur, Moderatoris hostes defensionem obstricta fide pollicentes: ut &, necessitate postulãte, Suecico exercitui per fines, territorium, imo urbem ipsam liberum, nec impeditum, attamen sibi minimè damnosum transitum, suo tamen arbitrio, & cohortatim; præterea quoque tutum sub tormenta exercitui forsan ab hoste presso receptum ultra, citraque flumen, & laborantibus copiis auxilia sua offerentes. Rebus in Megapolitano Ducatu confectis, eâque regione pristinis suis Dominis restituta, *Achatius Tottius* Campiductor, mandato Regis, auxiliares copias Albim transmisit, ut Archipræsuli Bremensi ereptas sibi à Cæsarianis ditiones recu-

recuperaturo operam ferret. xiii. Kal. Mart. *Mainius* Tribunus Regius Voerdam vel Bremer Voerdam ante Episcopalis sedem Cæsarianis Stratagemate extorsit. Cum paucis enim suis, qui palantes hinc inde Voerdam obequitabant, præsidiarios circiter ducentos elicuit, qui Suecos graviter mulctandi causa erumpentes, & justo longius temerario fervore avecti ex insidiis proximè latentibus subitò oppressi, & aditu ad arcem interclusi, eam defensoribus viduam Suecis reliquam fecerunt. Ottersbergâ Archiepiscopus jam potitus erat. Præsidium Cæsarianum Boxtehudę *Tottius* bidui spatio coëgit, ut iv. Non. Martii salvis impedimentis & armis, signis expansis, fomitibus accensis, & globulis ori insertis urbe excederet. Ea, quæ dictum diem præcessit, nocte *Kiglerus* Archiepiscopi sub-Tribunus, milite suo, cui Wurstenses se adjunxerant, Friburgo Danos, qui-

bus oppidum illud à Cæsarianus datum fuerat, expulit. Clandestino cum Cæsarianis tractatu locum hunc quod Dani insciis Regis & Archiepiscopo defendendum susceperint, planè displicuit. Juris, quod Daniæ Regis filio *Friderico* Coadjutori competebat, defensio huic facto à Danis prætexebatur. Sed *Fridericus*, vivo adhuc Archiepiscopo, nihil juris habebat, electionem legitimam adhuc præstolans. Rex porro in mandatis dederat multo ante *Salvio* Legato suo, ut inter Daniæ Regem, & Archiepiscopum lites & controversias ortas componeret, & Daniæ Regi de futura filii in Archiepiscopatu successione Regia fide caveret. Sed tandem Daniæ Rex misso ad *Tottium* Legato ignorantiâ facti se excusavit, & se inscio illud gestum esse affirmavit. Buxtehuda dedita Suecicus exercitus Stadam cinxit, ac Swingę ostium clausit, ne quid anxilii, aut commeatûs Cæsarianis suppeditari

ditari posset. Ultimo Iduum Martii Cæsarianum munimentum Swingę ostio impositum Regiis cessit: quod tamen sequenti mox die ab obsessis receptum est. Interea *Pappenhemius* Cæsaris Dux militaris cum exercitu in Westphalia coacto Alleram petiit Cæsarianis in Archiepiscopatu Bremensi laborantibus suppetias laturus. Hic Rethemio, & Verda occupatis, ac præsidiis militaribus firmatis, ut necessitate postulante liber & tutus ipsi reditus pateret, Archipræsulis equites ad Alleram fudit, & postquam præcursores ejus à Finnobus strenuè repulsi fuerant, toto exercitu ingruens eos ab Allerâ removit, ac fluvium transmisit. Nunciato Pappenhemii adventu *Tottius* Walsrodæ cum universis copiis consistere decreverat. Ter mille & quingentorum erant peditum integrâ valetudine ac octingentorum equitum. Sed hostium celeritate præventus *Leslei*, *Monroi*, & *Brunneman*-

 ni

ni Legiones in Kedingensium ditionem ablegat: Cum reliqua exercitus parte in Palæogæam seu veterem Regionem ipse secedit. Interim *Pappenhemius* ultimo Kal. Maji quadraginta tribus equitum vexillis, & quinque Legionibus peditum, quæ, ut exploratores conjiciebant, bis mille equites, & quater mille sexcentos pedites conficientia Suecos numero maxime superabant, Stadę appropinquans uno ab urbe milliari castra locavit, ipsaque vespera urbem ingressus est. *Tottius* iis qui Kedingensium in tractu morabantur, literis navi missis significandum curaverat, ut aggerum perfossione, & aquarum admissione hostibus aditum intercluderent, sed tempestas, & adversorum ventorum ferocia prohibuit, quominus tempori nuncium perferretur, & illud factum sit. Hinc Cæsariano sub *Pappenhemio*, uliginosa loca pontibus tumultuariis transmittentes XVII. Kal. Maji impe-

impetum in ipſos fecerunt, adeò ut Regii quaſi quadringentorum militum, & *Brunnemanni* ac *VVeiſmeieri* ſub Tribunorum, aliorumque jactura in Hadelenſem provinciam ſe receperint, & incolarum auxilio hoſtium victoriam perſequentium vim ſtiterint. Dum autem hoſtes aliquot dierum mora diſtinet, interim Lohuſiana Legio, & reſiduus Ducum Megapolenſium equitatus è Megapoli, ab alia parte *Georgii* Ducis Lunæburgenſis nonnullus miles, & à *Franciſco Carolo*, Saxoniæ Inferioris Duce conſcriptus noviter eques, pedeſque, tum *Caggii* denique Tribuni copię appulerant. In has copias in ſtationibus ſuis excubantes XIV. Cal. Maji *Pappenhemius* omni vehementia invehere, & tranſitum Hornburgenſem ſummâ vi adoriri. Repreſſus tamen fortitudine tantâ à milite Regio, ductu Lohuſii, ut etiam Lunulæ dimidiatæ tranſitus ingreſſum cuſtodientis, & opere

 tumul-

tumultuario excitati oppugnatione oleum & operam perderet. Alio loco iterum irruentem *Tottius* equitatu præstolans tam lautè excepit, ut ejusmodi fercula cruenta fastidiens cum nauseâ exercitum Stadam reduxerit. Cæsarianis, & Suecis mutuas has velitationes exercentibus, navis Albi fluvio descendere jussa, ut exploraret, nunquid Cæsariani in flumine tentaturi essent. Hæc in reditu Tychopolin prætervecta, ex ligneo propugnaculo flumini incumbente tribus semimuralium tormentorum ictibus petebatur. Uno ictuum prope aquæ superficiem perforata mox undas hausit, & in proximo tumulo cuidam arenario subsidens fundum petiit. *Penssius* Gubernator factum excusans dicebat: Magnatum naves bellicas prætereuntes, & tribus tormentorum ictibus Danos salutantes, totidem Regis nomine resalutari. Hinc illorum incuriâ forsan globum navem involasse, quam

quam prætervolare debuerat. Stadam annonę inopiâ vehementer urgebat, non ideo liberatam, utpote quam omnibus rebus destitutam, nec alicunde remedium sperantem fames obsidione premens tãdem tamen Suęcis traditura videbatur. Quibus ut tantus bolus eripi posset, vafro consilio Danię Regi locum hunc reliquiis, quæ in Bremensi Archiepiscopatu Cæsari supererant, obtulit *Pappenhemius* literis scriptis ad Regem, qui Provincialium Ordinum Rendisburgi tunc temporis conventum habebat. Inescando Regi parata tendicula, ut cum Sueciæ Rege commissus Cæsarianis expirantibus aliquam respirationem pareret. Sed in arietando hoc murofrustra fuit, Tychopolis enim Gubernator *Penssius* obliqua exploratione ex *Salvio* Commissario Regio, quid animi Suecis foret, expiscaturus, hoc responsi tulit; Regis mandato se antehâc Archipræsuli suasisse, ne

Daniæ Regi ſucceſſionem filii ſui in Archiepiſcopatu argenti remoram objiceret. Jam verò Friburgenſi actu, & Danorum cum Cæſarianis clandeſtinâ tractatione negotium ita mutatum eſſe, ut conſulto Rege & Archipræſule nihil agere queat. Ad eos igitur rem deferendam, eorum ſententiam expectendam. Interim Camarinam movere conſultum ſibi non videri. Si *Penſſius* miſericordiâ motus alia ratione ab hoſtibus impetrare poſſet, ut Diœceſi Bremenſi excederent, id nec moleſtiam Suecis pariturum, nec ab ipſis impeditum iri. Ex hac reſponſione Dani hujus tractationis eventum faci- li conjectura providentes cœpta tractatione ſuperſederunt. Regis autem nomine *Pappenhemio* reſponſum: Milite Regis Sueciæ, & Archipræſulis, Diœceſin Bremenſem evacuare, & Archipræſuli in redituum adminiſtratione aliquod inferre præjudicium (quæ utraq; conditio

ditio traditioni ānectebatur à Cæsarianis) nequaquam in Daniæ Regis stare arbitrio: Nec ipsi collibitum. Archiepiscopatus possessionem acquirendo, difficultatibus, quæ imminere videantur, se implicare, quin tritâ potius & solitâ hac in re usurum viâ. Spe sua frustratus *Pappenhemius*, ut non ita pridem Magdeburgum deseruit, ita etiam nunc Stadam deserere in animum induxit. Claves portarum Senatui Urbano reddidit, aliquot millium Joachimicorum pro innoxio abitu urbi solvendorum solutionem civibus remisit, acerbitatem persequutionis in Religione excusavit, aliquot centurias ægrorum remanentium civium curæ commendavit, ac III. Non. Maji cum omni milite urbe excessit. Post menstruum tempus se rediturum aut pollicebatur, aut minabatur. Pauculas Urbis machinas secũ abduxit, reliquas foramine igni accendendo utili obturato corrupit,

& eas,

& eas, quæ in munimento fuerunt in aquas projecit. In itinere Bremensium Voerdam aliquot assultibus irritis tentavit, damno militum non exigno à præsidiariis repulsus. Sueci mox munimentũ ad Suingam, ac inde Urbem ingressi trecentorum suæ nationis & trecentorum Germanorum præsidio eam firmarunt, Tribunique Krichtomii curæ commiserunt. Hac occasione igitur Archiepiscopus suarum ditionum possessionem recuperavit, & eam Suecorum beneficio usque ad annum trigesimum quartum sæculi præsentis tutatus est. Prid. Non. Septemb. hora 9. ante Meridiem eodem anno è vita abiit; in cujus locum legitima capituli electione substitutus est *Fridericus* Sleswici & Holsatiæ Dux Daniæ Regis *Christiani IV.* Filius, cum quo Sueci an. 1635. 18. Januar. stil. n. Buxtehudæ certis conditionibus pacti sunt, ut ipsi episcopatum restituerint. Sed bello orto inter Ar-

Archiepiſcopi patrem Daniæ Regem & Suecos militiæ Suecicæ præfectus *Konigsmarckius* Archiepiſcopatum Bremenſem iterum invaſit, & anno 1644. *Langenvvelam* Archipræſuli eripuit, receptam ab hoc Junio, & ab illo recuperatam Julio menſe, qui eam diruit & ſolo æquavit. Eadem viciſſitudine eodem anno Hagen arx *Konigsmarckio* & poſt Archiepiſcopo ceſſit. Idibus Februarii anni 1645. *Konigsmarckius* adortus Stadam deditione ſequentis diei eam ſui juris fecit. XII. Kal. Martii ſequuta eſt Buxtehuda, eodemque menſe Martio Ottersbergă. Voerda Bremenſium anno 1646. occupata à Suecis aſtu ad Archiepiſcopum eodem anno rediit, amiſſa tamen iterum anno 1646. & Suecis tradita. Rebus cum Archiepiſcopopatu Bremenſi ita comparatis Danię Rex *Chriſtianus IV*. moritur, *Fridericus* patri ſuccedens Archiepiſcopatum cum Regno mutat,

tat, & Sueci Archiepiſcopatum armis acquiſitum & anni 1648. tranſactione pacem Germanis reddente, in Ducatum mutatum hactenus tranquillæ poſſeſſione obtinent.


WISMARIENSIS DOMINATUS DESCRIPTIO,



ISMARIENSIS DOMINATUS in Ducatus Megapolitani littore Septentrionem intuente inter Roſtochium & Lubecam urbes ſitus Civitatem & Portum Wiſmarienſem, cum fortalitio Walfiſch, & Præfecturis Poël, & Neuwen-Cloſter complectitur. Rex Sueciæ ut feudum poſſidet, Imperatoris & Imperii Statuum & Ordinum conceſſu Regno Sueciæ ſubjectum Monaſterii anno 1648. quo pax inter Cæſarem ac Suecos eſt reconciliata. Ad eum pertinent terræ utriuſque lateris portum complectentis, & ab urbe in mare Balthicum progredientis. In Præfectura autem Poël eximuntur quatuor pagi, Schedorff, Weitendorff, Brandenhuſen, & Wan-

Wangern, qui ad hoſpitale S. Spiritus in Urbe Lubeca pertinent. Patet hoc ex articulo x, quem ex Inſtrumento pacis præmiſimus. Urbis Wismariȩ deſcriptio hæc eſt.

VVismaria ſitum ſuum Roſtochii urbis ſpatioſam magnitudinem ferè exæquantem in angulo explicat, in quem Sinus deſinit, qui ex mari Balthico per Ducatus Megapolitani marginem anfractuoſum Lubeca Roſtochium proficiſcentem à Septentrione in Meridiem ſe inſinuat. Media inter Lubecam & Roſtochio utrinque ſeptem milliarium intervallo abeſſe & Suerino quatuor milliaribus diſtare fertur. Mare fluctuum ſuorum impetu civitatis mœnia feriẽs criſpata reciprocatione eos revertentes reſorbet, portũq; adeũdo & abeundo eà ratione excavat, ut vel profunditate vel capacitate in toto mari Balthico vix parem habeat. Tranquillitatem taceo, & ſecuritatem, queis in ſtatione hâc navibus fru-



Stadt vnd Vestung
WISMAR.
1. Das Citadell.
2. S. Marienkirch.
3. S. Georgen.
4. S. Nicolaus.
5. Fursten hauß.
6. Das Rahthaus.
7. Der Marckt.
8. Lubecker Thor.
9. Meckelburg thor.
10. Rostocker thor.
11. Porler thor.

fruentibus tempestatum horribiles insultus damnum dare nequeunt. Onerariis autem navibus illis magnis pleno onere ad urbem accedere licet, eo nomine felicem & celebrem, quod navigationi & commerciorum beneficio ditandi se occasionem adepta emporium Balthici maris admodum celebre evaserit. Ædificiorum eleganti admodum compositione superbiens & munimentorum validissimorum nuperis bellis veteribus adjunctorum tutela nitens hostilium molitionum terriculamenta facilè jam ridet, & plurium operum publicorum ostentatione in conspectum prodit. Lateri plagam aëris inter ortum & meridiem intermediam inspectanti prætenditur castellum, quod quinque propugnaculis defenditur, & fossa duplici ambitur, præter aquas largiores, quæ illud versus meridiem & ortum latiore explicatione circumfundunt. Occasui Hyberno obversum latus por-

tus

tus tangit ex ſinu ad urbis mœnia tranſiens; & onerarias mercibus omnigenis plenas admittens. In angulo Urbis occiduo Porta eſt Lubecenſis, quà Lubecam tenditur; Quæ in Septentrionem prona eſt, Pœrlerenſis porta vocatur; Roſtochienſis occupat urbis latus, quod in orientem vergit; Meckelburgenſis in Meridiem converſa nomen proximo pago Meckelburg acceptum fert. *S. Mariæ* ſeu *Beatæ Virginis* templum medium in urbe locum obtinet, & ſtructuræ elegantis ſplendore nobilitatur. Cancellatum ferrum in eo baptiſterium ambiens ideò memorabile eſt, quod à Diabolo fabricatum fertur. Fabrum, ajunt, qui ejus conficiendi curam ſuſceperat, & perficiendi ſpem omnem abjecerat, Diaboli axilium imploraſſe, hunc verò promptum adfuiſſe, & opus abſolviſſe, quod nullus artifex hactenus imitatione aliquâ exprimere potuit. Vile quidem apparet, ſed

ſed tamen funium, aut laqueorum inſtar nexus artificioſos ubiquè implicans inſignis artificii ſpecimen eſſe videtur. Templi hujus opus ſub tecto arcuatum ex lignis compactum eſt: Poſt Chorum vetus horologium cum aliis artificioſis operibus dierum & menſium judicia facit. In turris ex lapide quadrato excitatæ faſtigio ſtantibus non tota ſolum civitas, ac circumfuſa regio, verum & ipſum mare Balthicum ac naves procul in eo navigantes in oculos incurrunt. Quà in occaſum æſtivum ſe templum hoc extendit, è regione oppoſitum aſpectat *S. Spiritus* templum intercedente tamen inter utrumque ędium ſetie interpoſitâ. Vicinum porro eſt *S. Georgii* templo, quà occaſum ſpectat; Hoc arcuato opere eleganti & lapideo inſigne areâ latiore ſejungitur à veteri ducum Megapolitanorum palatio & ſede, verſus meridiem ſitâ, circa quam plateæ & ædificia plura elegan-

gantiã ſuam oſtentantia occurrunt. Inde *Beatæ Virginis* templũ prętereũtes, & in orientem tendentes forum oſtendunt ſpatioſum, cum Curiâ ſplendidè extructâ, & in fori latere Boreali locum habens, quæ antiquâ ſuâ ſtructurâ vetuſtatem ſuam ſatis teſtatur. In medio ferè foro fons eſt ſeu hydraulicum opus dulcem aquam promens, qua ante ſcaturiginem ibi inventam civitas indigebat, ut ex inſcriptione operis iſtius patet. Foro eidem cootigua ſunt Pharmacopolium urbis publicum, & cella vinaria publica, in qua vinum publicè promitur. Proximè vallum quod caſtellum ab urbe ſecernit, Cœnobium eſt, Das ſchwartze Munchsklοſter, monachorum ſcilicet, qui nigro veſtitu incedunt. Alterum à Curiâ verſus Septentrionem remotum, Das Gravve Munchsklοſter, id eſt, monachorum cinerei coloris veſte indutorum: A quo in Septentrionẽ porrò recedenti obvium

vium sit templum *S. Nicolai*, quod non longè à porta Poerlerensi abest. Unum adhuc veteris Wismariæ templum, die Kirch zum alten Wismar nuncupatum, olim hanc Urbem vicum fuisse testatur. Tota civitas pulchris & eligantibus quidem ubique ædibus lapideis, & plateis latis ac spaciosis exornata: sed incolis non usquè quaquè referta, & proinde non grandi commerciorum frequentiâ gaudet, præcipuè si cerevesiæ coctionem civibus haud parum lucri parientem excipias. Forsan jam, Suecis eam tenentibus, felicior, & florentior. Circumjacens Regio admodum fertilis, oppidulis, pagis & vicis frequentibus abundat, & Wismariensibus civibus de omnibus rebus necessariis copiosâ largitate prospicit. Quantum ad hujus Urbis originem, & denominationem attinet, ex *Iohannis Micrælii lib. 2. de Pomeran. pag.* 140. *seqq.* pauca præmittemus, iisquè, quæ huc pertinent,
adji-

adjiciemus. Authoris vetba ſunt, quæ ſequuntur: Wendiam ac Wandaliam Scriptorum, *Crantzii* præſertim ignorantia confundi fatendum eſt. Omnis inter Travam, & Viſtulam, ſeu Lubecam & Dantiſcum interpoſita Regio vera & vetus eſt Wandalia, ſeu Vandalia, ejuſque civitates Wandalicæ nuncupatæ, antequam Wendæ in eaſdem pervenerunt. Qui hujus diſcriminis ignari ſunt, & Wandalios jam antè Chriſti nativitatem pomeraniam, Megapolitanum Ducatum & Holſatiam inhabitaſſe audiunt, in eam traducuntur opinionem, ut has regiones ab initio Wendas fuiſſe arbitrentur, quod jam refellimus. Vandalica, ſeu Wandalica gens olim potentiſſimus Germaniæ populus tandem cum potiſſima juventute ex Balthico mari adjacentibus regionibus diſcedens Romanis ſubjectas terras & provincias invaſit. Eâ de causâ hallucinantur Scriptores Polonici, ac inter eos

Vapo-

Vapovius, atque *Cromerus*, dum opinantur, *VVissimarum* Principem Wandalicum, quem navibus conscensis in Daniam vela fecisse, & Danorum Regem *Sivvardum* vicisse, & interfecisse apud *Saxonem* & *Crantzium* legunt; Polonum aut Wendam ex *Lechi* prosapia oriundum fuisse. Has ineptias *Neugebauerus*, ipse quoque Scriptor Polonus, minimè probat. Nam *VVissimirus* ille, aut *VVismar*, qui Wismariam urbem condidisse fertur, 340, post natum Christum anno navali pugna *Sigvvardum* Regem superavit. Sed *Lechus* Wendorum, aut Wendarum princeps anno post natum Servatorem 550 aut circa 644. annum, ut alii annotâverunt, ad Poloniæ Gubernaculum admotus est. Qui ergo *VVissimirus* ducentorum aut trecentorum annorum spacio Lechum antecedens ex ipsius familia oriundus esse potuit? Equidem puto, dictum *VVissimirum* *VVismari*

Wandalici vel Astigici Regis Filium, aut cognatum fuisse, qui cum Wandalis Danubio fluvio rigatas terras petiit, & *Constantini Magni* tempore à *Geberico* Gothorum Orientalium rege cæsus est. Hæc *Micrælius*. De Urbis autem hujus origine & nomine una non est authorum opinio. Quidam Wissmarum, qui *Alberici* filius fuisse dicitur, Urbem Wismariam condidisse eamque nominis sui participem fecisse tradunt. Aliorum opinio est, Gothicos populos ex urbe Wisbuy Gothlandiæ metropoli in hunc locum deductos ob portus securitatem, & stationem omni periculo carentem ei Wismariæ, id est certi aut securi maris nomen indidisse. Nonnullis placet, nomen illud à conditore dicto partim, partim verò à mari opportuno originem traxisse. Circà 975. annum, quo Imperator *Otto II.* ibi comitia celebravit, ut legere est apud *Sethum Calvisium in Chronol.* *fol.*

fol. 597.*a.* vicus adhuc grandis fuisse perhibetur. Anno 1238. Comes Swerinensis *Guntzelius II.* Lubecensibus efflorescentem Urbis suæ statum invidens Wismariam ex dirutæ & in vicinia sitæ urbis Meckelenburg, quæ aliquanto remotior à mari olim potentissima fuit, ruderibus dilatavit, amplificavit, & Meklenburgenses cives in eam transtulit. Eidem postea Dux Meklenburgensis *Henricus* cognomento Hierosolymitanus, *Iohannis Theologi* filius civitatis jura, privilegia, & immunitates circa 1266. annum concessit. A veritate hoc alienum non esse, omnium hujus urbis privilegiorum dies adscripti, qui annis millesimum ducentesimum quinquagesimum sequutis notati sunt, innuere videntur. Vide *Chytræum lib. Saxoniæ, pag.* 252. Temporis successu incrementis tantis surrexit, ut fœderis Hanseatici urbibus præcipuis annumeraretur, & Hanseaticarum civitatum bel-

a cum hostibus gerentium classes in hujus urbis portu colligi, & ex eodem solvere solerent. Anno 1262. ferè tota incendio conflagravit, posteà longe splendidior ex cineribus surgens, & lapideis ædibus exornata. Anno 1301. *Henricus* Dux Meklenburgensis exercitu suo Wismariam petiit, eamque ad obedientiam revocavit. Anno 1407. Faber Lignarius in urbe securi prægnantem uxorem mediam dissecuit, liberos suos vita privavit, & sibi ipsi cultro mortem consciviṫ Anno 1409. Wismarienses Senatoribus veteribus rejectis novos eligerunt. Dux Meklenburgensis in urbem veniens, novis comparere jussis, cum cives concursare intelligeret, equo conscenso ex civitate abiit. Anno 1417. cum Senatu veteri in gratiam cives redierunt, Senatumque pristino statui restitutum princeps confirmavit, civitatem autem decem millibus marcarum mulctavit. Anno 1427. cives
Iohan-

Iohannem Bantschovium Consulem & *Iohannem* aut *Henricum* (secundum alios) *à Haren* Senatorem (nonnulli posteriori Consulis, & priori Senatoris munus attribuunt) in vincula conjecerunt, & innocentes in foro decollaverunt. Principem porro octennem adduxerunt, qui ipsorum jussu Senatores novos manuprehensos in soliis suis collocavit, & urbis regendæ curam gerere jussit. Sed, Cæsare *Sigismundo* intercedente, res anno 1430. composita, novus Senatus abdicatus, & Vetus restitutus est. Civibus verò mulcta haud exigua irrogabatur, sicut *Regkmannus in Chron. Lubec. & Lindenbergius lib. 3. Chron. Rostoch. p. 78. seq.* memoriæ prodiderunt. In foro propè fontem in cædis innocentis memoriam lapidem cum anni 1430. inscriptione incisâ erectum esse dicunt. Anno 1520. Primarii civitatis tam in quam extra Senatum civium summo incommodo omne frumentum in Ducatu Mega-

 poli-

politano coëmerunt, & navibus in alias regiones & regna exportarunt. Monopolium hoc civium animos vehementer exacerbavit, adeo ut omnis diſcordia in civitate poſt ſecuta ex hoc uno fonte fluxiſſe credatur. Anno 1524. duo concionatores, unus in S. Georgii templo, alter in Franciſcanorum Monaſterio abuſus Pontificios concionibus ſuis carpere & reprehendere inceperunt. Cum *Alberto VVallenſteinio* Fridlandiæ Duci Imperator *Ferdinaadus II.* Ducatum Megapolitanum dono dediſſet, civitas hæc in ejus poteſtatem quoque incidit, & diu à Cæſarianis ſub præfecto *Caſparo Gramma* contrà Duces, quibus jam à Suecis Ducatus reſtitutus fuerat, defenſa eſt. Sed Roſtochio recepto *Achatius Tottius* Suecici exercitus in Megapolitano Ducatu ductor ſummus milite ſuo Wiſmariam, quæ una civitas adhuc reſtabat, adortus eſt. Tandem deditione tradita eſt Suecis IV. Iduum Januarii

rii anno 1632. quam ut feudum hæreditarium jam possident, uti in harum descriptionum principio dictum est. De Wismaria occurrent plura apud *Caspar. Ens in deliciis Apodem. per Germ. pag.* 259. *Petrum Bertium lib.* 3. *Comment. rer. German. pag.* 715. *Iohannem Regkmannum in Chron. Lubec. Ioh. Angel. à VVerdenhagen part.* 3. *de Rebuspubl. Hanseat. cap.* 22. *à fol.* 317. *usque ad* 327. *fol.*

DUCATUS POMERANIÆ AD SUECIÆ REGES PERTINENTIS DESCRIPTIO,

POMERANIÆ Ducatus totus antè divisionem anno 1648. factam inspectus, Boreali littore in Meridiem arcuato, ingruentes Baltici maris undas excipit: Quà Borussiam & Pomerelliam tangit, Sol ipsi oritur: In Meridiem vergens Polonia & Brandenburgensi Marchionatu terminatur: In Megapolitanum Ducatum incidenti Sol occidit. Olim ulterius in Eurum se extendens complectebatur etiam totam Pomerelliam, vel Cassubiam ità appellatam à plicatis togis, vestitu incolis usitato; Oram nimirum omnem illam, quæ Mari, & Vistula, Wipperá, Traga, & Noteria fluminibus clau-

clauditur. Pulcherrimis hæc referta civitatibus, arcibus, municipiis; & pagis, utpote in qua ſitum ſuum habent. Dantiſcum, cum celeberrimo Monaſterio Oliva; & peninſula Das Kleine Werder vocata: Item Pantzke, Meuwe, Sweze, Tauchel, Nakel, quæ urbes arcibus adjunctæ ſunt: Dirſchaw, Schoenecke, Stargard, Neuenburg, Hammerſtein, Friedlandt, Conitz, ac arces Michlow, Moſewantz, Talckenburg, Subitz, Schluchow, Lauterberg. Sed tota hæc regio ab Ulterioris Pomeraniæ Principibus dictarum arcium & urbium plærarumque conditoribus Poloniæ Regno inſerta eſt. *Meſtovinus II.* maſculâ prole orbus Ordinum regionis rogatu eam totam non proximis ſuis cognatis Citerioris Pomeraniæ Principibus, ſed Helenæ amitæ ſuæ nepoti, atque ita conſanguineo ſuo in tertio, & inæquali gradu conceſſit, ea tamen conditione, ut *Ludbergam* vel *Ludgardam* Mega-

 poli-

politanam Principem, & Ducis *Barnimi II.* ex *Anastasia* filia neptem uxorem duceret. Orientem versus Pomerania tàm cis Viadrum in Marchionatum Uckeranum (Uckermarck) quam trans dictum amnem in Novum Marchionatum (Neumarck) procul se extendebat. In illo tractu Pomarani juris fuêre Prentzlow, Angermunda, Aderberg, Schweer, Vierraden, Stargard, & Friedland. His Electorem Brandenburgensem *Iohannem I.* dotavit *Barnimus I.* cum ipsi *Hedvvigem* filiam nuptum locaret. Stirpe hac deficiente Pomeraniæ, Megapoleos, & Marchionatus Duces de dicto tractu vehementer digladiati sunt. Prentzlovia primum à Pomeranis superata in Marchionum possessionem postea, bellis gliscentibus, concessit. Stagardiam Megapolitani primò in potestatem suam redegerunt. Iisdem à Marchionibus post erepta & reddita est, quo tempore *Albertus* Elector filiæ suę hanc diti-

ditionem cum Nova Brandenburga dotali donatione largiebatur. Friedlandiam occupatam Megapolitani Duces ſemper retinuerunt, & diverſis bellis contra Marchiones tutati ſunt. Pari ratione Pomerani jacturam fecerunt totius diſtrictus trans Viadrum ſiti, qui Sedinenſis Ducatus membrum antea fuerat, & hodie poſt multa bella Marchionatui Brandeburgenſi adjunctus Nova Marchia (*Neue Marck*) cognominatur. In occaſu Pomerania ad Warnovium amnem excurrens propè Roſtochium deſinebat. Tandem Septentrioni vicinior longiori littore in Baltici Maris undas progrediebatur. Diluvia tamen & inundationes frequentiores prominentem terram abruperunt, & Rugiam inſulam dimidiâ parte minuerunt. Antequam verò tot partibus minor evaderet, æquari Regno facile potuit. Fines tanto augmento diminutos hodiè in Baltici maris ora orditur Silva *der Dars*
 nun-

nuncupata, unde iidem cum flumine Reckenitzâ ascendentes ad amnes Trebelam & Pœnam transeunt, ac superato amne Tollensee, Friedlandiam, Prentzloviam, & Lockonitzam prætereundo, Peuckum includunt, & proximè Vierraden Viadrum transmeant. Porrò Konigsbergam in Marchionata prætervecti, ac Batui Piritz & Satzke circumeuntes in Bernsteinii vicinia versus Septentrionem se inclinant, ac Arenswaldam, Reetzium, Dramburgum, & Schiefelbein post se relinquunt. Quinque circiter milliarium intervallo hîc à mari distantes in terram recedunt, ac Tragam & Cuddam flumina prætergressi ingentem à Novi Sedini tergo tractum amplectuntur, à quo iter ad Pomerelliam reflectendo, postquam Rumelsbergam, & Butoviam in dextro latere reliquerunt, viam ad mare declinant, & Lowenburgo in eodem latere relicto, paludis Sarrentinæ in mare Balthicum exitu finiuntur,

tur, & circiter ſex & dimidio milliaribus Dantiſco remoti ſunt. Sed duæ illæ præfecturæ Butovienſis, & Lowenburgenſis, quas Pomeraniæ Duces clientelari poſſeſſione tenuerunt, poſt nuperi & ultimi Pomeranię Ducis ex hâc vitâ diſceſſum ad Poloniæ Regem beneficiarium ſuum Dominum redierunt. His unà cum Ducatu ſumptis, totam regionis longitudinem quinquaginta tria milliaria Germanica metientur. Sin pro longitudine Lineam intelligas, quam littus curvitate ſui mari cedens protrahit, ſeptuaginta duo milliaria Germanica menſuræ ratio tibi dabit; quæ dupla erit ejus longitudinis, quam fines interiores deducendo deſcripſimus. Quà latiſſimè Ducatus inter Meridiem & Septentrionem expanditur, ut in citeriori Pomerania inter Witaviam in Rugia inſula & oram à tergo Treptaviæ explicatam, vel etiam propè Viadrum, aut poſt Piritziam vel Novum Sedinum, ſepten-

ptendecim vel viginti & unius milliaris Germanici latitudinem exhibet. In Colbergæ vicinia ægrè quinque milliarium, & à Peena, vel Swyna amnibus vix octo milliarium latitudo patet. Pomeraniæ nomen olim derivatum esse autumant à situ Balthici maris oram ab occasu in Orientem longo tractu legente, ut Pomorswa, id est, propè vel proximè mare dicta sit. *Iohanni Micrælio* vetus vocabulum Suevicum esse videtur, significans Beim, vel Peimeer, apud mare, ex quo Wendæ postea Pomorsky, & Pomorswa dictiones, lingua sibi familiari, formarunt. Alia derivatione idem author Pomeraniam sumit à Bommahrer, vel Bommarser, quod vocabulum habitatores significat, qui apud arbores habitant; Silvis enim, ericetis & arboribus Pomerania scatet. Eodem pacto etiam aliæ nationes nomina sua nacti sunt, ut Dithmarsi, Stormarsi, Colmarsi, & Wismarsi.

An-

Antiquos incolas, ut Cluverio placet, hic Ducatus olim habuit Lemovios & Rugios. Illorum *Tacitus* solus meminit, qui circà Stolpam Pomeraniæ & in Cassubia sedes suas habuisse videntur: quidam Herulos appellitant postea bellis celebres. Rugiis Insulam Rugiam, & Wolini, Stargardiæ ac Camini tractus sedes & habitacula fuisse creduntur. Hinc Rugenwaldæ, & Rugiæ appellationes natæ à dictis suis incolis Rugiis. De Lemoviis *Ortelius in Thes. Geogr. Lemovia Germaniæ populi Tacito Liesfländers Curæo: Ego potius Mecklenburger putarim.* De Rugiis idem. *Rugii Tacito sunt Germaniæ populi, Rugenlandt ad mare Balthicum, Althamero est. Rugium* ῥούγιον *urbem Germaniæ, quam Ptolomæus in ejus climate Septentrionali ponit, interpretatur Villanovanus Holmburg, Althamerus verò Caminum Pomeraniæ Episcopalem urbem. Rugia insula videtur hoc tractu nominis vestigium servare.*

Mare,

Mare, quod Ducatum hunc alluit, Balthicum nominatur, quo nomine distingui solet ab Oceano Germanico, Occidentali, aut Maris Britannici, quod inter Germaniam & Angliam natans superato Scagæ promontorio ab Occasu in Septentrionẽ & Meridiem per fretum Danicum Sund appellatum & cæteras insulas fertur, ac porrò inter Daniam Germaniam Sueciam & Poloniam per ducenta milliaria ab Occasu in Ortum se insinuat. Nautę mare Germanicum de Westzee, & Balthicum de Oostzee appellitant. Hoc *Pomponio & Melæ* Codanus est Sinus. *Tacito* latus Oceani Sinus, Germaniæ Sinus, Mare Suevicum, & Oceanus, qui hoc in mare illud Glaciale se extendere opinatus erat: *Ptolomæo* Sinus Venedicus, quod ipso vivo Sarmatici Wendæ trans Vistulam in ipsius littore habitarunt. *Helmeldo* & *Adamo Bremensi* est Balthicum mare à Balth, quo nomine tractus hujus

maris

maris propriè insignitur, qui Danicas insulas circumluit. Quâ parte Pomeraniæ littoribus undas suas ingerit, Mare Pomeranum nominatur. Cæterum ipsa Regio frequentiorum fluviorum aquis perviâ humiditate necessariâ affatim rigatur, ac hinc inde vivariis, piscinis, lacubus & paludibus omnis generis pisces nutrit. Hinc Pomeraniam, quis facilè conjiciet, in earum regionum numero esse, quæ ob piscium multitudinem & frequentiam cæteris anteferri solent. Hinc Ducum ærario quotannis ex piscium proventu haud exiguum accedit augmentum, iis præsertim annis, qui major eorum est ubertas, & copia. Principi enim ex piscibus in Lacu illo magno Frisch Haff captis, & venditis sextus, & de cæteris ex aqua Lassanensi extractis tertius nummus solvendus est; adeò ut annis pisce abundantioribus, solus ille reditus quinque florenorum millia superaverit, & totus ex pisci-

piſcibus proventus ejuſmodi annuus, ſi vel minimo pretio venierint, triginta millium fuerit. Nunquam verò aquę piſcationibus ejuſmodi etiam frequentioribus exhauriuntur. Vere appetente, piſces ex mari in lacum Friſch Haff recentiori aqua conſtantem ingredi ſolent, ut ibi ova ſua deponendo prolis generatione genus ſuum propagent. Idem faciunt hyberno tempore ingruente, ut in eâ palude inter terras conſtituta, atque ea de cauſa tranquilliore, minoribuſque tempeſtatum motibus ſubjecta, tepidiori aquâ frui queant. Suppeditat autem ea palus præter piſces alios etiam Salmones, Muræenas, & accipenſeres. Halecum piſcatio copioſa eſt Griphiswaldę, Barthii, Wollini in Rugiâ, & ulteriori Pomeraniâ, ut primum Veris adventu glacies ſoluta eſt. Muræenæ quoque non in Viadro quidem, aut Palude Friſch Haff, ſed in quibuſdam lacubus hujus regionis inveniuntur: Minores

ſunt

ſunt & majores. Hæ poſteriores nullibi in Germania niſi in Maduje hujus regionis lacu propè Kolbatz menſibus hybernis offenduntur, ac ſatis magno numero captæ & ſiccatæ in alias regiones mittuntur. In littore maritimo ſe offerunt canes marini, Delphines, Cuculi marini, Galeotæ, Xiphiæ, & plures alii. Portubus marinis referta Pomerania alto littore cingitur, quanquam & ſæpius à frequentibus maris inundationibus afflicta eſt. Succinum ex mari in terram ejectum non tantâ tamen copiâ in littore invenitur, & ea de cauſa unicuique illud legendi facultas datur: quod in Boruſſia propter copiam colligere cuivis illicitum eſt. Sylvis cæduis, ſaltubus, ericetiſque utilibus, & quatuor aut quinque milliaria longis, qualia ſunt Golnovienſe & Uckermundenſe, ſaltibuſque pluribus, & nemoribus amœnis paſſim ſcatet. Hinc carbones neceſſarii ad picem coquendam, & vitra conficienda;

cienda; hinc ad focos ſtruendos ligna; hinc ad naves ædificandas mali, aſſeres, trabes, tigni: hinc Principibus, nobilibus, & civitatibus venationes commodiſſimæ & jucundiſſimæ ſuppetunt. Sunt lepores, ſunt vulpes, ſunt cervi, ſunt alces, ſunt equi ſilveſtres & feri, ſunt fibri, lutræ, ac plura alia animalia venatus exercitio grato voluptatem parientia. In ſilvis arbores apum laboribus melle & cera implentur. Aucupium varii generis incolæ non deſiderant. Anatum ferarum viginti duo genera numerantur. Wolgaſto oppoſita Inſula Ruden ferorum anſerum aucupio delectationem aucupibus incredibilem afferente nobilitatur. Falconum taceo recreationem, quâ ſe Nobiles paſſim permulcent. Regio in quibuſdam locis arenoſa, iis præſertim, in quibus ericetis contigua arenam tempeſtuoſis ventis ſublatam, & ad ſe delatam excipere cogitur, haud exiguo ſegetis, & agro-

rum

rum damno. Talia sunt Dam, Golnaw, Vekermunda, & illa, quæ ex ericetis in agros mutata sunt, cujusmodi in Greiffenbergensi præfectura occurrunt. Cætera plærumque pinguedinem lætam fertilitate sua insigni ostentant. Ager circa Piritzium tritici admodum ferax, & alibi passim tantâ ubertate insignis, non incolarum necessitati modò quotannis de siligine, tritico, hordeo & avena largè prospicit, sed etiam frumentorum ejusmodi copia tanta eos participes reddit, ut navibus impositas reliquias aliis nationibus transmittant. Solum frumento colendo non idoneum rei pecuariæ inservit, & pecoribus ac pecudibus alendis incolas ditat. Pomorum & aliorum ejusmodi fructuum defectu non laborare argumento sunt viginti sex pomorum genera, quæ Sedini tempore suo in promptu esse feruntur. Aëris bonitatem, & moderatum temperamentum, loqu-

loquuntur horti, in quibus etiam tenerrimi & pulcherrimi flores exotici feliciter crescendo ex terra prodeunt. Vino licet Pomerania destituatur, Sedini quidem, Franendorffii, & propè Gottslohn, item in arcis Penckum vicinia, & passim in hortis vites coluntur, sed plærique incolarum agriculturæ addictiores, de vini cultura non admodum laborant) undique tamen illud eâ copiâ advehitur, ut vini potores de ejusdem penuriâ conquerine queant: Plurima incolarum pars cerevisias Pomeraniæ præstantissimas vino anteferre solet. Inter eas eminent Pasenella (nomen cerevisiæ est) cerevisa Sedinensis amara, Gripswaldensis Mumme (ut vocant) Barthensis & Colbergensis &c. Putei ubique numerosi, solo vix effosso eos mox offerente. Aqua tamen dulcedine Germanicorum fontium & puteorum aquis longè dulcioribus non respondet, potui tamen non incommoda,

Col-

Colberga ex fontibus ſuis ſalſis, & ſalinis tantum ſalis ſibi comparare poſſet ut toti Pomeraniæ ſufficientem ejus copiam ſufficere valeret, ſi lignorum neceſſaria ad hanc Salis coctionem multitudo ipſi ſuppeteret. Griphiswalde aqua quoque ſalſa olim coctione multum ſalis reddidit. Æquali planitie totus Pomeraniæ tractus ubique obducitur. Montibus tamen nonnullis hinc inde ſurgit. Chollenberg inter Coeslinam &Zanoviam ſatis longa extenſione ad Carpathios ferè montes abiens: Ochſenberg, Boum mons, in poſteriori Pomeraniâ: Revekohl inter Gardenſem & Lebenſem lacum Smolſino vicinus. Berckenradenſes & Greiffenhagenſes montes: & Pojuchenſes calcis montes in Sedinenſi diſtrictu, qui haud exiguos quotannis nummos calce ſua pariunt. Metalla nulla reperiuntur, niſi aliquid ferri in Pomerania ulteriore. Titulus Ducum Pomeranię complectebatur

batur quatuor Ducatus Stetinensem, Pomeranum, Cassubiensem, & Wendensem: Principatum unum Rugiæ nimirum: Comitatum unum Gutzkoviensem, & duas Dynastias Louenburgensem, & Butoviensem. Insignia vero novem vexillis decorata sunt: Stetinensi, Pomerano, Cassubiensi, Wendensi, Rugiensi, Usedoniensi, Barthensi, Gutzkoviensi & Wolgastensi.

Pomeranię Divisio sub Ducibus postremis hæc fuit: Rectionis administratio triplex tres faciebat partes: Stetinensem, Wolgastensem & Ecclesiasticam. Stetinensis Rectio cõplectebatur octodecim civitates, quibus Comitiis interesse licebat. Eæ sunt Sedinum, Stargardia, Stolpa, Greiffenberga, Treptovia ad Regam, Rugenwalda, Pyritzium, Schlawa, Golnovia, Garcium, Wollinum, Caminum, Belgardum, Novũ sedinum, Dammũ, Lowenburgum, Butovia & Zanovia. Arces porrò

mul-

multas partim Ducis, partim Nobilium proprias, & duas Ecclesias Cathedrales Stetini, S. Mariæ nimirum, & S. Ottonis, jam in unum corpus reductas; Ecclesias Cathedrales Cammini, Colbatzii, & Belbuckii, Cœnobium Carthusianum, & tria alia Stetini vel Sedini, Buckoviæ, Carthusianum quoque Rugenwaldę, cum reliquis Monasteriis Stargardię, Pyritzii, Cammini, Greiffenbergæ, Stolpæ, Marienfliessæ, Wollini, Treptoviæ, Neo-Sedini, & Marienthronæ. Wolgastensi Rectioni subjiciebantur Insula Rugia cum tribus suis partibus Berga, Lasmunda, & Wittovia; Insula Usendomia, ac civitates Stralesunda, Gryphiswaldia, Ancklamia, Demminum, Pasewalckum, Grypenhaga, Wolgastum, Bartha, Treptovia ad Tollenseam, Grimma, Tribbesea, Damgardia, Uckermunda, Loytzium, Usedomia, Berga, Gutzkovia, Warpe, Banen, Richtenburgum, Frantzbur-
 gum,

gum, Lassana, & Pencunum, ad Nobiles ab Osten pertinens: Multæ etiam arces Ducales, & Nobilium sedes, ac Monasteria & Cœnobia, Neocampi, nunc Frantzburgi, Eldenoviæ, Stolpæ, Pudglæ, in Hiddensæa, Jasenitzi, Verchæ, duo Sundæ, duo Gryphenhaghæ, unum Anclamiæ, Bergæ, Grimmæ. Ad Ecclesiasticam Rectionem pertinent quinque civitates Episcopales cum suis arcibus, templis Cathedralibus, & monasteriis, ut sunt Colberga cum suo templo Cathedrali & cœnobio, Cœsinum cum eodem templo & cœnobio, Corlinum, Gultzovia, & Bublitzium, cum arcibus, & Neugarten cum arce in comitatu suo.

Notandum tamen in Rectionibus Sedinensi & Wolgastensi omnes dignitates, titulos, & insignia, aliaque conjuncta, & indivisa semper mansisse, corpusque unum fuisse, quamvis ipsa regio in multis discrepaverit. Utraque Rectio in cer-

certos districtus dividitur: In Sedinensi decem sunt, quorum quisque caput suum habet; Legestadt appellatum. In Wolgastensi sex, ac totidem civitates capitales, Legestædte, quanquam an. 1631. eadem in decem quoque distributa fuit. In Ecclesiastica Rectione caput est Coslinum.

Aliæ item sunt Pomeraniæ divisiones, in præfecturas nimirum Regionis, præfecturas Principis, Nobiles arcium possessores, & civitates. Item secundum tres Ecclesiastici ordinis Superintendentes, in Synodos, & Circulos. Incolæ Regionis homines sunt sanguine abundantes, ac fortes, eaque de causa Complexionis sanguineæ, non tamen humanitatis admodum studiosi, sed inciviliores, & morosiores, notis tamen fideles. Alacrium ingeniorum quoque famâ nobilis Pomerania, in quibus tamen plærunque carpitur, quod nimis creduli, & nimis fidentes Liberi flore dulci largius se

conſpergant, & nimio potui indulgentes annuos reditus quantoſcunque cum eodem anno prodigant, & tranſmittant. In Auguſtanæ Confeſſionis verba jurantes novi quid ſibi præſcribi non patiuntur. Quem cupiditas inceſſit cognoſcendi, quem cultum veteres Pomerani idolis ſuis exhibuerint, antequam ab *Ottone* Epiſcopo Bambergenſi, Pomeranorum Apoſtolo Chriſtianæ Religionis notitiâ imbuti fuerunt, Eccleſiaſticum Pomeraniæ *Chronicon Crameri & Stetinenſe Fridebornii* legat. Prior *lib.* 1. *cap.* 9. commemorat, veteres Pomeranos, cum adhuc in Ethnica ſua cœcitate verſarentur, omnis fallaciæ & furti plane neſcios arcas, dolia, & armaria nunquam clauſiſſe, ſeras, & claves, adventante *Ottone* Epiſcopo, penitus ignoraſſe, ac veſtimenta, pecuniam, & præcioſa alia in doliis operculo aliquo tectis conſervaſſe. Hoſpitales cibum ac potum in menſâ expoſitos, ac ſemper in prom-

ptu

ptu habuisse, nullosque apud eos mendicos fuisse. *Pag.* 27. testatur, filiarum numero majore oneratos mox natas interficere religioni non duxisse. Curæ enim paternæ hoc esse judicabant, ut cæteris liberis viventibus de pluribus bonis prospiceretur. Sed masculini sexus liberos summâ curâ servabant. De Ecclesiasticis controversiis in Pomeraniâ trium Consistoriorum, seu Conventuum Ecclesiasticorum Judicia sententias ferunt. Sedini & Pasewalcki sunt in Scabinatu Scabini. Minora judicia in Urbibus & pagis optimè constituta justitiæ præsunt. Tres autem Curię summæ; seu tria judicia suprema Sedinense, Wolgastense, & Ecclesiasticū Coslinense. Præter Curiarum dictarum Senatores, & assessores, præfecti etiam sunt, Judices minores, præfecti militares, & Cameræ seu Oeconomiæ Senatores. Episcopus Camminensis primus erat inter Pomeraniæ Ordines. Nun-

quam tamen Duces eum ad Comitia Ducatus admittere voluerunt, quamvis iis intereſſe Epiſcopi, etiam Cæſaribus approbantibus, voluerint. Epiſcopum ſequebantur Prælati & Canonici cum Magno Magiſtro Sonneburgenſi, & ejus Commendatore Wildenbruchenſi, quorum uterque jure clientelari Pomeraniæ Duci, Domino ſuo beneficiario, obnoxius erat. Inter ſæculares Ordines familiam ducebant Comites ab Eberſtein, à quibus ſecundi erant Domini de Putbus, quibus ordine ſuo ſuccedebat tota Nobilitas, ac tandem his civitates, quæ omnes ſuos proprios ſubditos habent. Plura de Pomeranis & Pomeraniæ rebus occurrunt apud *Melchiam Nehelium in Chronographia Decennali, & Exegeſi Pomeraniæ.* Et *Iohannem Micrælium Scholæ Sedinenſis Rectorem in deſcriptione Pomeraniæ anno* 1639. *in quarto editâ*: ubi multa memorabilia invenire eſt, de Nobilitate, & civitatibus

tibus regionis (ex quibus Stralesunda, Sedinum, Gryphiswaldia, Colberga, Stargardia, Stolpa, Anclamia, Demminũ & Golnovia ab authore in Hanseatico fœdere junctarum Urbium numerum referuntur, quibus nonnulli Rugenwaldiam quoque annumerant) ut & de regionis incolis veteribus Germanis, Suevis, & Wandalis, Gothis nimirum, Teutonis, Carinis, Lemoviis, Rugianis, Sidinis, Ruticliis, & Anglis, unde originem traxerint, quo pacto in Pomeraniam venerint, & major eorum pars eandem iterum deseruerit, cæteris Wendas & Slavos ad se admittentibus, donec multi novi populi Germanici, Saxones cumprimis, in eandem se contulerint, &, Wendarum Lingua rejecta, Imperio Romano se adjunxerint, ipsique Principes Pomerani ex antiquorum Germanorum stirpe oriundi, quamvis liberos principatus & dominatus possidentes nullius dominio subjecti essent,

Imperat. *Friderico I.* regnante, Imperii Romani membra esse voluerint, & moribus Germanis vivere maluerint. Porro dictus author mentionem facit de jure domini Brandenburgēsi in Pomeraniæ Ducatum competente; & quid in eundem juris Poloni sibi vendicent. Item de Cæsarianorum in Pomeraniā invasione, Fœdere cum Suecis inito, de privilegiis, & tabulis Regionis, Templariorumq; bonis, ac dote viginti quinque millium florenorum, qua filiæ Ducis elocari solent. De Ecclesiasticorum à vectigalibus & tributis immunitate, ac multis aliis rebus memorabilibus, quæ cognitu dignæ sunt. In *Danielis Crameri historia Ecclesiastica lib. 1. c. 8. pag. 20. & seqq.* occurrit etiam Pomeraniæ Descriptio concinnata à *Valentino ab Eichstetten Ducis Pomeraniæ Cancellario*, quem lector benevolus consulere poterit, ut & *Munsterum, Bertium, Angelium à VVerdenhagen, & alios.*

alios. Theatrum quoque Europæum, in cujus parte 2. fol. 173. *seqq.* recensentur horrendæ afflictiones, & miseriæ, quibus incolas Pomeranos Cæsariani excruciarunt. In 5. ejusdem parte fol. 221. a. narratur: Suecos de Cæsarianis ità judicasse, si strenuè famem pati desiderarent, in Pomeraniam descendentes voti compotes futuros. Pomeraniæ hoc proprium esse, ut omnium exercituum & copiarum militarium universale cœmiterium, sine labore, & quasi quiescendo hostes consumat, & conficiat,

Ducum Pomeraniæ prosapiam & stirpem quod attinet, in ejus descriptione historici variant. Sequentem tamen Genealogiam ex antiquis monasterii Olivæ monumentis depromptam veritate & certitudine cæteris superiorem esse asserit *Casparus Schutz in Borussia Chron. lib.* 1. *fol.* 15. *Barnimus I.* ex antiquâ & Gothicâ Gryphorum seu Greifforum, in

quorum insignibus Gryphus depictus erat, familia oriundus, Pomeranorum, Cassubiorum, ac Wendarum Princeps, ac Dominus cum filio *VVartislao* interfuit prælio illi insigni, quo Imperator *Henricus Auceps* cum Ungaris Mersburgi conflixit. Ex hujus posteris fuit *Samborius* vel *Suantoborius*, à quo, an. Sal. 1107. mortuo, Pomeraniæ Duces descenderunt. Ejus filii *VVartislaus I. Ratiborus*, *Bugslavus*, & *Suantepolcus*, (qui anno 1120. cælebs in carcere finem vitæ nactus est) Pomeraniam in citeriorem seu anteriorem, & Ulteriorem seu posteriorem, ac prosapiam suam in duas lineas diviserunt. *Ratibori* secundi filii anno 1151. denati filius fuit *VVartislaus*, qui anno 1186. fato functus, filium reliquit *Bartholomæum*, sine prole anno 1224 ex hâc vitâ abeuntem. Hujus obitu *VVartislavi I. & Bugslavi I.* qui *Ratibori* fratres fuerant, posteris *Ratibori* possessio cessit, *Bugslavum I.* verò

Rex

Rex Poloniæ Polonorum, Cassubiorum, & Henetorum Principem creavit. Hujus filius erat *Subislaus* Cassubiæ, & Pomerelliæ Princeps, qui, testante dicto *Caspara Schutzio* lib. 1. fol. 15. 6., Cœnobium Oliva prope Dantiscum condidit. In eo aliquot Pomeraniæ Duces tumulis suis reconditi jacent. Dantiscani an. 1577 cum Polonis bellum gerentes illud spoliarunt, incenderunt, ac solo æquarunt, coacti deinde ducenta florenorum millia ad ejus restaurationem solvere. *Subislaus* anno 1187. è vivis excedens *Samborium* & *Mestevinum* filios possessionum suarum hæredes habuit. *Samborii* autem filius *Subislaus* liberis orbus ad plures abiit. *Mestevinus Suantepolcum II. cognomento magnum, Samborium, Ratiborium & VVartislaum* filios habuit. Horum duo postremi in Ecclesiastico ordine versati sunt. *Suantepolcus* anno 1266. decessit, Pater *VVartislai III.* qui Gedani Dominus fuit, &

Mestevini II. ultimi Ducis Cassubiorum, Wendarum, vel Hennetorum, & Pomerelliæ, qui sine mascula prole anno 1295. ex hac vita discessit, odioque Ducum Pomeraniæ cognatorum suorum, sororis suæ filium *Primislaum*, magnæ Poloniæ Ducem ac posteà Regem hæredem instituit. Hâc ratione ducatus Pomeraniæ decessit pars illa, quæ ad Vistulam sita hæreditatis dictæ beneficio ad Polonos devoluta est. *Samborii* vel *Suantiborii I.* filius *VVartislaus I.* à quo Pomeraniæ Duces originem traxere, in paternæ hæreditatis divisione Pomeraniam hodiernam nactus est. Filios ejus *Casimirum & Bugislaum I.* Imperator *Fridericus* anno 1182. Imperii Principes creavit. *Bugislao I.* natus fuit filius *Bugislaus II.* huic verò *Barnimus I.* anno 1278. è vivis exemptus. Ejus Filius *Otto I.* procreavit *Casimirum III. cognomento Magnum*, qui anno 1368. inter vivos esse desiit: relicto filio *Suantiborio*

rio II. & hunc filius *Ioachimus*, peste anno 1451. extinctus, cujus filius *Otho III.* anno 1464. diem obiens ultimus Stetini vel Sedini Dux fuit. Hinc lis orta de Successione inter Brandenburgensem domũ, & Wolgastensem Pomeraniæ Ducum familiam à *Bugislao IV.* dicti *Ottonis I.* fratre, & *Barnimi I.* filio, cui anno 1309. vitam mors eripuit, propagatam. *Bugislai IV.* filius *VVartislaus IV.* ad quem Rugia hæreditatis beneficio pervenit, ex uxore sua suscepit *VVartislaum V.* qui medius natu & monachus pater noster cognominatus anno 1390. sine prole aliqua vitæ hujus terrenæ stationem deseruit. Fratres ejus fuêre *Bugislaus V.* maximus natu, & *Barnimus IV. Bugislaus V.* anno 1374. mortales exuvias deposuit, & prolem masculam habuit *VVartislaum VII.* cujus filius *Ericus I.* Daniæ Rex fuit, & anno 1460. nulla prole relictâ, vitâ egressus est. Dicti *VVartislai VII.* Patris

ejus

ejus fratres fuerunt *Bugiſlaus VIII.* & *Caſimirus IV.* prioris filius *Bugiſlaus IX.* liberorum expers an. 1448. ex hac vitâ migravit. Superius nominatus *Barnimus IV.* quem anno 1365. diem obiiſſe diximus, comitatum Gutzkovienſem, vel Gittskovienſem Pomeraniæ adjunxit, pater erat *Bugiſlai VI.* & *VVartiſlai VI.* anno 1394. morte abrepti, & patris *VVartiſlai VIII.* (cui duo filii fuerunt) ac *Barnimi VI.* à quo, an. 1405. ex hac vita migrante, geniti *VVartiſlaus IX.* & *Barnimus VII. VVartiſlao IX.* anno 1457. corporeis vinculis ſoluto filii ſuperſtites fuêre *Ericus. II.* & *VVartiſlaus X.* qui an. 1478. ex hujus vitæ contubernio exivit. *Ericus II.* præter alios filios genitor fuit *Bugiſlai X. Magni* cognominati, & mortui anno 1523. Ex eo filii *Georgius I.* & *Barnimus IX.* quorum priorem anno 1531. poſteriorem anno 1573. vinculis corporeis mors ſolvit. *Georgii* filius *Philippus I.* anno

no 1560. mundo valedixit, à quo relicti filii sequentes: 1. *Iohannes Fridericus*. 2. *Bugislaus XI.* (nonnullis XIII.) 3. *Ernestus Ludovicus*. 4. *Barnimus* X. & 5. *Casimirus VIII.* Caminensis præsul. His alii duos adjungunt, *Georgium II.* & *Ericum III.* quorum tamen in *Genealogia sua Casparus Schutz* mentionem nullam facit. Ex his fratribus duo *Bugislaus*, & *Ernestus Ludovicus* liberos procrearunt: Posterioris anno 1592. vitæ humanæ stationem caducam deserentis liberi fuerunt, *Philippus Iulius* Wolgasti Dominus, qui an. 1625. ad plures secessit: *Elisabetha Magdalena Friderici* Churlandiæ Ducis uxor: *Hedvvigis Maria Iohanni Adolpho* Holsatiæ Duci nupta. Prior verò *Bugislaus XI.* vel *XIII.* sequentes habuit liberos: 1. *Philippum II.* 2. *Franciscum*, 3. *Bugislaum* XII. (*aliis* XIV). 4. *Georgium* III. 5. *Iohannem Ernestum*, & 6. *Vlricum*. Filias etiam aliquot, & inter eas *Annam* anno

1590

1590. natam, & nuptum locatam *Ernesto* Arschotano Duci. *Bugislaus* XII. vel XIV. prid. Kal. Aprilis anno 1580. in lucem editus, & Elisabethæ Hollatiæ Ducissæ matrimonio junctus fratres omnes ætate superavit, & 10. 20. Martii anno 1637. morbo extinctus Pomeraniæ Ducum ultimus fuit, cum quo etiam mascula eorundem Ducum stirps extincta est. Quoniam autem transactionibus, & pactionibus diversis, ultima præcipuè Grimnitzii anno 1629. inter utramque domum Electoralem Brandeburgicam, & Pomeranię Ducum de hæreditaria successione conventum est, ut masculâ Pomeraniæ Ducum stirpe deficiente, Pomeraniæ Ducatus totus hæreditario jure Electori Brandeburgico possidendus & tenendus traderetur; pactiones etiam istæ non modo omnium totius Pomeraniæ Ordinum unanimi consensu, sed & Cæsareæ Majestatis assensu approbatæ sunt: Elector Brandebur-

deburgicus, ut Pomeraniæ Dux hæreditarius anno 1641. ad Comitia Ratisbonensia nomine Pomeraniæ, Stetini & Wolgasti, peculiares cujusque horum trium locorum respectu Legatos suos misit, Ducatusque possessorem legitimum professus admissus est. Sed Anno 1648. Monasterii totius Ducatus facies mutata duos jam Dominos agnoscit; Sueciæ nimirum Regem, & Electorem Brandeburgicum: quorum ille Citeriorem Pomeraniam totam, & è Pomerania Ulteriori Stetinum, Gartzium, Dammum, Golnaviam, & insulam Wollin, unà cum interlabente Odera, & mari vulgò Das Frische Haff vocato, suisque tribus ostiis Peine Swine & Dievenow possidet; Hic verò reliquam Ulteriorem Pomeraniam possessione sua complectitur, ut ex Instrumenti pacis articulo 10. regionum Germanicarum in Suecos translatarum descriptioni huic superius præfixo patet.

tet. Nos illuſtratione noſtrâ Rugiæ Principatum, cum ea Pomeranię parte, quæ à Megapolitani Ducatus terminis ad Viadrum, & Divenoviam excurrens cum Dammo & Golnovia ad Regiam Suecię Majeſtatem pertinet, breviter percurremus, & reliquam Sereniſſimi Electoris Brandeburgici partem ſuo loco reſervamus.

RUGIÆ PRINCIPATUS.

Rugiæ Principatus olim amplectebatur inſulam Rugiam, & in continenti Urbes Straleſundam, Barthium, Grimmam, Tribeſecam, Loytzium, Abbatiam Campenſem (zum Camp) Territorium Dartzenſe, Comitatum Gutzkovianum, Abbatiam Eldenoviam, & præfecturam urbemque Wolgaſtum; ac Gryphiswaldiam.

Olim proprios ſuos principes habuit, quorum ſtirps circa ann. vigeſimũ quin-

quintum sæculi tertii cum ultimo principe expiravit: quod hunc Principatum in crebra bella, & difficultates maximas conjecit, pluribus ejus dominatum ambientibus, donec tandem Stralesundensium beneficio & auxilio Stetinenses Pomeraniæ Duces ejus potiti sunt. Hodiè ad Wolgastensem administrationem, seu gubernationem, refertur. De Rugiis, incolis ejus antiquis, in generali Pomeraniæ descriptione dictum est.

RUGIA INSULA Mari Balthico undique ingruenti littoribus suis opponitur, angusti freti intercessione Pomeraniæ continentem tangere prohibito. De qua *Chemnitius in Bello Sueco-Germanico Rugia Stralesundam contra posita, fertilitate nulli in mari Balthico insularum cedens, & fere tertiam partem civium hujus Vrbis propria, pacis tempore velut horreum ac penus civitatis existit.* Olim longè major Meridionali latere etiam

jam insulam Rudenam Peene fluvii ostio oppositam continebat. Hæc maris inundationibus crebris avulsâ, quicquid spacii inter utramque insulam intercedit, aquis tegitur. Hodie septem ferè milliaria longitudine & latitudine emensa in aliquot insulas & peninsulas dividitur. Eæ sunt Wittovia, Hiddensæa, Jasmunda, Zuderium, Unmantzia, Zickerum, & Kutzium. Hiddensæa & Umantzia insulæ Occiduo lateri obtenduntur. Wittovia & Jasmunda peninsulę Septentrionales tàm inter se, quàm cætero Rugiæ corpori angusto, & longo isthmo junguntur. Arcuati sinus plures littora in terram inflectunt, adeò ut nullum ferè municipium, nullus ferè pagus à mari milliaris dimidii intervallo semoveatur. Civitatibus, & arcibus exornata olim fuit: Inter eas nobiles Arcona, & Carentia. Illa Rugiæ totius Metropolis munitissima, & populosissima sitũ habuit in Wittoviæ

viæ peninſulę excelſo promontorio Mœnam Danicam Inſulam contrà poſito; de utriuſque idolis, excidio & aliis rebus memoralibus, & Daniæ Regis *VValdemari I.* bello cum Rugianis geſto videantur *Helmoldus, lib.2.c.12. Iohan. Iſac. Pontanus lib.6. rer. Danicar. p.249. & Iohan. Micrælius lib. 2. Pomeran. pag. 254. & 256.* Noſtra ætate Urbibus & oppidis caret, quas in ea extruere vetat privilegium Straleſundenſibus conceſſum, quo expreſſis verbis urbis aut oppidi alicujus extructio in hâc inſula prohibetur. Pagis autem, vicis, municipiis, & arcibus ad Nobiles pertinentibus ſcatet. Populoſa enim plus quàm ſeptem armatorum millia in aciem educere fertur. In rotundum ferè circulum ſe circumgyrans duodecim milliarium ambitu cingi videtur, ac frumenti eſt feraciſſima, cum nullis locis ſilveſtribus ſolum conſtratum ſit, ſi Jaſmundæ peninſulæ partem Orientalem excipias, ubi

ubi Stubenitz ſilva occurrit, & cretacei; montes littus Orientale occupãtes cernuntur. Glires nec alit, nec patitur, luporumq; rapacitatem neſcit, utpote quos nullos habet. Camporum frequentia agriculturam reddit quæſtuoſiſſimam, frumentiq; copioſam negotiationem; quod incolæ non in Inſula ſolum, ſed & Straleſundæ, ubi libera ipſis ſunt mercaturæ exercitia, divendunt. Pratorum quoque numeroſa copia facit, ut rei pecuariæ emolumenta haud exigua ſentiant. Fluviis porrò Inſula deſtituitur. Rivus tamen aut fluviolus Duvenbeke mediam ferè tranſit. Stagnum Nunnenſehe à Berga verſus occaſum ei caput eſt: Oſtium verò, quà littus è regione ſitam Umantziã Inſulam inſpectat Mare inſulã aquis ſuis circumfundens copioſiſſimam piſcationem cæteris ejus commodis adjungit. Ut enim piſces, qui totius anni ſpatio capiuntur, taceam, Autumnali tempore haleces incredibili nume-

numero se capiendos offerunt, quos ex vicinis emporiis & urbibus adventantes Mercatores coëmptos secum asportant. Prædia & fundi universæ insulę, potissima parte ad Stralesundanos cives & Nobiles pertinent. Ecclesiarum ministri præter decimas ex fructibus, etiam villas & prædia sua habent. Rustici certis vectigalibus solvendis, & nonnullis servitiis præstandis obnoxii, præterea nullis oneribus subjiciuntur, adeò ut se ipsos liberos existiment, & cum ingenuis nuptias contrahant. Testantur id etiam historici antiquiores, ex quibus liquet: Rugianos, omnes detrectata servitute & mancipatu se nobiles professos esse. Juris proprii & in insula usitati adeo peritos esse ajunt, ut causas suas coràm præfectis suis ipsi soleant tueri, eâque de causa crebris litibus & controversiis collidi, ac judicibus multum negotii facessere. Olim Wendarum linguam in sermo-

ne

ne quotidiano adhibuerunt: hodie Saxonicâ sive Germanicâ utuntur. *Daniel. Cramerus lib. 1. c. 37. Hist. Pomeran. Ecclesiast.* De jure in Insulam Rugiam, quod sibi vendicavit Episcopus Roschildensis, consule Papæ *Alexandri III.* bullam, qua Jus Rugiæ Ecclesiasticum omne Episcopatui Roschildensi in Dania submittitur, apud *Pontanum lib. 6. rer. Danic. p. 252.* De transactione autem ejusdem Juris causâ inter Daniam & Pomeraniam anno 1543. Kielæ decisa *Nicolaum Helvaderum in Silva Chronol. Circuli Baltici part. 2. pag. 124. seq. & Micrælium part. 2. lib. 3. pag. 653.* Pontanus supradictus refert: famam esse, quod circa 1404. annum in Rugia insula mulier, cui *Iulitza* nomen, ultima inter eos fuerit, quibus Wendarum lingua familiaris erat. Porrò tradit: Anno 1438. Daniæ Regem *Ericum* Rugiam insulam à Daniæ Regno sejunxisse, & cognato suo, Pomeraniæ Duci possidendam

dendam reliquisse, postquam antea quoque *Christophorus* Rex magnam Insulæ partem continenti proximam ab eodem regno alienari passus fuisset. Atque ita sensim Daniæ regibus eos dominatus subtractos esse, quorum causa Wendarum Reges appellati sunt. Pomeraniæ vero Duces Politicum Dominatum nactos, etiam Ecclesiasticum tanquam cum Insula ad se pertinentem ab Episcopis Roschildensibus ad se traduxisse. Nonnulla tamen adhuc prædia & bona cum incolis in insula reperiri, qui Daniæ Regibus obedientiam præstare teneantur. De Rugianorum Ethnicorum idololatria agit *Chronicon Lubecense Regkmanni pag. 9. seq.* Nobilium in Rugia Stirpium nomina sunt hæc: *Putbus, Ahnen, Bergelazen, Bernekovven, Bohlen, Bonovven, Ehden, Gagern, Iasmunde, Kalden, Ketell, Krackevile, Krastovven, Lancken, Normanne, Bancker, Osten, Paselich, Platen, Rade, Ralechen, Rotermund,*

Schelen, Segebaden, Stevenovven, Vsedom, Ohe, Zuhmen, Quatren, Schilten. Præcipua Insulæ loca sunt Bergen & Putbus.

Bergen Rugiæ caput in media ferè insula municipium apertum & mœnibus destitutum sub latitud. 54. 48. & longitud. 30. 0. cui tamen an. 1190 civitatis jura concessa, & Saxones incolæ dati. Cœnobium hîc est Virginum monialium à *Iaromoro* Rugiæ Principe anno 1139. fundatum, & anno 1445. cum omnibus ornamentis & templo igne deletum, quod postea instauratum hactenus conservatur. Hujus loci Præpositura Ecclesiastica viginti septem parochias comprehendit. Domus Principis Bergæ etiam visu digna. De Rugia à Suecis occupata *Chemnitius in Bello Sueco-Germanico pag. 33. & seqq. Exstruxerant Cæsariani, quò Rugiam adversus Stralesundensium irruptiones simul munirent, simul Civitatem omni cum insula commercio intercluderent,*

bina

bina ad veterem & novum trajectum castella, militeque firmaverant. Non minus, quod vetus portûs ostium, (Gelliam vocant) vadosum, nec grandiorum navium patiens sit, alterum seu novum excitatis in continenti Pomeraniæ orâ ad Brandeshagam, & adverso Rugiæ littore, duabus munitionibus velut præcluserant. E quibus, tormentis hinc inde dispositis, colludentes in navigia, siquæ illis, invitis, Stralesundam præterlabi niterentur, detonabant. Has angustias, quibus Vrbs eminus cincta premebatur, ut laxaret Leslæus, nec non equitatui, quem cogere cœperat, laxiorem aperiret pabulãdi campum, Regio Legato Stenone Bielckio Barone suffragante, Rugiam Cæsarianis, qui, præter necessaria munimentorum præsidia, rari, ob commeatus inopiam, in insula jam apparebant, ejectis occupare constituit. Nec parum maturabant ipsius intentionem Cæsarianorum de commoditatibus, quæ Regi Sueciæ ex hac insula, si potiretur, obventuræ erant, alia quam armorum via, ei-

 dem

dem præcidendis consilia, & conatus. Cũ enim nec validum & sufficiens præsidium, ob defectum commeatus alere insula, nec parvâ manu à Regiorum insultu defendi posse videretur, habito cum Daniæ Rege ac Duce Pomeraniæ tractatu, jam ab initio hujus anni id egerant, ut dicto Regi à Duce, accepta certa pecuniæ, à qua hic maximè laborabat, summa, possessio, traderetur: Quo casu ipsi tota Insula, cum munitionibus in ea excitatis cedere pollicebantur. Iamque non attentatâ Stralesundensium protestatione, penissimè res transacta, nec, sub initium mensis Martii, nisi in uno, nondum convenerat: Daniæ nimirum Rege, ultra Rugiam, & castella illinc extructa, etiam quod in continenti ad Brandeshagam situm sibi tradi postulante, Cæsarianis verò de eo adhuc ambigentibus. Has ergò in Regis Sueciæ, ac Stralesundensium præjudicium vergentes molitiones interrupturi, Legatus Regius & Vrbis Præfectus, possessionem insulæ, illa seu totaliter, seu ex parte occupatâ,

quam

quam primum sibi apprehendendam duxerunt. Vt autem hostium defensioni intentorum curam aliò versum, quàm quò collimabant, averterent, principio Hiddensæam insulam, ad occidentalem Rugiæ oram, maris influentis canali non adeò lato ab eadem discretam, injecto ducentorum peditum, & octoginta equitum præsidio, ductore Georgio ab Heyden Pro Tribuno XVII. *Cal. Aprilis firmare placuit; quasi ab hac parte aditum quæsituris. Quibus additæ quatuor armatæ celoces, cum triremi, & octo tormentis instructa navi oneraria, id genus quod duplici ad malum sed corbe nautica destitutum, velo utens, Creieros vocant: Cæsarianis, siquidem forsan Canalem è Rugia scaphis trajicere, & Regios inde ejicere molirentur, impedimento futuræ. Mox cognito per exploratores, præsidiarios in castello ad veterem trajectum, & numero paucos, & animo infractos, adeoq; ad militiæ munia obeunda segniores, sexcenti sclopetarii, cum parte equitum Duvalio & Hallio Tribunis Ducibus,*

 in

in insula IV. Cal. Aprilis, pontonibus transmissi; postero mané inter sextam & septimam, hosti illîc se ostendêre. Et ostendisse quidem satis: Cæsariani enim, qui ad septuaginta in præsidio, Regiis visis arma statim abjicientes una cum castello in eorũ partes transibant. Quæ in Rugiã irruptio celeriter adeo & inopinatò Cæsarianis adversus Stralesundẽses ibi excubantibus accidit. Vt castellum quoque ad novum Trajectum à Regiis, si absque morâ impetum eò vertissent, opprimi potuisse creditum sit. Quippè milites plærique solutè & negligenter in stativis, aliquo intervallo à castello dissitis, degebant. Debili tantum statione, quæ vigilias utcunque obiret, in eodem relicta. Sed suborta hoc tempore subita tempestas, cum, sæviente mari, plures equites in insulam trajici vetaret, Regiorum paucitati equitum, quos penes se habebant, diffidentium ulteriorem progressum stitit. Primo tamen hoc successu contenti, ac læti, jamque, quod quæsierant (firmum nimirum in Rugia pedem) ex parte con-

consecuti, præsidium in Hiddensœâ relictum, nulli amplius usui illic futurum, in castellum hoc retraxêre: sedulam novis operibus muniendo operam intendentes. Inclusis etiam in munitionem propinqua æde sacrâ, & adjuncto huic cæmiterio: Quæ situ aliquanto altiora, si hostis insideret castello non mediocre minari discrimen, & superiori loco velut dominari videbantur. Frequentes post hæc velitationes inter Regios, & Cæsarianos intercedere, alternante belli fortunâ, nec Regiis semper æquâ; velut inter alia ipsis Kal. Aprilis Equitum Magister à Platen fugitantem hostium globum, ejusque Ducem Falckenbergium, ardentius, quàm cautius insectatus, à recenti turma, quæ commilitibus subsidio venerat, interceptus: Res tamen Cæsarianorum indies magis, magisque pessum ire. Ita ut è stativis in castellum pulsi, commeatusve, & aliarum rerum penuria conflictantes, nec ullo comparente subsidio VII. *Id. Aprilis, vitam & res salvas pacti, eo excederent. Haud*

 longè

longè post Cæsarianarum partium Tribunus Gotzius, serenam tempestatem nactus, cum copiis non exiguis ad Brandeshagam in Rugiam trajecit, & VII. Kal. Maji cum aliquot equitum turmis, Regiorum nuper excitatas ad veterem Trajectum munitiones exploratum, ipse contendit: Quem postridie integer exercitus, tribus circiter peditum millibus, & sex equitum alis constans, secutus, intra veterem & Gralensem Trajectum castra metabatur. V. Cal. autem propius accedens sub obtutu Regiorum instructa acie stetit; quasi summa vi impetum in illos facturus.

His tamen animos ne quicquam demittentibus, sed paratos & alacres ad excipiendum hostem se ostendentibus, quippe quos & milite, & aliis ad defensionem necessariis Leslæus abundè firmaverat, Gotzius nil ultra ausus, ostentatis tantum viribus retrò gradum tulit, tota insula prius tamen expilata Regiis cedens: Excepto, quod

contrà

contra Brandeshagam ad fauces novi ostii Cæsariani exstruxerant, munimento. Id enim, ne omni aditu, & spe invadendæ iterum Insulæ penitus excluderentur, valido præsidio incessum.

Conatu autem de Regiis vi Rugia pellendis haud succedente, ad alia consilia revoluti Cæsariani Ducem Ordinesve Pomeraniæ induxerant, ut insulæ per Neutralitatem (novâ, sed rei exprimendæ unicè apta voce, & nunc & deinceps, quoties opus utemur) ab omni hostilitate ac belli incommodis utrinque eximendæ apud Regios satageretur, & huic fini Legatos suos Stralesundam destinarent. Vtut verò Regius Legatus, absque speciali Regis mandato, eâ in re nil quicquam posset, nec sanè consultum putaret, Rugiam Regiis armis subtrahi; quam firmo jam vestigio premebant, & cujus brevi in solidum potiundæ certa erat fiducia; Non omnem tamen spem,

quam Cæsariani in hac tractatu collocarant, præcidere iis, rejecta omninò Legatione, voluit; ne, desperatione in furorem versa, quicquid ab ipsorum injuria adhuc superabat intactum, ferro flammaque penitus vastarent. Accepta ergò æquo animi in speciem legatio, cumque in Urbem certis de causis admitti non posset, missiculatæ invicem litteræ: Quibus, an sufficienti mandato instructi venirent, quibusve conditionibus paciscendum putarent, Ducarios regis Legatus percontabatur. Hac ratione extractum tam diu tempus, donec commoda, Cæsarianos tota insula ejiciendi, occasio se offerre visa. Id quod sub initium Iunii mensis accidit: Quo Leslæus in absentia sua, Urbis Stralesundensis tutelam Duvalio Tribuno commendans, assumptis duobus equitum, peditumve millibus rem aggressus est. Is enim VIII. *Id. Iun. transmisso cum his copiis freto ad veterem Trajectum castra locaverat: Unde postridiè gradum movens sub vesperam in conspectum munimenti,*

menti, quod unicum ad novum portus ostium Cæsarianis in insula supererat, venit. Nec mora: Distributis Stationibus, ipsemet cum parte copiarum ab uno latere, ab altero Hallius, & Chrichbomius Tribuni consedere. Tormenta etiam, quorum duo sexdecim singula, sex autem quatuor & sex pondo ferri librabant, quà commodissimè visum, illicò disposita, & obsidionales accessus eâdem adhuc vespera utrobique promoveri cœpti. Quia vero cardinem obsidii in eo magnam partem verti apparebat, si hosti auxilia è continenti intercluderentur, huic quoque rei optimè provisum. Naves enim ac celoces, Stralesunda missæ, quas selecto nauta ac milite impleverat Leslæus, fretum transeuntibus infestum reddebant. Nec minus obliquato aquam versus flexu ita ductæ accessuum fossæ, ut Regii velut medii intervenientes viam ab aqua obsessis interciperent. Cæsariani qui ad Brandeshagam frequentes aderant, per totam interim noctem nihil intentatum relinquere, quò,

transmisso freto, socios subsidio firmarent, sed in cassum: Regiis qui mari aderant, & omnes eorum motus observabant, strenuè se interponentibus, & obviam euntibus. In quos tamen è munimento ad Brandeshagam extructo grandioribus machinis subinde detonatum, & aliquibus sauciis, nonnulli interempti.

Nocte, quæ VI. *Id. Iunii sequuta, Cæsariani idem denuò experiri, nec feliciori, quo antea successu: Nisi quod exigua cymba tres aut quatuor homines vehens remigii velocitate Regiis elapsa, simul aliquid pulveris tormentarii obsessis inferret, simul eorum animos spe amplioris subsidii, mox secuturi aliquantulum recrearet. Nec promisso defuit fides: Sequenti enim Anno* V. *Id. Iunii, die circa decimam autem Meridianam, valida Cæsarianorum manus pontem nacta, à Brandeshagensi munimento solvens undis se committebat citato cursu in Insulam trajectura.*

Quia

Quia autem Regiæ naves & celoces frequenti tormentorum in ipsos fulgurantium procella compulsi aliquantisper recesserant, nec tempori satis, ut anteverterent, præstò futuræ videbantur, Leslæus illicò centum delectos Milites ab una, & Hallius Tribunus ab altera parte ablegarunt; aperta sese vi Cæsarianis opposituros, eosve appulsu prohibituros. Id quod tanta animorum alacritate hi exsecuti; ut ne unus quidem illorum, qui subsidio veniebant, terram pede tetigerit. Leslæus interea conspecto, milites suos eò pugnandi ardore provectos, ut tormentorum, quæ jam subierant, vim haud amplius extimescerent, occasione uti decrevit; Reliquum in subsidiis stantem militem festinato subsequi, necessariaque humo moliendæ instrumenta comportari mandans, & in ipsam hostium munitionem fodiendo insinuare certus.

Anim-

Animadverso autem, præsidiarios animo jam lapsos ad defensionem torpere; eâdem consilii promptitudine aggressionem facere, & in foramina, per quæ machinæ hostiles prominebant, insilire militem jussit. Dictum factum, adeoque feliciter: Vt munimentum clarâ luce, circà secundam pomeridianam in Regiorum potestatem concesserit. Cæsariani pars primo aggressionis terrore trucidati: Reliquis una cum Centurione, qui rerum summæ præfuerat, subcenturione, ac signifero vitæ gratia facta. Repertæ in hoc munimento quinque ahenea tormenta quaternas ferri libras vomentia, pulveris nitrati tria dolia cum dimidio, sena glandium plumbearum vascula, ac funiculorum sesquipondo navale. Hanc jacturam passi Cæsariani exstructam in opposito littore ad Brandeshagam munitionem, ut quæ nec ad transitum in Rugiam quicquam amplius conferret, nec præcludendo portui unicè sufficeret, Regis adventantis

tantis metu, aliquanto post ad terram depositam, itidem deseruere: Machinis, quæ inibi habuerant, Gryphisvvaldiam deductis. Repurgatâ hoc modo à Cæsarianorum reliquiis Rugiâ insulâ, Leslæus omnes ejus incolas, cujuscunque ordinis, aut conditionis forent, publico promulgato diplomate adhortabatur; Vt, avertendi imposterum ab insula mali, omni animorum litterarumve, cum hoste & ab eodem dependentibus, commercio abstinerent; quin potius militi suo, cui insulæ defensionem commissurus erat, adversus quoscunque vi astuve eam tentatum venientes, vires operasve sociarent. Et alacriter quidem paruère incolæ: Illis etiam, qui magno numero Cæsarianorum injuria pulsi patrias sedes desertum iverant, postliminio ad easdem redeuntibus. Quin imò tota mox insula ad communem defensionem, solenni syngrapha fidem suam Regi post ejus appulsum astrinxit. Hactenus Chemnitius. Cæsarianorum Insulam

Ru-


Rugiam deſerentium tyrannidem, qua incolas, Bergenſes cum primis excruciarunt, memoriæ prodit *Iohannes Micrælius lib.5.Pomeran.pag. 242.ſeqq.* Poſtquam Cæſariani, Rugia Inſula, Straleſundæ Urbi proxima, & ferè tertiam partem propria, in poteſtatem redacta, viribus accreverunt, trajectus, & aditus ad dictam urbem occuparunt, muniverunt, Urbis portum duobus munimentis, uno in Rugiæ, altero ad Brandeshagam in Pomeraniæ littore extructo omni aditu privarunt, naves prætervectas machinis ſuis petierunt, & damno affecerunt, ac negotiationis & navigationis uſu Straleſundenſes orbarunt, Senatus Populuſque Straleſundæ Sueciæ Regis Fœdere ſibi juncti auxilium & opem imploravit, & impetravit. Negotii cura commiſſa *Stenoni Bielckenio* Legato Regio & belli Commiſſario Generali, cujus conſilio *Alexander Leslæus* Straleſundæ Urbis Gubernator

nator militaris in Rugiam irrupit, & Hiddenſoeam inſulam Suecici juris fecit. Die Martis poſt Paſchatis Feſtum a. 1630. munimenti ad veterem Trajectum è regione Urbis Straleſundæ potitus templum, cum cœmiterio, excelſiori loco inſidens eidem adjunctum bellicis operibus firmavit, & tormentis ac militibus ſtrenuis inſtruxit. Ex eo crebris tam peditum quam equitum eruptionibus Suecicus miles in Cæſarianum invectus eum ad munimentum Brandeshagę munitionem contra poſitum ſæpius perſecutus eſt, caſtraque Cæſariana incendit. Cæſariani inſulæ conſervationi diffidentes Rugiam horrenda vaſtatione depopulati tam horrenda & enormia exercuerunt ſcelera, & facinora, quæ meminiſse, quam ſermone proferre facilius eſt. Nemini parcitum, nec ipſis quidem Cœnobii Bergenſis virginibus, quæ à fœdiſſimis ganeonibus ſpoliatę & denudatæ veſtibus, miſerando modo tracta-

tractatæ sunt. Cædibus, rapinis, & incendiis insula deturpata. Uterque Consul Bergensis & multi alii captivi facti; Acta judicialia in Secretarii ædibus lacerata; Nobilium arces & domus compilatę, & homines accensis funiculis usti, & coacti, ut pecuniam & divitias suas proderent. Hæc *Micrælius*.

Putbus in littore & Sinu Rugiæ Meridionali, Dynastiæ Putbusiensis caput, & *Dynastarum de Putbus*; totiusque stirpis Putbusiensis sedes. Hujus stirpis origo manare dicitur, à *Stoslavo*, aut *VVislavo*, ut alii eum appellant. Tertius fuit filius Rugiæ Principis *VViclavi IV*. Genealogiam dictorum Dynastarum habet *Micrælius lib.6.p.447*.

PO-


BARDT.

POMERANIA CITERIOR.

Pomeraniæ Citerioris Loca, Urbes nimirum, flumina, montes, arces, pagos descriptione nostra oculis subjecturi initium faciemus à Megapolitani Ducatus finibus, ac descriptionis nostræ filum ab Occasu in Ortum ducemus, loca Septentrionalia & Meridionalia utrinque includentes.

Der Darss, Sylva est grandis in extremo littore apicem suum acuto promontorio in Septentrionem promovens. Orientale ipsi latus septum sinu longo, & curvo, qui Damgardium usque excurrens Reckenitzæ amnis aquas Pomeraniam à Megapolitano Ducatu disterminantes suscipit. Initium & finis latiore spatio distenduntur: medius ejus tractus angustior est.

Bardum, *Barth* haud longè à dicti Sinus ostio sedet, quâ littus anfractũ suum

suum in Meridiem insinuat. Civitas est haud è minimis, & cincta agro admodum fertili, sub quâ fluvius Bardus, Bartz incolis, aliis Barte, dicto Sinui se miscet. Sub latitud. 54. 34. & Longitud. 37. 30. locatur. Negotiatione modicâ fruens frumenti, quod feracissimus ager circumjacens largitur, mercaturam quæstuosam exercet: Cerevisiam quoque coquit sapore suo grato & refrigerante merentem, ut terra marique quaquà versum asportata, ubique emptores promptos offendat. Urbs tot aquis circumfusa pisces crebros nanciscitur, & vili pretio mercatur. Privilegiis donata & benè ædificata, arce ducali satis splendida exornatur, portumq; Principis visu dignum ostentat. In foro spacioso & amœno quotannis Mercatum famâ nobilitatum die Solis festum *D. Michaëlis* sequente celebrat. Ecclesiasticus conventus 20. parochias complectitur. Domus S. Spiritus pauperum usui de-

ſtinata a. 1581. extructa eſt. In Schola ſatis bene conſtituta juventuti liberalium artium cognitio ſingulari diligentia inculcatur. Diſtantia urbis Straleſundâ eſt 3. Roſtochio 7. & Gryphiswaldia totidem milliarium. Facilis hinc in Daniam, Norwegiam, & Sueciam navigatio. Civibus à Pomeranicorum Chronicorum ſcriptoribus hoc laudis impertitur, quod humani & benefici Eccleſiarũ & Scholarum maximam rationem habeant. De nominis origine diſcrepantes inveniuntur opiniones. A Bardo fluvio derivatum quidam opinantur: alii bipennibus ortum aſſerunt. Sunt qui à longis barbis ipſi hoc nomen inditum credunt. Longobardorum ſedem antiquam fuiſſe nonnulli colligunt ex inſignibus urbis, quæ capitis longa barba ornati imaginem oſtendunt. Ab hac urbe autem totum tractum, in quo Straleſunda, Grimma, & Tribeſæa. Anno 1256, *Iaromarus* Rugię princeps Jus Barthenſe in Lubecen-

se mutavit, ac in civium gratiam arcem dejiciendam curavit, nullumque in urbe cœnobium aut monasterium exstruere pollicitus est. Frequentia Pomeranis de hac urbe bella intercesserunt, modò cum Rugianis, & Danis, modo cum Megapolitanis. Anno 1405. in Kentz pago Bardo urbi vicino ortus est magnus concursus peregrinantium, qui ad *S. Mariam* ibidem loci salutandam & adorandam undique confluxerant. Anno 1495. ferè tota exusta est civitas. Incendii occasionem præbuisse fertur cerevisiæ coctor, qui ignem structurus, cum ex voto celeriter ardere nollet, illum in omnium diabolorum nomine ardere jussit: quod mox summo civitatis damno factum est. Anno 1587. denuo horrendum incendium ferè totam urbem consumpsit, ut ægerrimè hanc jacturam sarcire potuerit, Multum auxilii nacta tunc temporis, quo *Bogislaus XIII.* ibid. cum aula sua commorans,

morans, quinque ſuos filios principes laudabili educatione ad humanitatem & virtutes informandos curavit. Omni ope & auxilio ipſi ſuccurrens inſignem quoque typographiam inſtituit, quæ poſt mortem ejus collapſa intercidit. De hac urbe videantur *Micrælius lib.6.pag.609. ſeq.* & de ejus bellis ac rebus geſtis *part. 2.pag.* 110.246. 253. 260. 339. *ſeq.* 375. 378. 380. *ſeq.* 466. *Caſparus Ens in delicus Apodemicis per Germaniam pag.* 271. *ſeq. Bertius lib3.rer. Germ.p.* 473. *Georgius Braun part.* 5. *de urbibus.*

Damgardia, *Damgarden*, *Damgarten* ad dextram oſtii, per quod Reckenitzæ fluvio in Sinum ſupra dictum aditus patet, anno 1258. à *Iaromaro* Rugiæ Principe civitatis jure donata, & turri munita eſt. Sita è regione Ribenitzii ad Ducatum Megapolitanũ pertinentis. Parochia Damgardiana Bardenſi Synodo ſubjecta eſt. Domum habet Ducalem ut & præ-

& præfecturam. Anno 1363. controversia de finibus utriusque Ducatus orta tandem *Albertum* Megapoleos Ducem, & *VVartislaum VI. ac Bogislaum VI.* Pomeraniç Duces in mutuum bellum conjecit, finitum prælio apud Damgardiam, in quo *Albertus* victor *VVartislaum* cum multis nobilibus cepit, redemptum postea mille, quadringentis & octoginta marcis auri. *Micrælius lib.3. c. 53.pag.382.* Anno 1379. frumenti Mercator Pantelitz nomine laqueo sibi ipsi mortem conscivit, quod post caritatem annona vilior evaserit, anno 1571. prid. Cal. Aprilis. incendio tota urbs conflagravit. Anno 1630 IX. Cal. Octobr. Sueciç Rex *Gustavus Adolphus* Damgardiam cum exercitu suo venit. *Hic in ipso penè Regionum divortio* (verba sunt *Chemnitii volum.1.lib.2.pag.67.*) *citra flumen tamen adhuc, quadrangula, vetustate, & duo demum pedum crassitudine insignis turris, à decantatis piratis Nicolao Stor-*

Stortebekio & Gothefrido Michaëlis (ut vetus memoria est) quondam ædificata extat: quam Cæsariani fossa, & castello terreo seu reductu circundederant. Nec Regios infestare exinde desierunt, donec impetu facto vi superarentur. Ab irritato, recenti Pasvvalcensis laniena memoria, milite mactati ad unum omnes. Pars etiam, qui in turrim se receperant, à Regiis in altum enixis è fastigio præcipites acti. Anno 1637. à Cæsarianis hic locus occupatus sequente anno 38. ad Suecos rediit. Hodie turris illa proximè Damgardiam munimento terreo cincta supra se sitam munitionem quatuor dimidiis propugnaculis firmatam, & dextro Reckenitzæ margini mox suprà ostium incumbentem aspicit. Damgardia ipsa aperta vim sustinere nullam potest.

Reckenitza flumen ex Megapolensi Ducatu erumpens ad ortum æstivum in Pomeraniam descendit; ac è regione Tribbesææ oppidi angulum

formans ad Occasum æstivum se deflectit, fines alveo suo Damgardiam descendente Ducatui Pomerano statuens, & undarum onus in Sinum sub Damgardia proximum deponens.

Stralesunda, Sunda, Stralsund, Sund emporium munitissimum & celeberrimum accubitu suo sub latitut. 54. 32. & longit. 37. 45. fretum Rugiæ ac Pomeraniæ conjunctionem dirimens attingit, ac ferè ovalem figuram format. Tria tamen latera habet tàm naturâ quàm arte firmissima. Fretum inter Rugiam insulam & urbem intermedium quartam milliaris Germanici partem latitudine suâ æquat, ac latus urbis humectat, quod pluribus propugnaculis munitum sex pontes ligneos ligneis palis aquæ impactis impositos in fretum immittit, quemque suæ portæ respondentem. Ad hos pontes appulsæ naves onerariæ centum & quinquaginta, vel etiam ducentarum tonnarum

narum, ſeu onerum, ut vocant, merces exponunt aut iis onerantur, prout ad urbem adventant, aut ab eâ in mare abeunt, vela daturæ. Haud procul ab urbe verſus Orientem parva eſt inſula Denholm, vel Dænholm, quæ ex urbe machinarum bellicarum ictibus defendi poteſt. Dęnholm, ſive Danorum inſula vocatur à Danis anno 1429. à Straleſundenſibus in eâ devictis. An ſit Strela inſula, à quâ nomine Straleſundæ urbi impoſitum quidam arbitrantur, incertum eſt. Aliud ipſi nomen fuiſſe antequam dictam appellationem nanciſceretur, nemini dubium videri poteſt. Civitas ipſa elegantibus & lapideis ædibus ubique conſtructa, & eleganti admodum ordine diſpoſita longas, & ob æqualium ædium ſeriem æquales habet plateas, quæ tantum urbi ornamentum conciliant, ut inter maritimas Baltici maris vix parem habere credatur. Latus freto contiguum ſex habet portas, unam inter ex-

trema duo propugnacula urbis, per quam in munitiones exteriores, ac inde per pontes & Lunam dimidiam in terram itur: Nomen ipsi est Francken thor. Quinque reliquas cum turribus suis continent mœnia urbis antiqua, à tergo propugnaculorum, quæ per ipsa propugnacula, ad pontes in mari, exeuntes ducunt, & inde redeuntes in urbem reducunt. Prima est Francken thor, seu porta Francorum interior, per quam ad pontem proximum eque[illegible] ac ad alteram Francken thor, id est, portam Francorum exteriorem exitus patet. Ante utramque templum est S. Spiritus, proximè duo propugnacula in fretum apices extendentia. Sequentes sunt, Langen thor (longa porta) H. Geist thor (S. Spiritus porta) Badenthor (balnearum porta) Semlowthor (Semloviensis porta) & Vehrthor per quam egrediuntur, & ingrediuntur, qui fretum transmittendo ex Rugia in urbem, vel ex urbe in Rugiam

giam tendunt. Duo reliqua latera terræ obversa paludibus, & piscinis duos sagittarum jactus latitudine æquantibus hostiles accessus arcent. Latus à freto in terram pergens, seu inter portas Knipes thor, & Tribbeseesche thor quinque propugnaculis & interioribus mœnibus, ac fossâ intermediâ se tuetur. Quatuor patens est portis, quarum duæ intermediæ exitu carent. Freto proxima porta Knipes thor nominatur. Aggerem opere cornuto in fronte se defendentem loco pontis ad transitum adhibet, abeuntibusque & accedentibus terrestre iter patefacit. Proxima est Hospital thor, Xenodochii porta, patens quidem, sed in terram exitum non concedens, inter quam & priorem lacus sive palus Knipes Teich aquas suas dilatat. Huic succedit porta Kuther thor cum suo lacu Hospitaler Teich inter hanc & præcedentem diffuso. Porta Tribbesæensis, Tribbeseesche thor est ulti-

ma, ex quâ agger longus & angustus in terram iter facientibus exitum præbet. Palus autem huic & præcedenti interjectus Kuter Teich nuncupatur. Portâ exeuntibus ad dextram apparet turris Koppen thurn, & ad sinistram Xenodochium in fine lateris, quod hinc ad portam Franckenthor proficiscitur, & quatuor propugnaculis ipsis mœnibus affixis defenditur. His defensionem suam adjungit lacus Franckenteich, diffusione latiore, quam priores paludes, se explicans. In Tribbeseensis portę, & Xenodochii vicinia, modico spatio à mœnibus, & altero à fine dicti lateris propugnaculo turri altissima in aërem surgit templum *S. Mariæ* splendidissimum, & totius urbis maximum, cujus turris anno 1479. structura altiori educta & aureâ coronâ insigni fastigio exornata est. Templi longitudo 185. latitudo 90. altitudo usque ad fornices 90. ac tota 300. ulnus complectitur, totum-

tumque templum cupro tegitur. Anno 1647. XIII. Cal. Septemb. turri tactâ fulmine, flamma totum ædificium templi correptum consumpsit, & præter muros nil reliquum fecit, ut ejusdem anni *Relatio autumnalis* commemorat. In spatiosa areâ ante templum ædes conspiciuntur Nova domus, Das Neue Haus nuncupatę. *S. Catharinæ* templum à porta Kuther thor modico intervallo sejunctum mœnibus adhæret, ac è regione oppositum habet orphanotrophium. Ab hoc templo per plateam ad portas S. Spiritus & longam descendenti se offert templum *S. Iacobi* turri alta quoque se extollens. *S. Nicolai* templum & curia foro contermina sunt. *S. Iohannis* monasterium inter portas Knipes thor,& Vehr thor medium locum obtinet. Urbs ipsa populosa & civibus repleta, præter alia commerciorum exercitia lucrum ingens parientia, frumenti navibus in Belgium, Norwegiam &

Scotiam missi negotiatione satis ampla divitias opulentas accumulat. Nec silentio prætereunda cerevisia optima, & famâ nobilitata, cui admodum quæstuosæ cives haud exiguo studio incumbunt. Annuos mercatus celebrant duos, quamplurimis Mercatoribus frequentatos: unum *S. Viti* Die festo, & alterum die, qui *S. Nicolao* sacer est. Hinc non immeritò *Bugenhagius in suo de Pomerania tractatu* laudum hujus urbis præconem agens, *Magnam*, appellat, *civitatem, operoso schemate structam, divitiis abundantem, terra marique locupletem.* Et Crantzius lib. 7. Vandal. cap. 5. *Opibus florentem, civibus plenam, artificiis exornatam. Seccervitius lib. 2. Pomeraneidum* eam sequenti versuum suorum præconio extollit:

Illam sæpe quidem duris sors invida fatis,
Et rapido Vulcanus atrox conterruit igni.
Verum terrisona velut Ilex tonsa bipenni,

Resti-

Restitit his invicta malis, viresque relegit,
Altior usque suas, crevitque adversa ferendo,
At nunc ô potius sævis intacta periclis,
Floreat, & sortem magis experiatur amicam,
Pacis amans, dubio procul omni turbine Martis.
Nulla salus bello, pax nostris aurea terris,
Unanimesque Duces, populosque & mœnia servet.

Privilegiis autem & immunitatibus insignibus Stralesunda fruitur, ità ut mirum non sit, eam tot adjumentis promotam ad statum tam florentem emersisse. Per totum Rugiæ principatum ab omnibus vectigalibus cives sunt immunes, ac cum cæteris urbibus privilegiatis in tota Pomerania immunitate eadem gaudent. Jus cudendæ monetæ acri propugnatione sibi conservarunt, sæpius ea de causa in odium principis sui, & discordiam vicinorum incurrentes. Fi-

nes Urbis late extenduntur. Terra marique omnimodam libertatem & jurisdictionem tam in Ecclesiasticos quam sæculares, æque in criminalibus ac civilibus, cum exceptione appellationis in judicio Ducali, provinciali, & consistoriali consequuta est, & Armandiam suam terra marique, jura fœderum belli, Patronum eligendi semper exercuit. In superioris Saxoniæ Circulo præcipua Imperii Romani civitas est ratione finium & situs sui in littore maris, hoc peculiare privilegium habens, ut bello Imperium invadente nullis aliis oneribus devincta sit, sed solius urbis suæ defendendæ rationem habere debeat, nec minimum ab ea posci queat, nisi quod proprio arbitrio & voluntate facere velit. Contributiones Ducatus nomine imperatas non secundum indices certos, & putationes peculiares, cæterorum Pomeraniæ Ordinum more, sed tantum summa certa in ærarium conferunt, ut

ut in Megapolitano Ducatu urbes Roſtochium, & Wiſmaria, Luneburgum in Luneburgenſi Ducatu, & Emda in Orientali Friſia facere ſolent. Pomeraniæ incolis communem patriæ defenſionem ad arma vocatis, Straleſundæ cives ejuſmodi convocationi non parent, ſed domi manentes civitatis ſuæ defenſionem ſuſcipiunt. Pomeraniæ autem Duci præſidia urbi imponere, & cives militibus ſuis onerare non licet. Inſulæ Rugiæ littoribus præfectum Straleſundenſis Magiſtratus præficit, ſine cujus conſenſu etiam nec in Inſula præfectus aliquis conſtitui, nec frumentum inde in alia loca exportari, nec cereviſiam in ea coquere, aut vendere, nec urbes ullas extruere licet. Hanſeatici fœderis civitatibus conventum agentibus ſextum locum & ſuffragium obtinet. Quarta inter Wendas civitates, & Pomeraniæ caput cæteras civitates Hanſeaticas ad publicum conventum litteris ſuis invitat.

vitat. Quando in civitatum Hanseaticarum conventu, & sessione Lubeca medium locum tenet, sequenti ordine ad dextram sedent Colonia, Brema, Rostochium, Stralesunda, Wismaria, Magdeburgum, Brunsviga, Dantiscum, Stetinum, Hildesia; Ad sinistram, Hamburgum, Luneburgum, Dortmunda, & Gryphiswaldia. Stralesundæ autem reliquas novem Pomeraniæ urbes, Stetinum, Gryphiswaldiam, Colbergam, Stargardiam, Anclamiã, Stolpam, Demminum, Rugenwaldam, & Golnoviam litteris suis ad conventum Hanseaticum convocare incumbit. In Pomeraniæ conventibus & comitiis ipsi inter cæteras urbes primus in sessione locus conceditur. Origo & nomen urbis in varias scriptores conjecturas rapuit. Regem Francorum *Sunnonem II.* eam anno post Christum natum 145. vel 146. condidisse, & à se Sundam denominasse ferunt. *Spangenbergerus in Chronic.*

Mans-

STRALSVNDIA.



Francken Teich

Maris Baltici pars

Mansfeldiæ c. 40. *Funccius in Chronolog.* & *Andreas Angelus in Annal. March. lib.* 1. *fol.* 15. Sed *Iohan. Isaac. Pontanus in Chorograph. Dan. descr. pag.* 735. *Iaromirum* Rugiæ Principem, Regis Daniæ *Valdemari II.* Domini sui beneficiarii permissu circa 1207. à Christo nato annum hujus Urbis fundamento primum lapidem posuisse statuit. Nihil tamen certi de ea dici potest usque ad annum 1209. quo *Iaromirus* eam iterum erexisse, & Germanis implevisse creditur. *M. Zacharias Orthus Stralesundensis, Poëta Laureatus de Origine & Heroicis Stralesundensium gestis carmen* condidit, cujus initium,

Inter Vandalicas multo præclarior urbes
Ad mare Balthiacum Sundina Strela jacet.
Dives opum, bellisque potens, ac ubere glebæ,
Felix ingeniis, nobilis arte bona &c.

In opusculo illo docere nitur, Stralesundam à *Iaromaro* Rugiæ Principe, alio,

alio, quàm quo hodie cernitur, loco excitatam esse, eo nimirum, ubi in suburbio apud *S. Marci* templum urbis illius rudera & parietinæ adhuc in conspectu sunt. Ob situs incommoditatem postea in hunc locum, in quo nunc est, anno 1230. à *Iaromari* filio translatam esse. *Iaromarus* dictus civitatem hanc cum, *VValdemari* Regis instinctu & adjumento, mœnibus circundedisset, Ducibus Pomeraniæ factum adeò displicuit, ut tertio anno post, antequam nimis firma redderetur, eam invaserint, & portas ac ædes incendio deleverint. Unde forsan evenit, ut in commodiorem locum eam transferre coacti fuerint: id quod innuere videntur versiculi sequentes aureis literis ibidem inscripti.

Annis ducentis, ter denis, mille retentis
Fit Stralesundensis civitas, cui nomen ab undis.

Verisimile forsan etiam, rudera illa, de quibus meminit *Orthus*, reliquias esse

esse ædificiorum à Francis, & aliis Germanicis populis ibi erectorum, antequam regio expeditionibus illis in Romanas Provincias memorabilibus & magnis maximam incolarum primorum partem exhausta ingruentibus Wendis præda facta esset. Mox, postquam condita fuit, navigatione, mercatura, & opibus incrementa insignia sumens maximâ æmulatione vicinos inflammavit, adeò ut Lubecenses ipsam oppresserint, & fœdaverint anno 1277. post quod tempus adhuc incendio conflagravit. Hinc factum, ut ædes lapideas cives construxerint. Nomen Urbis hodiernum Stralesunda à Strela insula, quæ nusquam hodie in conspectum prodit, nisi forsan Insula Denholm pro illa sumenda, & nomen Strela in Denholm mutatum sit, nonnullis derivare placet. Aliis denominatio à nomine Stralen placet, eò quod ex mari aperto per multa fluenta, tanquam radios plures ad urbem perve-

niatur;

niatur; quæ in insignibus seu scuto suo ejusmodi radium pictum ostendit. Ante annum 1303. ingressus in fretum Sundense, qui ab occasu æstivo Stralesundam pergit, & Gella sive Jella vocatur, longè profundior onerarias naves quasvis admittebat. Hollandi autem, ut fertur, saburra nautica aditum illum adeò replevisse feruntur, ut tribus ulnis haud profundior ejusmodi navium amplius capax non esset. Dicitur autem alveus fuisse, per quem unum ex Viadri fluentis, Peena nominatum, aquas suas eduxisse creditur, cum Rugia insula adhuc cum Ruden insula cohæreret. Dicto tamen anno à procella & tempestate horrenda subito ex Oriente Rugiam & Ruden, inter quas parvulus tantum rivus pedibus permeari facilis intercesserit, divulsas, & spacium milliari Germanico majus, quod pisis antea conseri solitum, aquis tectum esse, & aquarum strepitu personare, scribunt. Locum nau-

nautæ das Neue Tieff, id est, Novam profunditatem appellitant, quia navibus onorariis accessum Stralesundam largitur, & jacturam Jellâ factam compensat. Anno 1316. Stralesundæ gravis obsidio circundata est ab *Erico* Daniæ Rege, & Germanis. Nam cum Beneficiarius Dominus Principis Rugiæ esset, ea occasine urbem Imperio suo subdere studebat. Quod tamen ipsi non successit, ut pote strenuè repulso cum omnibus aliis Principibus, & Regibus, qui ipsi adjumento fuerant. Soluta obsidione omnes arces finitimas, & qualcunque urbi suæ, incommodas fore verebantur, diruerunt, ac solo æquarunt. Imò anno 1382. conjunctis cum Gryphiswaldæ incolis viribus arcem Gutzkoviam everterunt. Post obsidionem Danorum anno 1316. solutam ædificatum est Stralesundæ domicilium Artus hof, alias Arndshof, in quo præcipui cives recreationis causa convenire solent.

De-

Denominatum ab *Arto* Sueciæ Rege, qui circa ann. 630. vivens Wandalis, Borussis, & Sarmatis ab Albi fluvio usque ad Tanaim amnem Asiæ & Europæ terminum imperavit. Anno 1504. iterum obsessa, sed non expugnata est. Ad Wolgastensem rectionem pertinuit, ac ob controversias diversas sæpius cum Ducibus in lites incidit, adeò ut etiam *Philippus Iulius* Pomeraniæ Dux, qui anno 1625. morte abreptus est, magistratum in eo mutare conatus fuerit. Ac quanquam amica transactione anno 1615. & 1622. lis sopita fuerit, novæ tamen subinde repullutârunt, donec *Iohannes Georgius Arnhemius* militię Cæsarianæ præfectus summus urbem obsidio gravi an. 1628. cinxerit, ac 17. Cal. Junii prima oppugnatione nocturna aggressus tàm fortiter repulsus fuerit à civibus, & auxiliaribus copiis à Daniæ, & Suecię Regibus submissis, ut usque ad IX. Kal. Sextilis omnem operam fru-

ſtra inſumens re infectâ diſcedere coactus fuerit. *Vnde Ioh. Iſaac. Pontanus in Chorogr. Daniæ deſcriptione pag.735. Et hodie,* inquit, *Danis quoque debet eadem, quod adverſus Cæſaris, & Hiſpanorum vires non minus feliciter, quam fortiter defenſa, jugum ſervitutis hoc tempore non ſubierit, dum Rex Chriſtianus IV. non modo immiſit commodè commeatum, ac novum præſidiariorum ſupplementum, ſed & ipſe claſſe urbem appellens ſua etiam præſentia militi ac ducibus vires atque animum adidit.* Poſt pacem cum Cæſare initam Dani ceſſerant Urbe, quæ ſe Regis Sueciæ patrocinio & tutelæ commiſit. Rem, ut geſta eſt, *Chemnitius lib.* 1. *vol.* 1. *de Bello Sueco-Germanico* enarrat, ut ſequitur : *Cum autem anno* 1628. *Straleſundæ Vrbs à ſupremo Cæſareæ militiæ Imperatore Fridlandio præſidia, quæ imperabantur, admittere detrectans arctiſſimo premeretur obſidio, ferroque ac flamma extrema quæque perpeteretur, recepit illa quidem ab initio*

initio à Daniæ Rege militem auxiliarium, quem ſpontaneo motu, defendendæ Vrbi hic ſubmiſerat, & neceſſitate exigente plus auxiliorum ab eodem conſequi poterat: Ne tamen cum Cæſaris hoſtibus (quos inter tunc temporis Daniæ Rex) conſpirare argueretur, mox ad Sueciæ Regem confugiens, ut addicti neutri parti Principis, cujus benignitatem antehac luculentis rerum teſtimoniis experta fuerat, tutelæ ac patrocinio, ſequeſtro velut, depoſuit exagitatam infeſtis hoſtium armis libertatem. Nec Rex juſtiſſimis de cauſis, quas ipſimet Straleſundenſes per Legatos ſuos deduxerant, recuſare ullatenus potuit, quin civitati non ipſius modo, ſed & publicæ, communiſque ſecuritatis gratia, miſſionem contemnendo militum ſubſidio, ſubveniret. Salva tamen obedientia, Cæſari & Duci Pomeraniæ, tanquam ſuperioribus debitâ: nec ad Cæſaris aut cujuſquam offenſionem, ſed ſolam civitatis Straleſundenſis, & conſequenter totius maris Baltici defenſionem, commerciorumque libertatem:

Vt

Vt ex fœdere cum Stralesundensibus inito sole meridiano clarius apparet. Inde militum Tribunis, qui Stralesundensibus suppetias missi, in mandatis datum: Ne extra obsidium, & necessariæ, atque legitimæ defensionis cancellos, adversus Cæsaris exercitum quicquam tentarent. Qui & ipsi ab initio Danis, quamdiu in illic loci unà commorati sunt, in expugnatione oppidi Bart, aliisve factionibus, ne quicquam ad capessenda contra Cæsarianos hostilia arma, instigantibus, Regis sui mandatum causati, intrà hos terminos immoti steterunt. Hactenus *Chemnitius.* Post pacem anno 1629. Lubecæ inter Cæsarem ac Daniæ Regem transactam Danica auxilia urbe Stralesunda excesserunt; ac Sueci Stralesundæ à Cæsarianis sine intermissione lacessiti tandem etiam ad arma proruperunt, & illis se opposuerunt: ita ut his præludiis anno 1629. Belli Sueco-Germanici initiũ factum sit. Qui de hac Urbe plura cognoscendi cupidus fuerit, evolvat *Stra-*

Stralesundæ descriptionem ibidem anno 1631. *impressam; Iohannem Angel. à VVerdenhagen de Reb. Hanseat. part.* 3. *cap.* 22. *pag.* 317. *seq. & cap.* 23. *pag.* 330. *& in antegressu part.* 4. *p.* 508. ubi fœderis cum Sueciæ Rege initi capita recensentur. *Danielem Cramerum in Ecclesiast. Pomeraniæ historia: Bonni & Regkmanni Chronica Lubecensia: Iohannem Micrælium in descriptione Pomeraniæ; Valentini ab Eickstadten Chronicon Pomeraniæ manuscriptum: & Theatrum Europæum in anno* 1628. *p.* 1212. *seq.* ubi obsidionis enarratio offenditur.

Richtenberga, Richtenberg. Stralesundâ Meridiem versus descendenti se offerunt duæ paludes, de Panninsche See, & Molensee, piscibus abundantes, quæ in Bartham fluvium propè Stralesundam Orientem aquas suas infundunt. Inde brevem viam pergenti ob viam venit Richtenberga modico spatio à Trebelæ fluminis ortu se mota, & ad ejusdem dex-

dextram ripam sita, quam *Micrælius* oppidulis Pomeraniæ annumerat, & ad monasterium Campe, aut Frantzburgum pertinere, ac quoad jus Ecclesiasticum Synodo Grimmensi subjectam tradit.

Frantzburgum, Frantzburg oppidulum, referente *Micrælio lib. 6. p. 622. seq.* propè sinistrum Trebelæ amnis marginem sub latitud. 54. 24. & longitud. 37. 30. ex ruderibus monasterii Campe anno 1231. conditi, excitatum anno 1586. à Duce Pomeraniæ *Bogislao XIII.* cum arce pulcherrima ab eodem anno 1580. ædificari cœptâ. Monasterii conditores fuisse ait *VVitzlavum*, & *Bernutam* ex Rugia, qui dictum Ordinis Benedictini Monasterium Niencampen Abbatum sedem fundarunt, tempore quinti Episcopi Camminensis *Conradi II.* qui anno 1217. Episcopatui præfectus est. Exiguam admodum gratiam in Cæsareâ aulâ conciliavit sibi Dux *Bogislaus* extructione arcis & oppi-

oppidi, quod à socero suo *Francisco* Brunsvicensi & Lunæburgensi Duce, ejusque filio secundo genito ejusdem nominis, denominavit, eaque de causa condidit, ut ibi textores lanam nerent, & texerent more Hollandorum, qui lanam ex Pomerania avectam, & texendo in pannum mutatam in eandem regionem reportantes sibi multum, incolis verò parum emolumenti afferebant. Hodiè præfectura est Ducalis.


Trebela fluvius supra Richtenbergam exoriens, & inter Richtenbergam & Frantzburgum transiens, quà Tribbensæam undis suis lavat, exiguo spacio abest ab alveo Reckenitzæ amnis, unde aliquot fluviolis secum abreptis descendens suprà Demminum in Peenam amnem ingreditur.

Grimma oppidum Pomeraniæ vetus sub latitud. 54. 18. & longitud. 37. 45. jam Lutitiorum tempore florens

rens anno 1190. mœnibus clausum fertur. Olim sacrarum Virginum habuit Monasterium. Hujus loci Synodus novemdecim Parochias comprehendens Suerinensis Episcopatus jurisdictioni parebat. Nam versus Megapolitanum Ducatum inter Tribbensæam & Gryphiswaldiam fluviolo assidet, qui se cum alio mixtum supra Tribbensæam Trebelæ flumini adjungit. Tres Mercatus celebrat, Dominicâ Misericordiæ unum, festo ascensionis *Mariæ* alterum, & festo *S. Elisabethæ* tertium. Anno 1350. à Duce Megapolitano occupatum, mox à Pomeranis recipiebatur. Civis quidam Megapolitanis arcem aperire tardans igni exustus est: Postea *Nicolaus* Werlæ Princeps occupatione compos ejusdem factus militari vi recuperantibus Pomeraniæ Ducibus eundem anno 1354. reddidit. A Megapoleos Ducibus oppidum hoc sæpius etiam anteà vexatum est, nec minus affli-

ctum, vexationes illas præcedentibus annis, cum Rugię Princeps *Iaromarus*, Danorum auxilio ditiones illas tres, Barthensem, Grimmensem, & Tribbensæensem, quam Rugianis Pomerani eripuerant reciperet. *Micrælius de Pomerania lib.* 2, 3. *&* 6.

Griphisvvaldia, Gripsvvald, Greifsvvald, apici Rugiæ insulæ Orientali objecta civitas sub latitud. 54. 16. & longitud. 30. 0. æstuario accumbit, ex mari Balthico ad urbem transeunti, & fluviolos duos ex terra venientes, & urbem circumfluentes excipienti. Milliari dimidio à mari distans figuram quadratam oblongam conspectui subjicit. Laterum duorum longiorum illud, quod terrę obversum modico arcu se exerit, pratis largis & frequentibus, paludumque uliginosa humo septum est. Quod vero mare inspectat, palude grandi, seu æstuario ex mari ad urbem tranante lotum, portu naves grandiores excipit, non tamen oneratas; quia mer-


GRYPHISWALDIA.
1. S. Nicolai kirch
2. S. Marie kirch
3. S. Iacobs kirch.
4. dat Rath haus
5. Stralsunter thor
6. Fette thor
7. Fleisch hawē thor
8. Mühlen thor.

merces minoribus navigiis in urbem transportandæ, ob aquas minus profundas, & naves oneratas non ferentes. Cætera duo latera planum & æquum territorium antè se habent. Ante urbem ex aliquot fontibus aqua salsa scaturiens olim coctione Sal largiti sunt, Lunæburgensi minime concedens: Obligni defectum tamen his temporibus inutiles, & deserti. Eos olim Rugiæ Princeps *Iaromarus II.* Eldenoviensi Monasterio donavit. Urbs ipsa Sedino & Stralesunda aliquanto minor, munitissima tamen, quam intus mœnia lapidea tuentur cum fossâ; opus antiquum, & antiquo more structum. Fossa exterior lata & prolixa exteriorem marginem præfixis operibus militaribus firmissimis, iisque usitato militiæ hodiernæ modo excitatis defendit: Ita duplex inter antiqua & nova opera intercedit, & nova illa alio fluviolo prætenso ambiuntur, terrestri spatio angustiore interposito. Inter muni-

tissimas ergò civitates jam numerari potest, utpote quam & Naturæ beneficium, & artis ingenium munitissimam reddiderunt. In lateris longioris ferè medio aperit portam Laniorum, Fleishacker Thor: In uno laterum breviorum Molarum Portam. Muhlenthor, & in altero pinguem portam, Fette Thor. Per has tres in circumjacens territorium exeundi potestas datur: Per quartam Steinbecker Thor, in latere mari obverso ad littus maritimum exitus patet. Largis aquis & opere militari duplici, accessus hostilis prohibetur. In reliquo latere hoc antiquo muro se tuente, sunt aliquot portæ, quæ quidem aperiuntur, sed nullis pontibus aquam sternentibus viatores educunt. Nuncupantur autem Buchstrassen Thor, plateæ librorum porta; Knopfstrassen Thor, Plateę globulorum porta; Burckstrassen Thor, plateæ burgi porta; & Kuhstrassen Thor, plateæ Vaccarum porta. Tem-

pla sunt tria ; S.Mariæ,S.Nicolai, & S. Jacobi : Cœnobia duo : Graw Closter, & Schwartz Closter, Monasterium nigrum; Unum Gymnasio , & alterum Academiæ destinatum : ac tandem Curia. Privilegiis & magni momenti immunitatibus gaudens civitas , easdem , in bellis Pomeranorum cum Megapolensibus Rugiæ insulæ causa gestis : insigni suâ in Pomeraniæ Duces fidelitate promeruit. Inter alia autem Pomeraniæ Ducibus,annui tributi nomine, nonnisi Rhenani vini dolium , ut & hydromeli optimi , aut ex cerasis confecti potus solvere soliti sunt. Quinque vel sex milliaribus sejuncta Oehe vel Oie insula , mari circũflua , & è regione apicem Rugiæ insulæ Orientalem intuens , quam *Lubinus & Piscator* Die appellant. Hæc Gryphiswaldenses Dominos agnoscit. Silvam habebat pulcherrimorum equorum altricem, qui sine ullius cura æstivo tempore gramine

pasti vagabantur: hyberno tempore affatim ipsis fœnum suppeditabatur. In sacello quodam ibidem Piscatores, retibus halecum, accipenserum, & aliorum piscium capiendorum gratiâ in mari dispositis, olim missam audire solebant. Quodam tempore hyberno equi plures sacellum ingressi cum lapsu fortuito fores occluderentur, omnes fame perierunt. Herba crescit in hâc insula Rames nuncupata, cujus figura haud multum à porro silvestri abludit. Circà Pentecostes festum flores emittit, tàm gravem odorem spirantes, ut vix tolerari queat. Hinnulorum in insula viventium carnem, ut & butyrum ex vaccarũ ibi gramine pastarũ lacte paratũ eandem herbam redolere ferunt. Cęterum Gryphiswaldiæ, quæ etiã in Hanseatico Fœdere junctarum civitatum numerum relata unà cum Sedino alternatim conventibus Hanseaticis interesse solet, annui mercatus duo sunt solennes, u-

nus Divi *Iacobi*, & alter omnium Sanctorum festo. In ejus honorem *Seccervitius* ita cecinit.

Latis Gryphsvvaldia campis,
Prata per & virides rivis tendentis agros
Hic populum cernes studiis frugalibus auctum,
Patriciaq; viros celebres à nomine stirpis.
Qui procul Hesperios pelago scrutatur Iberos,
Et salis & piperis gratissima dona reportat
Tum latè pagis vicina per arva Senatus
Imperat, ut multo cives Respublica censu
Condat opes patrias, serosque reponat in usus.

De nomine, & origine nil certi in medium afferri potest. Proculdubio longè extitit, antequam trigesimo tertio sæculi duodecimi anno sub Eldenovia Monasterio mœnibus sepiretur. Belgarum negotiatio ibidem frequens effecit, ut brevi tempore magnis incrementis surgens Monachorum in Eldenovia cœnobio viribus superior evaderet. Ea de causa

Dux *VVartislaus III.* & post hujus obitum, *Barnimus* Dux cum Abbate Eldenoviensi transegerunt, ut civitatem ipsis traderet tanquam feudum coram summo altari accipiendum, ac quisque civium juris in civitatem ad Cœnobium pertinentis testandi causa singulis annis argenteum nummum solveret, quod aliquot annis factum, & monachos ipsos postea maledictorum pertæsos nummorum istorum collectionem sponte omisisse, ac principes occasione hac oblatâ totius urbis absolutos possessores evasisse ferunt. Anno 1456. Pomeraniæ Dux *VVartislaus IX.* in urbe Gryphiswaldia Academiam instituit, quam Papa *Calixtus IV.* ac Cæsar *Fridericus* confirmarunt, Cancellario & Conservatore ejus creato *Henrico Iven* Camminensi Episcopo vigesimo, civis filio, & Stolpâ ulterioris Pomeraniæ oriundo: qui primus hoc munere functus successoribus ejusdem curam reliquit.

quit. Introducta autem, & initiata xvi. Kal. Novembris ejusdem anni ab eodem Episcopo, eique primus Rector præfectus *D. Henricus Rubenovven* Consul Gryphiswaldensis, qui antea Daniæ Regis *Erici* Cancellarius fuerat, & ad promovendum hoc opus multum adjumenti contulerat. Sed nova hæc Universitas vix ex incunabilis prodiens in multas difficultates conjecta est. Dux *Ericus II.* dictæ Academię conditoris filius venatione se delectaverat in vicinia pagi Horst, dicto *Doctori Rubenovven*, & nonnullis aliis Gryphiswaldiæ civibus oppignerati, ubi eadem occasione à rusticis pagi incolis debita jura exigebat. Eâ de causa Doctoris illius instinctu aliquot Principis ministri detenti, ipsique Principi fidelitatis juramenti præstatio negata. Professorum nonnulli, adjungentes se *Theodorico à Doerpten* alteri Consuli, rem eò deduxerunt, ut *Doctor Rubenovven* urbe excedens

Sundam ſe conferret; unde poſt trimeſtris ſpatii moram in urbem rediens, gravitate & eloquentiâ ſuâ omnem a ſe culpam ita removit, ut vulgus *Theodoricum à Doerpten* facti iſtius reum faceret, & capite plectendum curaret. Quatuor annis poſt prid. Cal. Januar. anno 1463. ſive ultimo Decembris anno 1462. (*Daniel Cramerus* annum 1463. alii 1462. numerant) *Doctor Rubenovven* in Curiâ, præſente altero Conſule *Theodorico Langio* (cujus inſtinctu facinus ſuſceptum credebatur) interremptus eſt à *Nicolao Huerman* textoriam artem exercente, & alio quodam *Damerovv* cognominato, qui mox ex urbe evaſerunt. In cæſi Conſulis locum ſuffectus eſt unus ex adverſariis ejus *Nicolaus van Oſten*. Rebus ad ſeditionem horrendam ſpectantibus, à Duce *Erico* in urbem veniente controverſia ſopita eſt. Percuſſoribus in urbem redeundi poteſtate facta ab utroque Conſule *Langio*, & altero

ab

ab *Osten*, contumelia hæc occisi propinquos ac cumprimis affinem *Henningium Henningii*, cui soror ejus nupta erat, adeò exacerbavit, ut magno assectarum cœtu dictorum Consulum ædes invaderent, & non solum eos occiderent, sed etiam in judicium deportatos, ut facinorosos & condemnandos, & rotæ imponendos curarunt. Electione verò publica in *Nicolai ab Osten* locum successit *Henningius Henningii*. Quamvis autem enorme facinus ejusmodi pœnâ debitâ mulctandum fuisset, Princeps tamen Clerici ac aliarum Urbium intercessione motus severitatem omisit, præcipuè quia etiam tanti tumultus capita præcipua tempestati ingruenti se jam anteà subduxerant. Cum superioribus his annis Universitati Gryphiswaldensi reditibus suis carendum erat, & proinde, quæ ipsi debebantur, haud exiguam pecuniæ summam implebant, imò, illis ritè solutis, Professoribus nihilo-

minus ſuſtentatio neceſſaria contingere non poterat, eo quod difficillimis illis temporibus annonę, aliarumque rerum charitas quotidie augeretur, ac præterea nec Univerſitatis ædificia, nec Oeconomia in ſtatu ſuo conſervabatur, Pomeraniæ Dux *Bogiſlaus XIV.* anno 1633. Univerſitati dictum Monaſterium Eldenoviam cum omnibus prædiis, pagis, agris, pratis, paſcuis, molis, piſcinis, ſilvis, aliiſque ad illud pertinentibus, paucis exceptis, donavit. *Lib. 6. Pomeran. pag.* 573. *ſcribit Micrælius*. *S. Gertrudis* ſacellum, ad quod olim frequenter peregrinationes Religioſæ inſtitutæ fuerant, hodie vallorum ibi conſtructorum terra opertum eſſe. Curatorem autem fuiſſe ibi pecuniæ à peregrinantibus ſacrificii loco oblatæ imagini, quæ *S. Mariam* repræſentabat. Ità autem egiſſe ſemper cum beneficâ Diva, ut partis haud modicæ particeps fieret. Hunc è ſepulchro ablatum eſſe à Diabolo ibi gra-

gramen adurente, & terræ vestigia profunda imprimente, quæ nunquam gramine obducta in eodem semper statu immutabilia permansisse feruntur, usque ad temps, illud, quo sacellum & cœmiterium, uti dictum est, terra repletum fuit. Frequentes autem ea de re inter cives Urbis sermones semper fuisse, ac Chronicon quoddam Manuscriptum antiquum illud testari. Diabolum etiam molæ cujusdam alis impositum venti agitatione cadaver circumegisse atque cum ipso evanuisse. Quidam literis anno 1639. Nonis Septembris datis significavit. Molam eo tempore adhuc ibi fuisse, & semper contrario, quam cæteræ circumvicinę molæ, motu se circumgyrasse. Sed unicuique hac in re fides & judicium suum libera sunto. Videantur *Michael Heberer in Servitute Ægyptiaca*, & *Micrælius dicto loco.* Cum Anno 1629. Pomeraniam in hospitia militaria dividerent Cæsariani,

riani, cives in hâc urbe armis exuerunt, ac coëgerunt, ut commodissima munitionibus loca & ipsi fodiendo & terram convehendo ac construendo firmarent, & rusticos sibi subjectos laboris socios adjungerent, multis porro cruciatibus, & divexationibus miseros afflixerũt. Circa finem mensis Augusti anno 1630. *Kniphusius* apud Sueciæ Regem militiæ præfectus clandestino consilio Gryphiswaldiam tum temporis à Duce *Savellio* detensam intercipere studuit; sed consilia, ut ut prudenter inita, successu tamen caruerunt. An. 1631. mense Febr. *Bannerius* literis *Perusium* Gryphiswaldię Cæsarianis imperantem monuit, ut urbe Sueciæ Regis potestati submissâ cederet. Sed *Franciscus Ludovicus Perusius* responsione data deditionem abnuit, urbi firmissimis operibus muniendæ summo studio incubuit. *Cum verò (Chemnitius lib. 3. volum. 1. de bello Sueco-Germanico p. 99.) pecunia numerata*

rata in auro, argentove ſignato ad uſum minimè ſuppeteret, defectum hunc ingenioſè ſuppletum ibat, ſtanneam monetam cudi faciens, impreſſo lemmate. NECESSITAS GRYPHISWALDENSIS. *Satis quoque penuriæ per ſalariæ aquæ ſcaturiginem, quæ vetuſtate adobruta, & diu neglecta jacuerat, iterum apertam, curioſâ ejus induſtriâ remedium quæſitum. Vt non milites modo, ſed & cives condimenti hujus affatim habuerint. Tandem penum, & quicquid commeatus, pecorisve in Vrbe ſupererat, ſobriè, contenteque diſpenſando, & ſuperfluam ac inutilem turbam emittendo, ad diuturnum obſidium ſingulari diligentia ſe præparavit. Id his mediis conſequutus; Vt Gryphisvvaldiæ inter omnia Pomeraniæ loca, adverſus Regem pro Cæſare ultimũ defenſæ, ac conſervatæ lauream referret.*
Gryphiswaldiæ deditionem eodem Anno dicto ſequutam idem autor *Chemnitius eodem libro p.* 143. ſequentibus verbis enarrat. *Tertio Iduum Iulii, inter ſextam & ſeptimam matutinam,*

nam, equites nonnulli ex iis, quos Achatius Tottius militiæ Suecicæ Præfectus exploratum præmiserat, ad Stenbeckensem portam palantes, ad arma obsessos concivêre. Signo mox in Vrbe, ut equos quisque ascenderet, tubâ dato, turmæ nonnullæ portis se effundunt. Quas Perusius ipsemet, cum excubiarum sub Præfecto, & Crucifero, nescio quo, sequitur. Vix exierant cum tres Regii Equitatus globos in conspectum venisse, præcursores Perusio denunciarent, admonentes, caveret sibi, nec hostibus, ut videbatur, numero prævalentibus, nimis longe à munitionum suarum tutelâ recederet. Ipse verò, fatis hominem alioqui satis providum urgentibus, parvi id pendens, cum Crucifero nihilo secius, quà cœperat, ire pergit: Donec spatium non modicum emensus, ab Vrbe penè abriperetur. Hîc vero alii nonnulli Regii, ex insidiis surgentes, reditum ad Vrbem intercludere. Quo viso à Croatis, qui comitabātur, trepidari, eorumque pars in fugam effusi fluentum ad Rosendalam nando tramittere,

pars

pars à Regiis deprehendi ac cædi. Perusium quoque cum Crucifero socio Regius eques insequi, & equorum pernicitate assequi. Quorum hic globo trajectus illicò humum mordere; Perusium verò arte magicâ ut ferunt, duratum prior ictus non penetrare: Alter tamen medicatus forsan, & suppari artificio instructus, adeò efficacem se præbere, ut de tertio cura supervacua fuerit. Post horam circiter, quam hoc patratum, Tottius cum exercitu sequutus, tormentis dispositis, in Vrbem misit, qui deditioni sterneret viam. Præsidiariis autem, utut Præfectus jam occubuisset, honorem suum, & locum concreditum sibi tueri se paratos, renuntiantibus, humi egerendæ & accessuum Vrbi admovendorum factum initium, tormentisque Vrbs salutata. Idibus Iunii Cæsariani eruptionem fecêre numerosa militum manu, ortoque inter hos & Regios acri certamine non pauci utrinque desiderati. Et sanè regio pediti, cui hac in statione numero præstabat hostis, male res cessisset, nî equitatus in subsidium

sidiū suis accurrens ferocientis repressisset impetum. Fuit autem hic validus quidem, sed postremus velut moribundorum conatus: Nam postridiè secunda vice misso, qui, quid animi ipsis foret, percontaretur, ad deditionem se obtulêre: De qua illicò solitis conditionibus transactum. Ità Cæsariani, pedites, equites, interque hos, de quibus nominatim cautum, Croatæ XVI.*Cal. Iulii, intrà quartam & quintam matutinam, impedimentis armisque salvis, signis explicatis, accensis fomitibus, pilis in os inditis, tubis clangentibus, & perstrepentibus tympanis, ductu Henrici Drachstedii Centurionis Vrbe exeuntes, à Regiis Loitzium deducti: Vnde Rostochium porrò, secundum pactorum tenorem ire debuerant. Mutato autem itinere Havelbergam versus pergentibus, Hallius Tribunus in Prignicensi Marchiæ tractu superveniens, equitatum quidem nonnullis captis, aliis trucidatis dispersit: peditatum, ad mille quingentos, arma deponere jussit: Quorum plærique postmodum*

haud

haud cunctanter in regia stipendia transiêre. Drachstedius Centurio, qui, post Perusium neci datum, Gryphisvvaldiæ pauculis diebus præfuerat, & harum cohortium velut caput erat, ipsemet interemptus concidit. Quanquam autem cum Cæsarianis, utpotè pactionis leges transilientibus, adeò perperàm actum, dici nequeat, Rex nihilominus, quod negotium hoc periculosæ videretur consequentiæ, & metus esset, ne apud circumstantiarum rudes maculam aliquam nomini suo inureret, vehementer indignatus Tottio mandata dedit: De Schmidio, equitum Magistro, cum ala sua Cæsarianos in tutum deducere jusso, & ipsomet violentiæ iis illatæ incusato, nec non reliquis inferioribus, huic alæ præfectis Ducibus, in vincula conjiciendis, & ità vivis, aut, si fieri non posset, mortuis in regia Castra transmittendis. Qui etiam, nisi instans infortunium odorati latibulum quæsissent, si quid hic fortè suberat culpæ, capite proculdubio luituri erant: Cæsariani verò Ductores, & qui sponte

suâ

sua regiis signis nondum successerat, residuus miles, liberi, absque ullo lytro dimissi, præstitâ tamen prius scripto cautione: Coràm Rege, ut competente Iudice, peracturos reos, à quibus se injuriâ læsos ostenderent: interim omni ambiguo sermone, qui in regii Exercitus ignominiam, quoquo modo detorqueri posset, temperaturos. Rex expeditionem hanc non adeò confectu facilem existimans, ipsemet obsidio interesse, & militum alacritati præsentia sua calcar addere constituerat, jamque in itinere erat, cum de deditione nuntius inter viam occurrit. Quo tamen non obstante, cum loci perlustrandi, tum rerum ibidem in ordinem redigendarum, porrò ire perrexit; Gryphisvvaldiamque in eo statu, & tot concinnis ac reciproca tutela se respicientibus munimentis circundatum reperit, ut Perusio laudem tribuerit eximiam: Præ omnibus aliis Cæsareis Præfectis, quod sui muneris fuerat, hac in parte fecisse: Nec in universa Pomerania, quaqua Cæsariani Re-

gnum

Regnum obtinuerant, ullas aut melius exstructas, aut aptius cohærentes occurrisse munitiones. Annotini quoque frumenti tanta copia inventa, ut præsidio sustentando ad quatuor adhuc menses sufficere potuerit. Nec belli necessaria defuerant; repertis inter alia ducentis pulveris nitrati vasculis. Ut ita, nisi Perusius singulari Dei providentia è medio fuisset sublatus, obsidium hoc magno adhuc temporis, militum, ac æris impendio dubio procul stetisset.

De *Gryphisvvaldia* plura occurrent apud *Micralium, Danielem Cramerum & Iohannem Angelium à VVerdenhagen de Rebusp. Hanseaticis.*

Eldenavia, Eldenau Gryphiswaldiæ versus Orientem proximum Monasterium opulentia insigni nobilitatum, cujus conditores *Casimirus II. Bogislaus II. & Iaromarus* Pomeraniæ Duces. Ortum cœpit an. 1207. ac brevissimo temporis spatio tantis divitiis locupletatum est, ut ejus Abbas anno 1233. Gryphiswaldiæ fundamenta

menta locaverit, & per Saxones eam extruxerit. De hoc Monasterio in præcedenti descriptione Urbis Gryphiswaldiæ mentio quoque facta est.

Rentzinum Rentzin oppidulum accumbens principio fluvioli, qui inde decurrens propter Gutzkoviam Peenæ seu Panis fluenti undis immergitur.

Gutzkovia, Gutzkovv ad Peenam flumen Loitzio & Anclamio interpositum caput est Comitatus, cui nomen fecit. Huic comitatui Gutzkoviensi olim Gryphiswaldia, Loitzium, & Abbatia Eldenovia subjiciebantur. Quo tempore *Otto* Episcopus Bambergensis, Pomeranorum Apostolus vixit, civitas hæc fidem Christianam amplexa est, postquam *Mitzlavus* ejusdem Comes Usedomii in comitiis publicis sacro Baptismo Ecclesiæ Christianę insertus fuerat. Antiquorū temporibus insignis nominis civitas, post arcem ejus à Stra-

Stralesundensibus & Gryphiswaldensibus anno octogesimo sexto sæculi decimi tertii eversam splendore suo excidit, à nonnullis hodie vicus, ab aliis adhuc oppidum appellatum. *Otto* Episcopus ipse hîc moratus docendo, & baptizando populo operam strenuam navavit, templum Idololatrarum dejecit, propriis sumptibus novum excitavit, & à Comite *Mutzlavo* ad ejus initiationem invitato impetravit, ut omnes Christianos, & Ethnicos proximoq; bello Danico captos pristinę libertati restituerit. Propriam olim præposituram ac Synodum habuit aliquot parochias comprehendẽtem. Ob certas tamen causas postea cum aliquot parochiis Griphiswaldiam translata; Cæteræ autem Wolgastanæ Synodo adjectæ. Cæsare *Frider. I.* Imp. clavum tenente Gutzkoviam Dani ceperunt, & spoliarunt. Ultimus Comes Gutzkoviensis an. 1375. fato functus, & liberis orbus feudum hoc reliquit Ducibus

Pome-

Pomeraniæ Beneficiariis Dominis, qui approbante *Carolo* Imperatore illud inter se partiti sunt.

Loitzium Loitz ad Peenam seu Panim fluviũ Demmino propior, Gutzkovia remotior civitas sub latit. 54. 9. & longit. 38. o. Scriptorum est Lutitia, vel Leutitia; nomen mutuatum à populo antiquo, & celebri Loytziis vel Lutitiis, fortes ac viriles denotat. Locum hunc Pomerani eripuerunt primum Comitibus Gutzkoviensibus, ac postea vigesimo septimo decimi tertii sæculi an. Megapolensibus. Synodus ejus decem parochiis constat. Mercatus ipsi sunt quatuor: unus die Lunæ Bacchanalia antecedente; alter die Lunæ ante Pentecostes festum; tertius quatuordecim diebus post *S. Iohannis*, & quartus totidem diebus post *S. Michaelis* festũ. *Seccervitius* eam appellat *Opulentam proventu Cereris, nemorumque & divitis undæ. Sophia Hedvviga* Ducissa Brunsvicensis & Lunæburgensis Pomera-

meraniæ Ducis *Ernesti Ludovici* vidua, & Ducis *Philippi Iulii* mater templi in civitate turrim ann. 1621. haud integranti structura ad fastigium excitandam curavit. Multis bellis afflicta, & à Rugianis aliquandiu possessa haud exiguis ipsorum vexationibus exposita fuit. De spectro quodam veteribus Chimmecke appellato frequens inter vulgus Pomeranum fabula, quod in arce culinæ inservientem puerum in minuta frustra concisum ollæ terreæ inseruerit. *Micrælius lib. 3. p. 405.* Anno 1631. Febr. mense Loitzensis arx occupata est à Rege Suecię, cum paulò ante III. nimirum Cal. Feb. modo dicta Princeps septuagenariæ vitæ curriculum absolvisset, multum quæsta de Ducis *Savelli* & *Petri de Peralta* tyrannide, quâ & ipsa & subditi excruciati sunt. Occupationem *l. 3. vol. 1. p. 97. de bello Sueco-Germanico Chemn.* commemorat, ut sequitur. *Inde Loitzensis arx (nam oppidum nullius momenti) vi omni illuc*

versa per tubicinem, antequam exercitus appropinquaret, præmissum Regis imperium suscipere jussa. Cujus Præfectus cohortis peditum Ductor Petrus de Peralta, natione Hispanus, heroicum quiddam ab initio spirans, respondit: Non futurum ejusmodi hominem nihili, quales qui Treptoæ curarant, fuerint, sed ut egregium, ac militarem, Dominoque suo Imperat. Romano fidum hominem decet, dum suppeteret vita, dum spiritus duro militiæ operi devotos artus regeret, defensioni suæ institurum. Simul arma induisse, & nobili, quod in arce erat, Gynecæo ita armatus ac totus ferreus se ostentasse scribitur. Vbi verò Regem cum exercitu, & tormentis propius successisse vidit, blandis ejusdem Gynecæi exorabulis animum ad mitiora flecti facile passus est: Adeò quidem ut ad Regis postulatum promptè, sine ulla tergiversatione, nondum pactus deditionem, sed pacturus loco custodiæ suæ demandato exiret. Quando sanè Regi in proclivi fuit, quas vellet, homini præscribere deditionis leges. Refertur autem, dum

e

eundem insigni aureo torque redimitus accedit, quidā non obscuri nominis Dux, qui regia Castra honorarius miles nulli certo muneri innexus sequebatur, Regi supplicasse de torque ipsi detrahendo, idque per Regis conniventiam factum: Hispano hoc thrasone velut attonito, nec ullatenus repugnante, aut Regis fidem implorante. An. 1637. Cæsariani Loitzium in potestatem suam redegerunt, eodem anno sequente 38. spoliati à Suecis, qui iterata obsidione cinctū ipsis de manibus extorserunt.

Tribbesæa, Tribbesees oppidum, & transitus, validissimus ex Pomerania in Megapolitanum Ducatum inter Rostochium & Gryphiswaldiam in Trebelæ fluvii margine sedens. Ereptum Rugianis à *Rattiboro* Pomeraniæ principe, cujus obitus ad annum 1151. refertur. Hic ad fidei Christianæ cognitionem ab Idololatria sua incolas traduxit. Receptum autem à *Iaromaro* Principe Rugîæ, cui auxilium à Danis latum est. Anno 1325.

cum *VVitzlaus* Rugiæ Princeps ultimus liberis masculis carens extinctus esset, tota regio, & una oppidum hoc ad Pomeraniæ Principes devolutum est. Hoc privarunt eos *Henricus Leo* Megapoleos Dux, & *Hermannus* ac *Henricus* Werlæ Principes, qui posteriores, si non totum Rugiæ principatũ, at partem ejus saltem sibi vendicabant. Postliminio tamen ad Pomeraniæ Duces rediit, & post multas decertationes ipsorum possessioni adhæsit. An. 1631. Sueci ejus expugnati possessores vi evaserunt. Mense Novembri an. 1637. Cæsariani ejus strategemate potiti sunt. Rusticus, qui ad valli construendi labores conductus erat, cum Cæsarianis colludens, militem excubias agentem occidit & Cæsarianos admisit. Sueci tamen anno sequenti idem recuperarunt. Vetus est oppidum cum arce Ducali, & Præfecturâ.

Neringa, *Neringen* oppidulum inter Tribbensæam & Demminum, à quo

à quo fluviolus in Peenam delabitur.

Demminum, *Demmin*, *Damyn*, *Dammin* civitas inter Loitzium & Dargunum, quà Trebela & Tollensæa fluvii aquas suas in Peenam, seu Panim amnem compellunt: sub latitud. 54. 3. & longitud. 37. 0. sita, tractum possidet admodum amœnum, qui agris frumenti feracibus, pratis gramen & fœnum largientibus, ac silvis lignorum copiam, ferarumque generis varii, cervorum, caprearum, aprorum, vulpium, leporum &c. multitudinem suppeditantibus abundat. Silvarum nomina sunt: Der Demminsche waldt, der Pensinsche Renner, & Wendenbrock, in quibus unicuique civium majorum juxta ac minorum ferarum venatio singularis privilegii jure permissa est. Quâ de causâ multi nobiles jus civitatis nanciscendi gratiâ in eam commigrarunt. Tres piscosi amnes Peena, Trebela &

la & Tollensæa hîc multis fluentis aquas suas convehentes piscium frequentia incolis abundè satisfaciunt. Nec res pecuaria ipsos deficit, cum pratorum & pascuorum circumjacentium magnus sit numerus. Fluviorum etiam beneficio cuncta tàm ex mari quàm terrâ advehi solent, adeò ut copiosam, & omnium rerum plenam civitatem jure quis appellaverit. Satis spatiosa, & semper multorum nobilium habitatione frequentata duobus mercatibus publicis, uno die Solis Invocavit, & altero die Solis post *Bartholomæi* festum celebrato quotannis negotiationem colit. De eo *Seccervitius*:

Iamq; videre licet, positis hic sedibus uti
Et genio, cultuque loci gaudere decoros
Nobilitate viros, & avito stemmate claros.
Non absunt dulces Musæ, non aurea Christi
Relligio, &c.

Civitas est antiqua, cujus etiam in a-

annalibus rerum gestarum *Caroli Magni* circà Christi annum 800. imperantis, & *Ludovici* Imperatoris, filii ejus fit mentio: quo tempore liminitanea fuit civitas fines contra Winetas, Obotritas nimirum, Kissinos, & Circipanos tutans. *Imperator Otto I.* cognomento Magnus, qui anno 936. Imperio præfuit, usque ad civitatem Demminum Religionis Christianæ exercitium propagavit, adeò ut hæc civitas illo tempore inter Wendarum civitates splendore & dignitate eminuerit. Anno 1128. *Otto* Bambergensis Episcopus Demminum adventans hominibus ab Idololatria sua ad Christum convertendis omne studium, & laborem impendit. Anno 1146. *Henrici Leonis* Brunsvicensis Ducis nomine Comes Holsatiæ & Schaumburgi *Adolphus IV.* cum tribus aliis Comitibus urbem Demminum circumsedit, & à *Casimiro* ac *Bogislao* Pomeraniæ Principibus, & *Pribislao* Obotrita-
 rum,

rum, ac Wendarum Principe ex urbe, in qua erant, erumpentibus, fusus & in fugam conjectus est. *Adolphus* ipse, & *Reinholdus* Dithmarsiæ Comes in prælio vulnerati, mortem oppetierunt. *Christianus* Oldenburgi, & *Guntzelius* Suerini Comes, prœlio ineunte cum trecentis equitibus montem quendam petiêre, & fugientibus ex acie collectis, cum Wendæ castris compilandis occupati essent, eos inopinato impetu obruerunt, ut tria circiter millia, & quingenti occisi fuerint. Cæteri Wendæ in urbem reversi, cum *Henricum* Ducem, *Adolphi* & suorum jacturam ægerrimè ferentem toto suo exercitu ingruere intellexissent, ac se tantis viribus sustinendis impares novissent, urbi cum arce tum temporis firmissima ignem subjecerunt, eaque relicta in proximis campis, & locis uliginosis se occuluerunt. Præsidio Dux tàm diu munivit, donec vulneratis pristina sanitas restituta, & re-

& reliquiæ urbis dirutę, ac vallum solo æquatum esset. *Pribislaus* Princeps ab *Henrico* Duce bonis paternis pulsus, Pomeraniæ Ducum adjumento ex ea redintegrari cœpta sæpius vicinorum Comitum Ratzeburgi, & Suerini fines invasit, & incolas cum pecudibus & pecoribus abduxit. Prohibitus tamen à Pomeraraniæ Ducibus, qui ejus causa majus apud vicinos odium subire nolebant. Paulò post obsidium iteratum ab *Henrico* Duce, cujus milites, illud difficile & diuturnum fore videntes, prædando & depopulando circumjacentes terras vastarunt. Dux spem nullo pacto abjiciens aquam, urbem oppugnaturo sibi, obstantem per aliam viam derivare conabatur: labore tamen omnium in irritum cadente, & efficiente, ut urbs, quam hoc conatu debiliorem reddere moliebatur, firmior evaderet, & Duci ab oppugnatione desistendum esset. Interim alio ca-

su adverso prostrata civitas, quam negligentiâ incensam ignis ferè totam in cineres & favillas redegit. Nihil tamen malum hoc adjumenti contulit ad conatum *Henrici* Ducis, qui à bello cum Wendis ab instante cum *Vlrico* Episcopo Halberstadiensi bello avocatus re infecta Urbis obsidionem solvit. Ann. 1183. *Canutum* Daniæ Regem cum *Absolone* Episcopo ex Daniâ, tum temporis præfecti militaris munere functo, urbem aggressum spes quoque frustrata est. Adeò securi erant cives, ut quotidianis conviviis, commessationibus, & choreis indulgentes, ac si in media pace versarentur; hostes susque deque haberent. Audaciam tantam miratus Rex, postquam civitatem accuratè contemplatus, se ab omnibus rebus ad obsidendam Urbem necessariis imparatum videret, obsessione solutâ discessit. Elapso tamen parvo tempore spatio Danorum jugo & potestati se submittere

coacta est. Cum verò cives Danis fortunam obvertiſse tergum auditione percepiſsent; (Lubeca enim, & tota Nord-Altingia jugum eorum excuſſerat) ipſi quoq; de libertate ſua cogitationem ſuſcipere, & meditari, quo pacto Danos urbe ejicerent, Wendarum vicinorum, & popularium ſuorum auxilio adjuti præſidium Danicum obrutum maximam partem trucidarunt; reliquias urbe exegerunt, totamque vicinam regionem Rugiam uſque Danico metu librarunt. Quamdiu enim Dani Demminum tenuerunt, toti circumjacenti terræ terrori & oneri fuêre. Factum hoc anno 1226. à quo tempore cives ob Wendarum nomen inter Saxones admodum contemptum Saxonum linguæ & moribus adſueſcere didicerunt. Eo tempore Urbs Dimin appellari ſolita, ut apparet ex donatione quadam *VVartiſlai* Ducis facta in præſentia *Roberti* Præpoſiti in Dimin, & *Henrici* ejuſdem

 loci

loci Plebani, & *Mitoslavi* Castellani anno 1228. *VVartislavus* Dux in Dimin Anno 1242. Treptoviam municipium Abbati Belbuckensi dono dedit. Habuit ille sedem suam ante urbem Demminum in arce celebri ob turrim grandem & firmam, quam Dux *Bogislavus X. Petro Podevvilsio*, ejusque posteris ob insignia in navali cum Turcis pugnâ Anno 1496. edita donavit, Sueci autem certis de causis pulvere pyrio anno 1648. disjecerunt. Anno 1266. Slavorum Dux *VVartislaus I.* Demmino magni momenti privilegia à Principibus præcedentibus ob singularem incolarum fidelitatem & constantiam collata confirmavit. Ex iis unum navigationem in omnibus fluviis liberam usque in mare salsum civibus permittebat, & omnino prohibebat, ne Peena fluvius ullâ Demminensibus incommoditatem aut damnum inferente structurâ oneraretur. Anno 1325. Ultimus

mus Rugię Princeps *VVitzlaus* sine liberis expiravit, ac jure transactionis ab ipsis Rugiæ Ordinibus comprobatæ istius Principatus possessionem *Vratislao IV.* sororis suæ filio hæreditariam reliquit.

Hic sequente mox Anno morte sublatus tres superstites habuit filios adhuc parvulos, *Bogislaum*, *Barnimum*, & *Vratislaum posthumum.* Horum tutelam & patrocinium unanimi consensu susceperunt Stralesunda, Gryphiswaldia, & Demminum civitates, quæ ea de causa cum Megapoleos Duce *Henrico* & *Dominis de VVerle* gravia bella gesserunt, atque ipsis Loitzium, Grimmam, & Barth seu Bardum oppida ad Rugiæ Principatum pertinentia eripuerunt. Mense Julio anni 1327. Demminum eadem de causa obsessum animosa defensione hostium conatus elusit, & spe abjecta discedentes remisit. Ann. 1407. plusquam dimidiæ Urbis pars in rudera

dera & cineres conversa ab incendio excitato occasione execrationis fœminæ cujusdam impiæ, quæ ancillæ prius missam frequentaturæ, ac postea focum structuræ mandavit, ut mox in nomine omnium diabolorum ignem accenderet, qui accensus subitò tàm vehementer exarsit, ut extingui non potuerit, antequam plusquam dimidia Urbis pars exusta esset.

Magnæ lites quoque ac controversiæ difficiles Demminensibus intercesserunt cum *Bernhardo Moltzanio* magni nominis & insignis potentiæ viro Nobili, cujus arcem Woldam Dux Pomeraniæ *Bogislaus X.* anno 1491. diruit, & vexationibus Demminenses liberavit. Ab illo tempore in tranquillo & quieto statu versantes floruerunt usque ad an. 1627. tempus autumnale, quo Cæsariani amicitiæ prætextu miseror præsidiis oneratos non modo divexârunt, sed etiam exhauserunt. Anno 1631. men-

mense Februario *Gustavus Adolphus Magnus* Sueciæ Rex Cæsarianos ex hoc validissimo loco expulit.

Obsidionem & deditionem ex *Chemn. l. 3. volum. 1. p. 97. & 98.* subjiciemus, adjuncta dierum consignatione, quam non habet. *Loitzio dedito, generalis Vigiliarum Præfectus Cniphusius cum copiis nonnullis, quas è Stralesundæ & aliis citerioris Pomeraniæ præsidiis, contraxerat, Regi se junxit: Nullaque interposita mora, Demminum statim totis viribus properatum. Demmini Vrbs ad Panim, ubi duo minora flumina, Tollensæam, Trebelamque recipit, ac absorbet, sita, à Cæsarianis ob transitus opportunitatem non mediocri curâ munita erat. Arx etiam, quæ separatim ab Vrbe in mediis palustribus fundata, angusto aggere, diversis fluentis interrupto, aditur, per æstatem idcirco accessu haud adeo facilis, suis munitionibus circundata, crassaque antiqui operis turris arci adjacens, castello*

ter-

terreo seu Reductu peculiariter inclusa reperiebatur. Curabat autem hoc loco ipsemet Savellius Dux : Duabus peditum legionibus, propria & Holckiana suffultus. De quo Savellio inter alias acerbas actiones, quibus Demminum ac circumjectam oram pressit, memoratur : Vbi incolarum habentiam cum pulvisculo jam everterat, denique rusticos equos, qui, ut colendi ruris instrumenta, novissimè supererant, militari subjecisse executioni. Cum nec redimi à Dominis ob pauperiem possent, nec invenirent, qui vel minimo liceretur, emptorem, carnifici, contractu cum eo inito, addixiße, & exiguum pro pelle detrahendâ recipisse prætium. Vix dum Rex Demminum(III.Id.Februarii) *appulerat, cum, inumbrante vespera, parte, quâ Panis Vrbem præterlapsus defluit, tumuli à terrâ congesti, & collocata ad verberationem instituendam tormenta : Accessus quoque tanta sedulitate promoti, ut eadem adhuc nocte obsessorum munitiones subierint*

rint. Posterâ sed dubiâ adhuc luce (prid. Id. Febr.) *Teuffelius Tribunus semilunulam quandam subitaneo impetu aggressus levi negotio occupavit, in eâ indulatus, gnaviterque se muniens, re gesta Vrbem versus humo. Et quanquam obsessi, ad Regios vi inde iterum dejiciendos, Vrbe erumperent, frustraneus tamen hic conatus, & infelix fuit: Quippe cum non sine clade repulsi, Regiis insequentibus, traversarium insuper aggerem, defensioni suæ per commodum, quem raptim extulerant, deserere cogerentur. Ab altero latere ad arcem impetum præcipuè vertere, Cniphusio mandatum fuerat: Cujus conatui frigus nondum omninò resolutum impense favebat, dum paludes adhuc dum congelatas, non attentis pontibus, quos Cæsariani interscinderant, pedibus transire liceret. Mox reparatis quoque istis, traducta tormenta nonnulla, & in arcem directa. Obscuro autem erepta lucis, post paucos tormentorum ictus subcenturio cum*

quaternis sclopetariorum contuberniis rei periculum, & aggressionem facere jussus.

Quos irruentes Cæsariani vix conspexerant, cum omnis propugnationis obliti, arcem, igne supposito, pro derelicto habuêre. Intra vetustam, quam diximus, turrim & circumjectum castellum maturé receptum quærentes: Sed & castello, ut exiguâ, in quadrum exstructa, nec ullis eminentibus, & latus subeuntis hostis ferientibus pugnaculis prædita munitione, facile pulsi intrà angustæ turris terminos coërcebantur. Vbi, ut ipsi ab impressione Regiorum, ita Regii, qui sub murum proximè successerant, ab ipsorum injuriâ non minus tuti: Nisi quod lapidum jactu impeterentur. Quia verò turrim aperire tormentis, ob crassitiem tenacitatemque veteris structuræ, operosum nimis, nec condignum pretium videbatur: Ideò Rex compendiosiori via rem aggreßus, sub ipsa fundamenta cuniculum egit: Obsessos si defensionem obstinarent, pulvere subjecto unà cum

turri

turri in altum evibraturus. Id quod simul ut his innotuit, Regis arbitrio se permiserunt: Septem Holckianæ legionis signis traditis. Quæ mox, ut victoriæ indicia ante Vrbem in tormentorum suggestu, tympaniæ rei murmure, ac tubarum clangore comitante, statuta, & frequentibus tormentorum tonitrubus in lætitiæ signum detonatum. Eoque viso etiam qui in urbe præsidium agitabant, animos remittentes, de deditione agere cœperunt; XVI. Kal. Martii signis explicatis, impedimentisque, & armis salvis, nec non honorifico duarum machinarum additamento Vrbe excedere permissi. Scripto tamen Savellius recepit, contra Regem ad Pomeraniæ & Megapoleos confinia, intrà trium mensium curriculum arma haud laturum. Qua de re cæteri quoque cum superioris, tum infimæ notæ ductores, totius præsidii nomine, fidem interpositum ibant. Ita locus vix ultra triduum regis arma remoratus est, quo tres ad minimum septimanas integras distineri posse senex Tillius crediderat: Cujus culpam

pam omnem Savellio Duci imputans, ab exercitu remotum Viennam ablegavit, in aulâ Cæsaris rei gestæ rationem redditurum. Anno 1637. Exercitu Cæsariano Pomeraniam invadente *Don Felix* Hispanus trecentis peditibus prædium ante Demminum aggredi jussus, ante aggerem arcis Demminensis IV. Non. Septemb. parvum munimentum excitare cœpit. Sueco autem milite sub Bannerio appropinquante, Suecici armamentarii Præfectus summus, *Torstensonius* aliquot machinis campestribus campo cis Tollensæam impositis munimentum illud nondum perfectum verberavit, & ejus aggressionem quingentis militibus germanis mandavit, qui à nõnullis Finnonibus scaphis Peenam à tergo arcis Demminensis superantibus adjuti à fronte & à tergo Cæsarianos fortiter quidem defensionis suæ satagentes obruerunt.

Munimento vi expugnato duo

Cen-

Centuriones Cæsariani cum aliis minoris notæ præfectis militaribus, & militibus occisi, & *Don Felix* (hoc casu infelix) & quidam alii milites captivi in urbem deducti sunt. Cæsariani tunc temporis circa Saroviam commorantes Malchinum perrexerunt, & Sueci versus Novam Kahlam exercitum suum moverunt: Sequente Novembri Urbem Cæsariani denuo circumvallarunt, quos diversis eruptionibus obsessi impetivere, præcipuè vero XI. & III. Cal. Decemb. equos, & milites captivos secum in Urbem auferentes. VIII. Id. Decembr. Saxoniæ & Brandenburgi Electorum cohortes militares *Maximiliani Goltzii à Cron* imperio parentes Cæsarianis se adjuxerunt, qui castris in monialium monte, (Nonnenberg) collocatis. V. Id. Dec. pratum superarunt, & Suecos ex parvo munimento prope Meynkrebs ad pontem expulerunt. IV. Iduum centum ex obsessis erumpentes

pentes ex acceſſibus hoſtes ejecerunt, illæſi in Urbem revertentes. Pridie Iduum carnifex proprium ſuū ſervum in extremo opere militari ante Vaccarum portam, & in hoſtium conſpectu, patibulo eum in finem erecto, laqueo affixit. Hic anteà captus à Cæſarianis ante Urbem, & Loitzium deductus pollicitus fuerat, ſe à Cæſarianis Magiſtratui Demminenſi traditurum. Ea de cauſa fugam ſimulantem, & ex acceſſu quaſi elapſum aliquot ſclopetorum ictibus glandium plumbearum expertibus Cæſariani perſequuti ſunt. Sed litteras ſibi traditas Magiſtratus, animadvertens, rem jam palam fieri, Tribuno *Henrico Buchen* nobili Livono, & urbis ac præſidiariorum præfecto oſtendit, qui ſuſpendio hominis infidelitatem compenſari juſſit. Idibus ipſis ex tribus ſuggeſtis viginti ſex machinarum bellicarum verberatione Urbs impetita, & præfecto deditionis occaſio oblata, qui

ſuo-

ſuorum inobedientia & liberationis deſperatione motus diſceſſum pactus eſt, ac XVII. Cal. Januariis Urbe dedita cum ſexcentis militibus, impedimenta ſua ſecum ſumentibus, ſed ſigna militaria Cæſarianis relinquentibus excedens Sttaleſundam deductus eſt. Cæſariani Schlickianæ Legioni Urbis tutelam commiſêre. Anno 1638. menſe Julio *Bannerius* Succiæ militiæ Dux poſt Loitzium occupatum in Demmini Urbis conſpectum veniens in loco Meyenkrebs munimentum excitavit, ac illud tot militibus ac tormentis majoribus implevit, ut præſidiarii excurſionibus in Pomeraniam ſolitis ſuperſedere coacti fuerint. Munimento extructo exercitum ſuum Tribbenſæam promovit, relictamque à præſidiariis Demminum aufugientibus occupavit. Demminenſes præſidiarii, ponte apud Meyenkrebs incenſo parvum ibi munimentum deſeruerunt VIII. Id. Octob. Sueci ſub Præfecto

ſuo

ſuo militari *Axelio Lillio*, mille nimirum & ducenti pedites, ac ducenti equites, in monialium monte, & poſteriore mola tentoriis collocatis, utrinquè Urbem cinxerunt, ac machinis bellicis verberarunt. Sed progreſſus alicujus faciendi ſpe abjecta XVII. Cal. Novemb. Loitzium reverſi in munimento juxta locum Meyenkrebs præſidium ſolitum reliquêre. Quoniam vero Demminenſes præſidiarii annonæ & aliarum rerum neceſſariarũ inopia laborare inceperant, & pauca illa Roſtochio advecta parum adjumenti conferre animadvertebant, omnes ſuos currus copioſo milite deductos Roſtochium mittere, ac ſibi de neceſſariis proſpicere conſtituerunt. Tutela commiſſa erat *Goltackero* Tribuni Legato, qui trecentis ſclopetariis, & ducentis equitibus Cæſarianos currus deducebat. Re hac comperta, *Axelius Lillius* prid. Non. Martii anno 1639. ſeptingentos pedites Trebelâ transmiſſâ

missâ in campum Kahlensem misit ut Cæsarianos Rostochio redeuntes aditu Dammini intercluderent, qui viam fossis intercisam uno & altero reductu muniverunt. Cęsarianis Rostochio redeuntibus periculum innotuit, ità ut se recipientes plagæ tamdiu substiterint, donec hinc inde tot sibi milites adjunxerint, ut mille numero obicem à Suecis oppositum vi perrumpere statuerint, & cæteris in Urbe significaverint, ut signo accepto erumpentes ab altera parte in Suecos irruerent. Ad hos verò intereà adductus quidam, qui cum cæteris Rostochium profecturis Demmino exiens in via socios deseruerat. Hic à Suecis persuasus cum tympanista Suecico ad portam Demminensem se conferebat, ac præsidiariis interrogantibus, quomodo cum auxilio venturo se res haberet, respondit, quod ex præsenti sua fortuna facili conjecturâ assequi possent, quam iniquè cum auxiliaribus copiis, quas
 expe-

expectarent, comparatum esset. Fusas eas, & cives, qui adfuerant captos in hostium manus incidisse. Præsidiarii homini noto facilè fidem habentes, ac tot molestiarum exantlatarum pertæsi, & incolis planè abrasis nil restare, quod degluberent, scientes, v. Idus Martii deditionem pacti, ac mille circiter numero, cum *Miniato Miniati* Italo præfecto Urbe per portam Kahlensem egressi sunt. Horis quatuor post auxiliares copię ad Urbem adventantes, cum duo ab ipsis in proximum munimentum, statum suorum explorandi caussa, missi non reverterentur, sed captivi detinerentur, ac qui in urbe fuerant, signo igni dato non responderent, mutationem prompto naso olfecerunt, & abierunt. Hoc Stratagemate ultimus hic locus, & tota cum ipso Pomerania Cæsarianorum onere levata est. Tot autem ac tantis invasionibus Demminum miserè vastatum & ad incitas redactum jam
non

non ſolum firmioribus operibus militaribus, & ædificiis internis validior, & ornatior exſurgit, ſed & priſtinum ſuum florem & nitorem recuperare incipit. Intus antiqua mœnia plurimis diſtincta fuere turribus, quas, faſtigiis dejectis Cæſariani mœnibus æquarunt. His temporibus Tollenſæa deducta, ut utramque Fœminarum (Frauenthor) & Vaccarum (Kuhthor) portam præterlapſa in Peenam, ſeu Panim fluvium ingrediatur, quod olim ſine fructu tentatum eſt, cum dicto fluento per foſſas urbem ambit. Demmini viſu dignum curriculum ferreum quatuor vetuſtas rotas ferreas habens, catenam, accompedes captivi olim à civitate Comitis alicujus, qui catena & compedibus vinctus quotidie curriculum illud circum totam Urbem trahens pœnam impoſitam luit. Altare etiam cernitur in templo, cui ſimile, aut par in totius littoris Baltici Urbibus cunctis non reperiri ferunt.

Tollensæa, *Tollensee* fluento nomen ortum à palude Tollensee in Marchionatu Brandeburgensi, supra urbem Brandeburgum, unde undas suas Treptoviam in Pomeraniam dimittit, proficiscentes inde Klempenoviam, ac Demminum, ubi cum Peenæ fluctibus commiscentur.

Ostenum, *Osten* arx ad Tollensæam, Demmino & Clempenoviæ interposita.

Clempenoa, *Clempenovia*, *Clempenovv* arx loco palustri in insula, quam divisus Tollensææ alveus includit, infra Treptoviam sedet, à qua circumjacens districtus præfectura Clempenoviensis dicitur. Hanc Præfecturam anno 1630. Pomeraniæ Dux coactus est dare pignori *Henrico Ludovico ab Hatzfeld* pro centum & viginti mille imperialibus, quam sibi Pomeraniam debere ajebat. IV. Iduum Augusti eodem anno astu militari intercepta à Cniphusio, & viginti quinque militum Suecorum, præ-

præſidio, ſubcenturionis cujuſdam ductu, firmata, poſtquam triginta ſclopetarii Cæſariani expulſi erant. *Savellius* v. Cal. Septembris eadem vi ex pugnata ſex præſidiarios cecîdit, ac reliquos cum ſubcenturione captivos fecit. Anno 1631. Februario menſe Suecorum armis Cæſariani altera vice exacti eam victoribus reliquerunt.

Treptovia, *Treptovv* in Marchionatus Brandeburgenſis finibus, qui diſtrictum Brandenburgiſch Werder nuncupatum finiunt, oppidum ad Tollenſæam flumen, cui quidam à vectigalibus (tollen) nomen natum exiſtimant. Id diſtinguendi cauſa à Treptovia ad Regam, quæ nova dicitur, veterem Treptoviam appellitant. Olim populoſior urbs majori hominum frequentia, & operum militarium firmitudine pollebat, ac monaſterio ornabatur. Campo multis rivis pervio cincta ſolemni mercatu triplici frequentes mercatores quot-

annis excipit: Die ſcilicet Jovis poſt Dominicam Eſto mihi; Dominicâ feſtum *S. Iohannis* ſequente; & eâ quæ *S. Dionyſii* feſtum antecedit. Arx ipſi adeſt, & præfectura, quæ diſtrictum Treptovienſem amplectitur. Sacerdotum ſuorum operâ *Otto* Bambergenſis Epiſcopus incolas Chriſtianę fidei cognitione imbuit. Anno 1461. à Ducibus Megapolenſibus dimidiam ferè partem exuſta, & ducentorum militum præſidio onerata. Sed Dux Pomeraniæ *VVartislaus*, cujus tutelę Pomerania citerior mandata erat, militibus ſuis Gryphiswaldia, & Demmino exiens aſtu militari portam occupavit. Præmiſerat autem currum ita adornatum, ut ad aurigę arbitrium frangeretur & collaberetur. Hoc igitur in porta media collapſo & fracto Pomerani militis in inſidiis latentes accurrerunt, ac urbem in poteſtatem ſuam redegerunt. Anno 1631. Clempenoâ menſe Februario Suecis deditâ,
Cæſa-

Cæsariani, Suecorum adventu non expectato sponte hoc loco excesserunt.

Vckera, die Vcker, amnis ex Electoratus Brandeburgensis Marchionatu Uckerano, die Uckermarck, ortum trahens effunditur à lacu Uckerano, Uckersee, supra Brentzloviam. Ex Marchionatu Pomeraniam ingressus Paswalcko mox in ipsis finibus præterito Torgeloviam defertur, ac tandem sub Uckermunda grandem illam paludem Das grosse Haff intrat. Loca Pomeraniæ, quæ celebriora in margine ipsius offenduntur sunt Uckermunda, Torgelavia, & Paswalckum,

Vckermunda, Vkermunde, os Uckeræ sonat, & denominationis occasionem ipsa loquitur. Nam civitas sub latit. 53. 50. longit. 38. 20. proxima est ostio Uckeræ hic in paludem illam grandem Frisch Haff, aquarum suarum onus deponentis. Apposita autem est ericeto grandi, seu tractui

silvestri, Uckermundische Heyde, abundante antehac ferorum equorum frequentia insigni, qui gregatim eum pererrare solebant. Variorum & diversorum colorum crinibus tecti longa & lutea in tergo lineâ naturali notantur. Quomodo capiantur, docet *Micrælius lib. 6. Pomeraniæ pag.* 393. Insignia Urbis integram avem Gryphem depictam ostendunt cum littera W. supra cassidem expressa. Synodus ejus octo parochias complectitur. Mercatui ejusdem quotannis celebrando destinatus est dies octavus post Ascensionem *Mariæ*. Anno 1190. mœnibus cingi cœpit. Anno 1370. *Zacharias Hase* Nobilis cum latronibus suis totum Senatum Uckermundanum subita oppressione captum in arcem suam Torgeloviam novam abduxit. Anno 1469. Electori Brandeburgico hic cum Megapolensium Ducum exercitu suum conjungenti tantum negotii à Pomeranis facessitum est, ut cona-

conatu irrito ipsi discedendum fuerit. Anno 1630. à Suecis Uckermunda occupata, ut commemorat, *Chemnitius lib. 1. volum. 1. p. 57. Oppidum, & arcem Vckermundæ à Ducis Pomeraniæ milite aliquò usque adhuc custodita Cæsariani, non obstante vi contraria pactorum cum Duce, tradito Garcio, initorum, postmodum, hoc expulso, occupaverant. Imminentibus vero Regiis Contius pœnitentia facti mox subeunte, occasionem Ducis cum Rege Sueciæ committendi hinc quaritabat; ab illo postulans, ut suos pronuper indigno modo ejectos, loco tutando remitteret. Quo renuênte Cæsariani, ut alibi, ita hîc se gerentes, loci prius expilati, vacua possessione Regiis cessêre.* Anno 1633. Comitia Pomerana hic celebrata. Anno 1637. Cæsariani urbe potiti, anno sequente 38. eadem cedere à Suecis coacti sunt.

Torgelovia, Torgeloa, Torgelovv. Uckermundâ flumine adverso ascendenti obviam fit civitas hæc Paswal-

co quàm Uckermundæ propior, & grandi silva ubique circumfusa. Tractus, in quo sita, Uckerani marchionatus pars est, sed ad Pomeranię Duces pertinens. Divisus enim ille Marchionatus duos agnoscit Dominos, Electores puta Brandeburgenses, & Pomeraniæ Duces: Nisi quis partem Pomeraniæ adhęrentem alio nomine appellare mallet. Historiæ veteris & novæ Torgeloviæ meminerunt. Arx splendida ibi est, Torgeloensis præfecturæ sedes. Bellis inter Brandenburgenses & Pomeranos vigentibus multis vexationibus exagitati Torgelovienses, de quo *Micrælius & alii.* Anno 1493. Clempenoa, Torgeloa, Stolteburgum, Boecke, Ramme, & quicquid inter Viadrum, & Randowam interest, ut & Jamekea, & Cummeroa ad *Nobiles & Arnimb* pertinentes, transactione ad Pomeraniæ Duces translatæ sunt. Præfectura hæc Torgeloensis anno 1628. à Pomeranię Duce *Antonio Schleifen*

Col-

Colbergensi Tribuno Cæsareo cujusdam pecuniæ erogatæ causa oppignerata est. Jus illud dicto Tribuno competens Sueciæ Rex post suum in Pomeraniam adventum Secretario suo *Philippo Satlero* donavit, qui eo nomine præfecturam tenuit, unde posteà haud leves controversiæ obortæ sunt. Vide *Micrælium lib.* 5. *p.* 212.

Pasevvalckum, Passevvalckum, Pasevvalck, Passevvalck in Pomeraniæ finibus civitas Torgeloę propinquior, à Prentzlovia Uckerani Marchionatus oppido remotior, sub latitud. 53. 29. & longitud. 38. 30. olim Pozdewalck nomen habuit. Uckeræ fluenti, cui assidet, beneficio cives in magnam paludem, das Grosse Haff, merces suas deportare possunt. A Pomeranis Chronicis, ut *Micrælius lib.* 6. *pag.* 598. *refert*, ità describitur: Complexu satis spatioso amplas plateas, duo templa *S. Mariæ* & *S. Georgii*, ac monasterium comprehendit,

& à civibus incolitur, quibus fides in Principem, & ſtudium Pomeraniæ adhærendi multum negotii faceſſivit, & plurimas vexationes peperit. Paſenelle cerevisia eſt, cujus coctione cives & fama celebres, & lucro opulenti evaſerunt. Hinc *Seccervitius*:

Fertile Paſvvalcum, ſuccos cui tradidit igni
Ipſa Ceres coquere, & pingues diſtendere cellas
Nectare, quo nullum Pomerano rure Coloni
Suavius Hyblæi ſorbent de more liquoris.

Scabinatus eſt in urbe, ac decem Parochiarum præpoſitura. Solennes, & annui Mercatus ei ſunt tres: Die Jovis poſt Dominicam Invocavit; Dominica Exaudi; & *S. Dionyſii* feſto. Inſigne ſcuti tria Gryphis capita, & ſuprà caſſidem tres ejuſdem avis ungues, Scabinorum verò ſcutum duo tantum capita conſpicienda exhibet. Incolis circa annum 1128.

Chri-

Christianæ fidei lumen innotuit, docente eos *Stanislao* Sacerdote ad Pasewalckenses misso à Pomeranorum Apostolo *Ottone* Episcopo Bambergensi, qui anno 1139. mundana hac luce frui desiit. Veteri stirpe Brandeburgensi anno 1322. deficiente, *Otto* Dux Stettinensis Pasewalckum & Marchionatum Uckeranum, olim Pomeranorum proprias terras, & à Duce Pomeraniæ *Barnimo I.* dotis loco Brandeburgensibus concessas repetere constituit. Antevertit ipsum *Henricus Leo* Megapoleos Dux, & *VValdemari* Electoris Brandeburgensis Gener, qui loca illa occupata sibi servare cogitabat. Pomeraniæ Duces *Otto, & VVartislaus I.* magna manu Megapolensi Duci se opponentes, militem ejus Prentzlovia, Pasewalcko, & toto illo tractu reliquo exturbarunt. Postea Imperatoris *Ludovici IV.* filio *Ludovico* Marchionatum Brandeburgensem consequuto civitates dictæ redditæ sunt recu-

recuperatæ anno 1345. à Duce Pomeraniæ *Barnimo*, quo tempore molitor quidam defunctum Electorem *VValdemarum* mentitus est. Molitore mortuo Saxoniæ Elector, & Anhaltini Principes tanquam proximi agnati Marchionatum sibi vendicantes Prentzloviam & Pasewalckum subjugarunt. Quibus ea loca ereptum ibant Dux *Barnimus*, & Marchio *Ludovicus Romanus*, qui amica transactione convenerant. *Barnimus* anno 1354. Pasewalcum adortus eam civitatem sibi submisit, ab eo tempore in Pomeraniæ Ducum potestate semper hærentem. Lite anno 1359. renovata, Pasewalckum Marchio *Ludovicus* exercitu suo circumsedit, quo à Pomeranis abacto controversia tandem ita composita est, ut Pasewalckum cum veteri & nova Torgeloa tamdiu in Pomeraniæ Ducum possessione maneret, donec ipsis tredecim millia marcarum argenti puri soluta essent. Anno

1445

1445. *Fridericus* Elector Brandeburgensis Pasewalckum & Torgeloam vi redigere in potestatem suam molitus est, quamvis omnia ejus molimina in irritum ceciderint. Tandem parum absuisset, quin Pasewalckum proditione in hostium manus incidisset. Duo cives ex Marchionatu oriundi, & Langenhalsii appellati opibus suis clàm in terram defossis ædes suas incenderant, quo tempore hostis urbem expugnando capere tentabat. Civibus incendium restinguendo, & Principibus ac militibus vallum ac mœnia defendendo occupatis, hostes vallo superato, ac porta Prenzlovianâ effractâ in urbem penetrârant, cum jam duas plateas incendium consumpsisset. Hoc tandem extincto, & duobus istis proditoribus cum uxoribus & liberis in ignem conjectis cives tanta animi alacritate, & fervore militibus opem tulerunt, ut hostes exacti, spe urbis potiundæ abjecta obsidium solverint

& re infecta abierint. Præsidium Pasewalcense posteà cum civibus nonnullis Uckeranum Marchionatum invadens, quocunque veniebat, omnia diripuit. Hoc revertens expectabant Prentzlavienses laqueis instructi, ut captos præsidiarios & cives Pasewalcenses vincirent. Sed ab his in fugam conjecti Prentzlavienses, eorumque ducenti propriis laqueis vincti Pasewalckum deducti sunt. Anno 1468. eodem successu irrito iterata obsidio Pasewalcensis ab Electore Brandeburgensi. Quæ porrò in hac Urbe contigerint, quoniam nimirum pacto sub tertio Episcopo Camminensi *Sigfrido* multi viri & fœminæ voluntariam mortem sibi consciverint; & pastorem suum *Zabelium Schunemannum* anno 1367. incolæ exusserint, eaque de causa totum octennium sub excommunicatione fuerint; quantis item vexationibus afflicti à pastore suo *Otthone Doeringio*; *Cramerus lib. 8. Histor. Eccles.*

clef.cap.20.& 55.item lib. 3.cap. 37. & alii commemorant. Proximo bello Sueco-Germanico Cæfariani miferrimam hanc urbem horrendis afflictionibus cruciarunt. Triennii fpatio, quo cives tàm horrendis hofpitibus hofpitia tribuerant, ultrà centum & quadraginta feptem Imperialium millia ipfis folverunt, & planè ad incitas redacti funt incolæ, adeò ut iis maximam partem dilapfis urbs adeò deferta reddita fuerit, ut vix tertia pars incolas habuerit. Audiamus *Chemnitium lib.2.volum.1.p.64.* graphica defcriptione miferrimam urbis fortunam oculis fubjicientem. *Ità Pencuni proceffum: Sed præ Pasvvalcenfi Tragœdia merus ludus, jocufque. Pasvvalcum Cæfariani ab anno* 1627. *prægravi hofpitiorum militarium onere, fine intermiffu, adeò oppresferant, ut de civium fortuna peniffimè jam effet actum. Tandem Iohanni Gotzio Tribuno Vrbis jam exfangue cadaver, five in hofpitium, five in prædam cedit:*

qui præter alimenta præbita octodecim Ioachimicorum milli minitabundus ab incolis poscit. Huic summæ cum solvendo non esset Civitatis enervis indigentia, pro-Tribunus VVinsius, pridie Cal. Augusti 1630. cum valida equitum peditumve manu eò missus, unum è Consulum numero, nonnullosque Senatorum, & opulentorum civium, ad octodecim capita, ut flagitatæ pecuniæ vades, in castra ad Garcium secum abducit; Vbi ferro præpediti, sub dio pluviæ ac tempestatum injuriis obnoxii, in nudo solo, fœtore, fame, ac siti tantum non enecti, extrema quæque perpetiuntur. Relictus quoque in Vrbe à VVitzio certo numero eques, dictæ summæ flagitiorum suorum insolentia extundendæ. Quâ molestiâ sese in universum, tum vades quoque suâ dura, quâ premebantur, captivitate liberaturi Pasvvalcenses mox opum profundere reliquias. Deficiente pecunia numerata, aurove, & argento facto ac infecto omni consumpto, tum commeatum varii generis in castra transmittendo, tum

tum ſequiora metalla in ſolutum dando, tum denique tranſcribendo nomina, quibus fide digni ipſis obſtricti erant, Gotzii avaritiam ſatiare conati. Interea accidit; Duas Regias cohortes, alteram draconum Sanct Andreano, peditum alteram Loyſonio è Kniphuſii legione Ductoribus appropinquantes, cum porta quaſi altâ pace pateret, nemine penè advertente, Vrbem ingredi, &, Cæſarianis extortoribus dilapſis, ejus adverſus hoſtium vim tumultuariâ opera ſatagere. Id quod tanta tamen celeritate fieri non poterat. Quin Gotzius cum trium millium agmine illicò advolans VII, *Id. Septemb. Regios adhuc imparatos, & amplitudini Vrbis defendendæ, ob paucitatem impares, opprimeret. Vbi cædibus, rapinis, ſtupris, tormentis in incolas adeò ſævitum, ut toto bello, quo Germania tot annos conflagrat, par aut ſimile quippiam fando vix inaudiverimus. Prout author laniena Pasvvalcenſis peculiari iſtoc ſcripto typis edito latius eſt executus. Tandem omni civium habentia cum pul-* -*viſculo*

visculo eversa, miles, ut ne ab injuria quicquam superaret intactum, incendio in ipsa ædificia exanima grassatur. Quod ut à tectis suis, aut saltem Deo dicatis ædibus averterent, tum incolæ, tum maxime divini Verbi Præcones Gotzii aures miserabilibus suppliciis, ac precibus, sed nequicquam pulsarunt. Surdus enim ad hæc, & obdurato animo militem non tantum non abstinuit, sed pluribus potius locis ignem injici denuò mandavit, sacramenti, quo Vrbem Vulcano devovisset, religione impietatem suam obumbrans: Ità Pasvvalcum excidionem passum, & in cineribus suis sepultum: Cui Rex Sueciæ, Christiana misericordia motus, & ut incolæ, qui supererant, vires aliquantulum resumerent, privilegium exemptionis ab omnibus militiæ oneribus ad sexennium indulsit. De laniena autem hac ipsi Pontificii & Cæsari addicti Scriptores judicant, mirandum haud esse, quod Deus Opt. Max. in perpetratorum scelerum ultionem hostis conatibus secundam auram aspirans Cæsarianorum

norum consilia ac cœpta felici successu destituerit.

In fine an. 1635. Pasewalcum à Cæsarianis obsessum est. Sequente 36. Cæsariani sub *Marasino* milites pro Tribunum Suecicum laxata custodia urbem servantem clandestino impetu oppresserunt. Subitæ calamitatis participes cives expilati, aliquot etiam lethaliter vulnerati, & miserrimè habiti. Inter eos *Paulus Ludemannus*, organorum artifex celeberrimus, qui Organa in templis non solum Pomeraniæ verum etiam finitimarum Regionum plura confecit, & in hoc tumultu, cum aliquò se occuluisset, globo sclopeti coxendicem læsus, ac maximos dolores passus expiravit. Anno 38. tota, in hac urbe, Legio Suecica octo cohortibus constans à Cæsarianis cæsa est: Urbs verò direptione iterum afflicta. Cæsarianis urbem relinquentibus Sueci redierunt. Sic ineffabilibus & incredibilibus miseriis & calamitatibus

ex-

exhausta hæc civitas omnibus cæteris Pomeraniæ civitatibus miserior & calamitosior fuit. Vide *Micralium*, *& Baptistæ Armati Rettung der Edlen Teuttschen Hauptsprache lit. C. v.VI.& tom. 2. Theatri Europæi fol. 216.*

Pencunum, Pencun, Penckun oppidum cum arce, Nobilium *ab Osten* sede, ad Randovam fluvium eo loco Pomeraniam terminantem, ubi palus est cum fluvio communis, in cujus medio loco editiori ita positum, ut palude undique circumfundatur. Latitudo ejus est 53 14. & longitud. 30. Anno 1190. mœnibus cincta civitas evasit, ac à Nobili *Schulenburgiorum* stirpe possidebatur, venditione postea devoluta ad Nobilium *ab Osten* prosapiam. Ager circumpositus ferax, & palus cum flumine piscibus affluentes. Vinea propter arcem vinum fert sapidum, & Pomerano aëri convenientem. Olim hic locus Griphenhagensi Synodo subjectus, pro-

propriam posteà nactus est Præposituram, mercatui suo destinatam observat Dominicam *S. Michaëlis* festum sequentem. Anno 1468. Elector Brandeburgensis Pencunum adventans, clausis portis, non admissus est. Anno 1479. Pax firma inita inter Electoratum Brandeburgensem & Pomeraniam, cui promovendæ *VVernerus à Schulenburg* præcipuam operam navavit. Hujus pacis beneficio Elector hoc oppidum cum præfectura, ut feudum beneficiaria possessione tenendum à *Bogislao* Pomeraniæ Duce obtinuit. Anno 1610. Dimidia oppidi pars incendio eversa est. Anno 1630. haud exiguum quoque incendium patiebatur. Sequuta est paulò post horrenda Cæsarianorum grassatio, quam ex *Chemnitii libro 2. volum. 1. pag. 63.* huic descriptioni inserimus. *Pencuni oppidum Garcio haud procul dissitum, quod à prima Cæsarianorum receptione, per integrum penè triennium hospites hos benevolè foverat,*

rat, collatis pro opibus ac virium copia, pecuniæ commeatusve subsidiis, speciali insuper protectorio, seu tutelari diplomate, adversus militum injurias à Contio munitum erat, XIV. *Cal. Augusti hostiliter, auspicante Germano milite, diripitur. Hic enim sub transitus per urbem postulati colore, amicè intromissus in prædam mox vertitur: Arceque & æde sacra cumprimis, tum privatorum quoque domibus expilatis, arcis, armariis assulatim comminutis, incolis miserrimè habitis, ac opimioribus quibusque spoliis in currus impositis discedit. Qui præmiorum illice Croatæ inescati paulo post, effractis vi portis, irrumpunt, &, ut in racematione sibi relicta, quo minus, quod rapiant offendunt, eò acrius non arcem modo, & ædem sacram, privatorumve domos, sed ipsa quoque mortuorum sepulchra perscrutantur, & eò crudelius sese gerunt; nullo injuriarum exquisitissima carnificinæ genere prætermisso, indicinam eorum, quæ defossa forte, aut abstrusa forent, ab incolis extorquentes, adeò ut*

ne

ne Parocho quidem (M. Caspari Marco) à quo tamen hospitio antehac non semel lautè excepti fuerant, aut hac humanitatis memoriâ, aut sacrorum reverentia inducti manum abstinuerint. Miserrima fœminarum conditio: Quarum pudori, sine ullo divini humanive juris respectu, vis illata. Quinetiam, si quæ in paludibus inter arundines se occultaverant, inde extractas miles, ut nefariæ libidinis victimas, ante se agere. Viri nonnulli ab uxoribus liberisve injuriam prohibere conati, tanquam præcedanea pudicitiæ suorum hostia cadere: Ne exsuccæ vetularum edentularum ætati, nec puellularum, si quæ octo decemve annorum occurrerent, teneritudini, nec hominum locorumve reverentiæ parci: Ipsa compita, ipsa cœmiteria, ipsa Deo dedicata loca stuprorum ac libidinis palàm compleri visa. Micrælio teste lib. 6. p. 625. hoc oppidum, Germanico bello durante, aliquoties incolis planè vacuum fuit.

Randoa, Randova, Randovv fluen-

tum paulò ſuprà Pencunum oriens, inde Lockenitzam Electoratus Brandeburgenſis oppidum petens, ac Pomeraniæ ſylvas porrumpens, inter Torgeloviam, & Uckermundam ab Uckera ſuſcipitur.

Garcium, *Gartz* in ſiniſtra Viadri orâ ſub latit. 53.13. & longit. 38.45. aditum ex Marchionatu Brandeburgenſi in Pomeraniam cuſtodit. Mœnibus hunc locum firmavit Pomeraniæ Dux *Barnimus I.* anno 1258. agrique prolixi poſſeſſione auxit. Quicunque Pomeraniam bello adorti ſunt, ſemper ad hunc locum, ob ſitus commoditatem, collinearunt. Ejus præpoſitura octo Parochias inſpectioni ſuæ obnoxias comprehendit. Mercatus annui quinque hic ſunt ſolennes. Tres omnis generis merces vendunt. Die Jovis poſt Dominicam Invocavit; Dominicâ Vocem jucunditatis, & Dominica *S. Michaëlis* feſtum antevertente: Duo rei pecuariæ conſulentes beſtias venales addu-

adducunt. Die Mercurii nimirũ post Trinitatis Dominicam, & die *Simonis Judæ* festo posteriore. Ann. 1469. Elector Brandeburgensis Garcio potitus, & loci commoditate invitatus arcem condidit in oppido, octo aut decem annis post ipsi rursus erepto à Pomeranis insigni stratagemate usis, dum sub avenæ in urbem advehendæ prætextu, eam subito recuperant. Electoris sequutam obsidionem postea defensione validissima elusit. Anno 1630. Dux Pomeraniæ coactus est hunc locum Cæsarianis tradere, cum parum surgere incepisset post insigne damnum à duobus incendiis ipsi illatum, quorum prius sub *Johanne Friderico* Duce quinquaginta domicilia, horreis non annumeratis, & turrim cum campanis depavit; posterius verò trecentas ædes in cineres mutavit. Anno 1630. Gryphenhagâ nocte natalitia Christi præcedente à Sueciæ Rege occupata, Panicus terror Cæsariana ad Garcium castra in-

vaſit, adeò ut *Schaumburgius* Campi Mareſchallus urbem cum copioſo admodum commeatu incenderit, Franckofurtum ad Viadrum cum exercitu Cæſariano aufugerit, ac Regi nidum vacuum, & in cineres redactum reliquerit. Anno 1635. Garcium occupatum Cæſariani iteratis & conſuetis cruciatibus divexant. Sequente 36. idem poteſtati ſuæ per deditionem ſubmittit *VVrangel* Sueciæ militiæ præfectus generalis, ac menſe Auguſto anno 37. eodem iterum excidit. Ad Suecos rediit poſteà, iiſdem rurſus ereptum menſe Martio, anni 38. ac tandem eodem anno à *Bannerio* receptum, ac cum omnibus ædificiis ac operibus militaribus ejuſdem juſſu dejectum, & ſolo æquatum, ita ut templum ſolum cum ſchola reſiduum fuerit.

Dammum, Damm ſub latitud. 53. 26. longit. 38. 45. olim Vadam appellatum oppidum, Stetino milliaris unius ſpacio diſtans, ad oſtium Ploenæ flumi-

fluminis, quod in paludem Dammẽſem, ab ipſa urbe ita denominatam, effunditur. Ante *Ottonis* Epiſcopi Bambergenſis adventum jam populoſa & celebris Poloniæ Duci auſa eſt portas occludere, magno tamen ſuo malo, utpote in quâ anno 1121. vi occupatâ Dux *Boleſlaus* crudeliter ferro graſſatus eſt *Bogiſlaus II.* & filius *Barnimus I.* Pomeraniæ Duces ipſi mœnia circumdederunt, quibus adhuc firmatur. Poſterior Dux *Barnimus I.* plærumque in hâc urbe aulâ ſuâ commorari ſolitus, utpote Stettino proximâ, & piſcandi ac venandi commoditatem optimam ſuppeditante. Anno 1299. *Otto* Pomeraniæ Dux conſtruxit aggerem illum amœnum, utrinque ſalicibus denſis, aliiſque arboribus conſitum, flumina Regelitzam majorem, minorem, & Parnitzam pontibus ſternentem, ac Dammo Stettinum ducentem. Ejus conſtruendi cauſa pro quavis orgyâ per triennium duos ſolidos (ſchilling) civi-

civibus Sedinensibus dictus Dux solvit, ac vectigal ejusdem concessit. Magna huic urbi superiori sæculo controversia navigationem concernens fuit cum Stettino: cui posterior illis adjudicata est, sentẽtiâ latâ pr. Cal. Julii an. 1584. in judicio Ducali, quam Judicium Cæsareum 16. Cal. Mart. Anno 1604. approbavit, ita ut Stetinenses Dammensibus navigationem in mare prohibendi jus obtinuerint. Anno 1630. post Stettinum à Rege Sueciæ occupatum eandem fortunam Dammum habuit. Anno 1635. Incendia bina idem turpiter fœdarunt. Prius verno tempore ferè totam in cineres vertit. Posterius dimidio anno post totum suburbium consumpsit. Sic incendia, præsidia militaria, & crebræ militum transitiones ac commeationes in tot ac tantas hanc urbem ærumnas conjecêre, ut vix jam incolas in ea invenire liceat. Tres habet mercatus, primum die Veneris ante Dominicam

cam Cantate, alterum Dominica palmarum, & tertium festo *S. Michaëli* sacro. Pastoratus ac Diaconia Urbis ad Stetinensem Synodum pertinent. Plura vide apud *Micralium.*

Ploena, *Ploene* fluvius ex finibus Pomeraniæ Novum Marchionatum (Neu Marck) attingentibus emanans supra Kolbatzium oppidulum celebrem illam paludem, in qua Maduie vocitatâ magnæ murænæ capiuntur, colligit, ac inde descendens, & ostii margine sinistro Dammum tangens in Viadri fluctibus perit.

Golnoa, *Golnovia*, *Golnovv*, sub latitud. 53. 32. & longitud. 30. 16. Hanseaticarum in Pomeraniâ civitatum decima, & ultima ad Ihnam amnem, qui Stargardia decurrens, & hanc urbem præterlapsus Viadri aquis suas immiscet. Privilegiis insignibus, præcipuè iis, quæ silvas concernunt & venationes, ac aquas cum piscationibus, gaudet, præposituramque habet, cui novem parochiæ

obnoxiæ ſunt. Scuti inſignia ſunt navis aperta & arbor viridis cum ramis, & Gryphe propter arborem: Mercatus tres celebrat: Dominica ſcilicet Judica; Dominicâ poſt feſtum conceptionis *Mariæ*, & die Martis poſt feſtum omnium Sanctorum. Beneficio, & cura Ducis Pomeranię *Bogiſlai II.* mœnibus anno 1190. hic locus incluſus civitatis jus conſequi meruit. Silvis ligno affluentibus opulentior, quàm agris, quos venti vehementioribus flatibus graſſantes arena ſæpius obducunt. Tractus ad hanc urbem pertinens circuitu ſuo non quidem rotundo, ſed fines ſequente, duodecim aut tredecim milliaria comprehendit. Hinc præter commoda, quæ navigabilis fluvius Ihna urbi confert, Silvę circumſedentes inſigne ipſi lucrum pariunt. Dammum enim inde iter facientibus ſylva milliarium quatuor tranſeunda, quæ die Golnoviſche Heide nuncupatur. In ea temporibus noſtris

ſtris quidam Pomeraniæ Dux ſclopeti globo interfecit cervum cornibus ornatum in quibus triginta quatuor apices numerabantur. In rei memoriam columna erecta, quà locus quarta unius milliaris parte à via abeſt. In eadem ſilva propè Inenburgum, anno 1625. quo mille & quingentos homines Golnoviæ peſtis abripuit, ingens & horribilis Urſus (quod genus animalium in hiſce oris infrequens, imò plane inſolens) in conſpectum prodiit, & captus Golnoviam deductus eſt. Olim civitas ditior, populoſior, & ædibus ornatior, poſtea diverſis incendiis diminuta, ac tandem poſtremis illis bellis ac turbis ad tantam ſolitudinem redacta eſt, ut ſuburbium, & Laſtadia, in quibus tot incolæ, quot intra ipſius urbis mœnia fuerant, planè habitatoribus deſtituantur. Primum incendium anno 1529. turris templo adjuncti faſtigium pulcherrimum corrupit, urbique ipſi præter viginti æ-

des incolumes nil reliqui fecit. Alterum duodecim annis post sequutum, exceptis paucis ædibus reliquas omnes consumpsit. Tertium an. 1539. cum vespertino tempore concio haberetur, à fulmine templum tangente excitatum triginta octo homines læsit, & aliquot occidit, urbiq; haud parvum damnum intulit. Quartum & ultimum, paulò ante bellum Pomeraniam invadens, anno nimirum 1621. quo Dux *Bogislaus XIV*. Pomeraniæ gubernationem orsus est, itidem à fulmine ortum traxit. Subitum hoc, & inexspectatum, quandoquidem aliud ullum nec præcesserat, nec sequutum fuerat, incensa ædis sacræ turri, adeò celeriter invaluit, ut cum integro templo potissima ac maxima urbis pars in cineres abierit, *Bogislaus* Dux, qui quatriduo ante, cum comitatu suo in transitu ibi substiterat, & urbem florentem reliquerat, post aliquot septimanas rediens nil nisi cinerum & lapidum congeriem

geriem ac rudera offendit. Templo restaurando pecunia per Pomeraniam collecta, & præterea insignis cura & diligentia adhibita fuit, ut civitas ipsa redintegraretur. Anno 1630. Cæsariani vastatam, & ad incitas redactam civitatem Sueciæ Regi reliquerunt: quæ postea variis calamitatibus & ærumnis oppressa plane suo splendore excidit.

Viadrus die Oder, die Ader, antiquis Iader, Viader, Viabus, Viadus, Viadrus, etiam Suevus, *Plinio* Guttalus, & *Helmoldo* Odora. *Ortelius in thesauro Geograph. Guttalus numeratur à Ptolomæo inter Germaniæ flumina in Oceanum Germanicum exeuntia. Althamero Oder est. Al facit Hadrianus Iunius ex eo, qui Koninxbergam præterlabitur, & in Venedicum sinum infunditur.* οὐιαδος *Viadus Ptolomæi videtur, quem recentiores ferè omnes, perperam Viadrum appellant. Idem Ptolomæus Iaduam* ἰαδοῦα *habet, quod idem cum Viado videtur. Suevus vel* Συῆβος

Ptolom. Germaniæ fluvius, qui hodie Spree Althamero, Curæo, & VVillichio est. Oritur in Bohemiæ montibus, & in Albim se exonerat. Becanus, Beutherus, & Nivemontius Oderam esse scribunt. Ego potius Peene fluvium (hodie sic apellatum) putaverim, quia hujus ostium medio ferè itinere est inter Oderam & Viadrum, ubi Ptolomæi Suevus est. Svvine est Pucero in Idyllio, cui lubens assentirer, nisi fluminis nomen esse scirem. Ortu ex Silesię finibus Moraviæ vicinis capto mediam illam regionem, & Electoratum Brandeburgensem permeat, sub Vierraden urbe Pomeraniam intrans, ubi post brevem descensum per diversos alveos aquam dispersam inter Garcium & Gryphenhagam Stettinum deducens diversas insulas gramine læto luxuriantes efficit. Ante Stettinum in quatuor se diffundit meatus quorum Stettino proximus est ipse Viadus, alter Parnitza, tertius minor, & quartus major Regelitza.

Tres

Tres posteriores infra Sedinum aut Stettinum aquas confusas colligunt lacu non exiguo. Ab oppido Damme nomen est Dammensi lacui, in quem duo adhuc flumina properant, Ploena ostio Dammum tangens, & Ihna Golnoviâ descendens. Dammum in ulterioris Pomeraniæ orâ ripæ insidet ob illuviem fluvii altius emergenti, & à Sedino objacente diversis Viadi meatibus, ac profundissimis, peneque imperviis paludibus segregata. Aggerem tamen per voragines has magno labore stravit antiquitas; cui cum rectâ in sternendo viâ progredi integrum non esset, sed editiores colliculi inter paludes, & stabilior fundi uliginosi terra observanda forent, factum est ut longitudinem milliaris unius occuparet, & pontibus connecteretur, quà dictis Viadri fluentis interrumpebatur.

In medio aggere haud longè ab e-

tu inferiore insulæ, quam hinc minor, illinc major Regelitza insigniter profunda & lata lambit, ex cocto lapide crassam turrim struxit antiquitas, ut transitui patrocinaretur. Hic vectigal Sedinensibus penditur in reparandorum pontium & aggeris usum.

Pontes autem, qui Ploenam & dictos quatuor Viadri meatus tegunt sunt sex; longus Pons 210. Parnitzæ Pons 179. minoris Regelitzæ 55. Vectigalis seu majoris Regelitzæ 313. Ploenæ 31. & Arboris pons (die Baumbrucke) 210. ulnas Norimbergenses longitudine, & unusquisque 24. latitudine complectitur. Agger lapideus inter pontes per milliare Germanicum extenditur, in cujus medio ædes sunt vectigalibus pendendis destinatæ, quas opera militaria circumducta probe firmant. Præter quatuor illa Viadri fluenta plura sunt alia, quæ Viadro aquas suas associant: nomina apponam: Longa fossa;

ſa; Wreckernitza; latus Canalis Breite Fahrt; Duntzka apud pratum laniorum propè Stetinum in lacum Dammenſem ſe recipiens: Lacus Mellenſis ad Mellen; Schultzenwerder; Schwanta, quæ Golnovienſem Canalem, Golnowiſche fahrt intrat: Wedderſata; Schwantevitza vel lapidum Canalis Steinfahrt: Canalis Poelitzenſis Poelitziſche fahrt; & alia minora, quæ piſcibus affluentia ad Stetinenſes pertinent.

Cęterum Viadrus in Dammenſi lacu diſperſas ante aquas colligẽs efficit adhuc duas paludes, Damantzam, & Sacerdotum aquam (die Damantze, & Pfaffenvvaſſer) poſt quas in paludem Friſch Haff aquas tot congeſtas recondit. Lacus hic aquarum ex Viadro, Uckera, & Pani ſeu Peena fluentis illabentium collector, nomine à dulci aquarum ſapore ducto, per tria oſtia in mare Balticum evadit, ac duas oſtiis includit inſulas. Primum oſtium Panis ſeu Peenæ nomen retinet

net à Pani ſeu Peena fluvio undas ſibi tradente, ac cum altero oſtio Suina vel Suevo Uſedomiam Inſulam claudit. Ex lacu autem Friſche vel Groſſe Haff inter Uſedomiam & continentem curſum promovens, aquis in medio dilatatis & Uſedomię inſinuatis palude luxuriatur, quam poſteriorem aquam, aut Laſſanenſem paludem ab urbe proxima Laſſan (das Acherwaſſer, die Laſſanſche ſee) nuncupare ſolent. In exitu proximè Rudam Inſulam portu tutiſſimo navibus ſtationem largitur commodiſſimam, ubi olim Wineta emporium celeberrimum fluctibus marinis obrutum fertur. Oſtium medium Suine Uſedomia & Julino inſulis ſegregatis aquas ſibi concreditas mari Baltico quidem tradit, ſed commoditate priori non reſpondet. Divenoa Julini inſulam à Pomeraniæ ulterioris continente diſterminans tertium eſt oſtiorum dictorum, quod vadoſum naves, vel mediocres non patitur.

Sedi-

STETINUM



Oder

1. Furstlich Schloß.
2. St. Marien kirche.
3. St. Iacobs kirche.
4. Rathauß vnd Hewma
5. St. Peters kirche.
6. St. Niclas kirche

Sedinum , *Stettinum* , *Stettin* , *Stetin* ſub latitud. 53. 27. & longit. 38. 45. quadrati oblongi figura ſiniſtræ Viadri ripæ accumbens, clivoſo ſitu ab inferiori parte Orientem & Viadrum inſpectante in Occidentem paulatim per collem aſcendit. Vetus Sedinum (Alten Stetin) ut à novo in ulteriori Pomeraniâ ejuſdem nominis oppido diſcernatur, appellatum amœniſſimo inſidet tractui, & jucundiſſimo proſpectu tam aquas quàm inſulas locaq; remotiora eminus cõtemplante oculos paſcit. Inſpicientes etenim ſectionem illam fluvii quadruplicem quatuor ejuſmodi fluentis inter inſulas arboribus viridantibus veſtitas placido meatu delabentes aſpectus ille jucunditate ſumma permulcet. Collem, in quo ſuperior civitas hæret, nomen bipartitur: Pars una apud arcem Ducalem Oltboeterberg, & altera apud portam Paſſavienſem Roedenberg nuncupatur. Antiqua mœnia ex lapide circa

circa urbem ducta, turribus distinguuntur plurimis, fossâ ambiuntur, & iterum cinguntur novis operibus militaribus, quæ proximo bello Germanico excitata urbem firmissimam reddunt. Ut autem Stralesunda Rugiæ Principatus, ita hæc urbs Pomeraniæ Metropolis, à Sidinis hujus tractus incolis antiquis, in hac urbe conventus suos plærumque agere solitis nomen mutuasse, & in Ducum titulo Ducatui primo Pomerano nomen imposuisse creditur. *Sideni, σιδῆνοι sunt Germaniæ populi Ptolomæo. A VVillichio, Peucero, & VVolfgango Iusto in Stetinerlandt statuuntur. Ortelius in Thesauro Geographico.* Cum Wendæ, post Gothicos, & Suevos Sidinos linguæ ac moribus suis imbutos, hanc urbem incolerent, aliam situs sui figuram exhibebat, ac ante quadringentos adhuc annos ejusmodi structurâ apparebat, ut *S. Petri* templum medium in urbe locum obtineret, & Principis arx ibi esset, ubi nunc

nunc *S. Mariæ* templum visitur; *S. Iacobi* Parochia verò extra veterem arcem Stetinensem collocata urbe excluderetur. Tandem, urbis bonum publicum Ducibus promoventibus, Saxones accesserunt, quorum adjumento civitas triangularem, aut ferè quadrangularem figuram nacta *S. Petri* templum pomoeriis exclusum cum vicis, & Lastadiis (loca sunt ubi naves ædificantur, & plærique nautæ habitant) extrà urbem relinqueretur. Sequutis tamen temporibus dicti vici superior & inferior, ac magna Lastadia incolis pluribus abundabant, ita ut inferiori vico 137. in utraque Lastadia 372. in superiori vico 280. & ante portam Molarem etjam aliquot ædes numerarentur: Bella tamen proxima incolarum frequentiam minuerunt. Numerus templorum intrà pomœria frequens. *S. Mariæ* Basilica ex Ducis *Barnimi I.* & *Machtildis* uxoris ejus anno 1261. cui tandem adjunctum templum

Cathe-

Cathedrale *S. Ottonis*, ex quorum riditibus multi bene meriti de Republica viri ſuſtentati, & Pædagogium Ducale conſtitutum anno 1541. cui hactenus ſumma cum laude præfuerunt Rectores *Antonius VValtherus*, *Caſparus Langſiedel*, *Matthias VVolfius*, *Martinus Rhoelius*, *Conradus Bergius*, *Salomon Geſnerus poſteà profeſſor VVittebergenſis*, *Chriſtophorus Butelius*, *Daniel Cæſar*, *Chriſtophorus Hunichius*, & *Martinus Leuſchnerus*. Templum arcis eſt vetus illud *S. Otthonis* templum à *Barnimo III.* anno 1347. conditum, & alio modo à Duce *Iohanne Friderico* juxtà arcem conſtructum. *S. Iacobi* templum conditorem habet *Beringerum* nobilem Auguſtanum, qui anno 1187. ſuperba ſtructura illud erigendum curavit, & duobus pagis Cletzkoviâ & Griebeno, ædibuſque prioris dotavit, ut aliquot monachi ibi alerentur. Templum hoc Curatoribus ſuis acceptum fert, quod hactenus ſplendorem ſuum

um non modo conservaverit, sed & superioribus annis etiam utroque Organo, suggestu, Senatorum subselliis, Altari, Baptisterio, Bibliotheca, Musico theatro, & artificioso Horologio à Chori tergo, cunctis partim novis, partim haud exiguo sumptu emendatis & reparatis ornatum fuerit. Turris ipsa, anno 1604. structuram non satis firmam nacta, anno 1636. aliquot pedum altitudine, & structura firmiore aucta est. *S. Nicolai* templum anno 1335. mercatores suis sumptibus ædificarunt, quod antiquam formam obtinet: Turris autem anno 1576. ipsi adjuncta est. *S. Iohannis* templum cum Cœnobio adhærente *Machtildis* Princeps anno 1210. ædificandum curavit. Cœnobii reditibus pauperes cives aluntur. Albi Monachi Ordinis Carmelitarum structuram templi incœperant post forum equorum, quod Choro jam eleganti perfecto, absolutum non est, ac postea in Scholam mu-

mutatum, eòque translata altera, quæ jam anno 1390. apud *S. Iacobi* templum constituta fuerat. Illius Scholę Rectoratu anno 1636. fungebatur *Iohannes Micrælius*, ex cujus descriptione Pomeraniā patriam illustrante multa deprompta huic nostræ inseruimus. Extra Urbem *S. Petri* templum jam *S. Ottone* vivente ædificatum, cui turris præsens anno 1602. accessit. Ita etiam *S. Gertrudis* templum in magna Lastadia, cui organum novum nuper additum ornamenti haud parum conciliat. Sunt præterea aliæ quoque ædes Sacro usui destinatæ: ut Pauperum domus ante *S. Spiritus* portam anno 1337. constructa; Cœnobium *S. Iohannis*, de quo modo diximus; Monialium Cœnobium ante portam mulierum, Frauen Thor, quod ad alios usus hodie conversum est. *S. Georgii* locus, quem cum templo anno 1535. fundavit *Reineke VVessel*: Carthusianum Cœnobium, in Oderburgam mutatum,

tum, ſed utrumque jam deſtructum, & everſum: Domus Ducalis pauperum ad *S. Petrum* à *Barnimi X.* uxore conſtitutum: Monialium domus in colle Roedenberge: Xenodochium *S. Eliſabethæ* anno 1441. in platea anteriore (Vorſtraſſe) inſtitutum: Xenodochium, & Domus peſte correptos recipiens ad *S. Gertrudis* ædem Domus Pinſenorum ante *S. Spiritus* portam: *Hermanni Berckhofii* ſtructura, ante paucos annos ab ipſo illo Camerario *Berckhofio* uſibus ſacris deſtinata. Collegium pauperibus liberis, & expoſititiis dicatum à Conſule *Ottone Lagentenſelio* anno 1391. & ad quatuordecim numerum reſtrictum: in quo præclara ingenia educata, & inter ea *Bartholomæus Schvvave*, qui tandem ad Epiſcopatus dignitatem pervenit. Collegii hujus patronus eſt Senatus Urbanus: inſpectores verò nonnulli ex ſenioribus diverſarum tribuum, & cum primis Syndicus urbis, qui nuper erat

D.

D. Michael Raschius. Quæ, præter hæc opera, & ædificia Ecclesiastica, aliæ structuræ, & ædificia splendida in ipsa Urbe, ac præcipuè moles illę militares sumptuosæ, magnificæ & validæ, urbique defensione sua patrocinantes, ac partim ab antiquis partim post Regis Sueciæ adventum constructæ occurrunt, eas facilius inspexeris, quàm descripseris.

Jure Magdeburgensi anno 1243. à *Barnimo I.* civibus permisso Civitas utitur: Adjunctum est huic aliud Jus municipale ab anno 1464. in civitate receptum, quod *Micrælius lib. 6. pag.* 565. describit, & alibi etiam indicat, quo pacto civitas jus suum administret, ac Scabinatum constituat. Judicii illius peculiaris sunt duo judices, unus Principis, alter Senatus, & undecim assessores, qui quovis anno octo dies judiciales celebrant. Quemadmodum verò omnes civiles & criminales causæ coràm hoc

hoc judicio, ità & omnes Politicæ actiones & causæ, ut & aliquot aliæ peculiares exceptæ coram Senatu deciduntur, qui etiam Lastadiense, & Weddense judicium, & reliqua porrò politicam administrationem concernentia per judicem suum curat. Causæ verò Mercatorum in domo Seglerhause, in qua aliâs recreandi causa conventus aguntur, ab octo Senioribus primo mox conventu dirimuntur. Privilegia quibus civitas fruitur, magni sunt momenti, nimirum, Stetinensem civem in peregrinum judiciū vocare non licet: Quæcunq; merces adverso Viadro ascendunt, aut secundo flumine descendunt, Stetini, cui stapulæ seu stationis mercium jus proprium est, deponendæ. Stetinum mercibus præter naviganti cæteris meatibus uti non licet, sed ipsa urbs Stetinum prætereunda: Frumentum certo & statuto tempore coëmere aut sine Consulum permissu exportare nulli

peregrino permittitur. Hamo & parvis retibus ubique piscandi facultas civibus datur; Excipitur tamen Dammensis palus, in quâ nassis ex filo confectis piscari prohibitum est. Piscationibus verò suis in propriis aquis sine ullius tributi solutione liberè frui possunt. Nusquam terra marique quà Ducatus patet, vectigal pendunt: Wolgasti tamen, & in aliis civitatibus dimidia Vectigalis pars ipsis remittitur, dimidia vero pendenda est. Spatium trium milliarium urbem circundans nullas nobilium arces admittit. Imò Principes ipsi, nec in Viadri marginibus, nec in paludis Frisch Haff, aut Suevi ripis usq; ad littus maris ullum munimentum se erecturos spospondeerunt. Monetæ etiam certum genus cudendi concessum est urbi, cujus arcem Ducum solitam sedem Dux *Iohannes Fridericus* splendidè ornavit, & postremi Duces *Philippus Franciscus & Bogislaus* egregiorum ædifici-

orum

rum accessione auxerunt. Insignia urbis exhibent caput Gryphis rubrum, & coronatum, capillis prolixis, & vestimentis longis virum sellæ insidentem, dextra gladium tenentem, & juxta se duos Gryphes, in duobus scutis pictos, quod urbis sigillum est eam Stitin nuncupans. Ad mercatum ejus confluunt Mercatores die Dominica post Ascensionem *Mariæ*: *S. Catharinæ* die festo, & die Veneris post *Galli* Festum. Res in hac urbe gestas describunt *Daniel Cramerus in Historia sua Ecclesiastica*, & nuper defunctus Consul Stetinensis *Paulus Frideborn in Chronico Sedinensi*, ex quibus nonnullas delineabimus. Anno 1121. *Boleslaus* Poloniæ Dux, glacie superata, improviso impetu cives obruit, ac non solum civibus tributum imperatum extorsit, sed & octo circiter millia virginum & juvenum abduxit, ac baptizatos per regionem suam distribui curavit: Stetinenses vero ad recipiendam Re-

ligionem Christianam obstringere se coëgit. Anno 1124. *Otto* Bambergensis Episcopus per paludem Frische Haff Stetinum adventans, bonum, apud præcipuæ notæ civem *Dubslaum* nomine, hospitium nactus est, qui ante quidem cum uxore sua baptizatus Christianæ Religionis tamen exercitio inter Ethnicos non ita vacare potuit, quanquam id operæ dederit, ut liberi ejus aliquot precatiunculas memoriæ mandaverint. Duorum mensium spatio Episcopus *Otto* parum proficiens tandem aliquot pueros & puellas pollicitationibus allectos, & Christianæ Religionis notitia imbutos baptizavit. Duce Poloniæ Sedinensibus imperatum tributum remittente, eâ tamen conditione, ut fidem Christianam amplecterentur, ad id faciendum tota civitas summa promptitudine se accinxit. *Otto* Episcopus baptizando mox initium faciens, templis Ethnicis eversis, aureum Idolum ideo

triceps

triceps, quod trium populorum, Stetinensium, Pomeranorum, & Slavorum Deus esset, ex loco suo deturbavit, & Romam, Papæ dono mittendum servavit. Novo autem templo erecto, scholam quoque juventuti instituendæ adornavit. Templum in medio erat foro *S. Adelberto* dedicatum, cui alterum *S. Petri* quoque accesserat. Ad Ethnicismum removendum Stetinenses majori fervore, excitavit Sacerdos Ethnicus *Ratibor* appellatus, qui sermone admodum seditiosè se *Ottoni* Episcopo opponens noctu mortuus inventus est. Sed mox post Episcopi discessum, cum contagiosus morbus Urbem invasisset, Stetinenses eum ob novam religionem acceptam pœnæ loco sibi immissum rati, *S. Adelberti* Templo usque ad Chorum dejecto Sacellum sui tricipitis Dei *Triglaffi* adjunxerunt, ac arbitrati sunt, ita unum Deum esse colendũ ut alter oblivioni non traderetur. Accidit autẽ

quod miraculi loco habitum, cum quidam securim manu tenens columnam ligneam, cui Chorus dicti templi *S. Adelberto* consecrati innitebatur, primo ictu petiturus esset, ut ipsa manus confestim diriguerit, & ipsum ab incœpto desistere coëgerit. Alterâ vice in Pomeraniam appulit Episcopus *Otto* anno 1128. ad quem in Comitiis Vsedomiæ præsentem Sedinenses Legatos miserunt, & defectionem suam confitentes absolutionem impetrarunt. Ipse Episcopus Sedinum rediens Triglaffi sacellum diruendum curavit. Porrò nucem, quæ incolis ad magnam Idololatriam exercendam inserviebat, secando deturbandam jubens summum vitæ periculum subibat. Postea Religionis Christianæ confessio, & exercitium mira incrementa sumsit. Bello Hussitarum in Germania sæviente magna contra Senatum suum seditione cives Sedinenses concitati fuerunt. Anno 1622. Dux
Phi-

Philippus primum fundamenti lapidem posuit in Horto Ducali versus Viadrum, quem postea cum arce illa pulcherrimâ Oderburgâ ante Stettinum mox sequentia tristia tempora civilibus bellis ardentia dejecerunt. Anno 1616. Vulgus Stetinense in Senatum insurgens primum & præcipuum Urbis ministrum ante Consulis Rammini oculos trucidavit, & per fenestram in forum præcipitem egit: Seditio admodum furiosa vix compesci & sedari poterat. IV. Id. Augusti anno 1631. Sedini morbo extincta est *Christina Axelii Ochsenstirnæ* Regni Sueciæ Cancellarii filia, & *Gustavii Hornii* Campi Suecici Mareschalli uxor, cujus corpus mortuum in Sueciam deportatum est. Anno 1637. ibidem animam efflaverunt *D. Daniel Crammerus* concionator & Professor ad *S. Mariæ* ædem. III. Non. Octobris; & *Paulus Frideborn* Regi Sueciæ & Pomeraniæ Ducatus Consiliarius & Consul Stetinensis

XVIII. Cal. Decembris Author est supradicti Chronici Stetinensis. Qui plurium de hac urbe rerum cognoscendarum desiderii tenetur, legat *Iohannem Angelium à VVerdenhagen de Rebusp. Hanseaticis part.* 3. *cap.* 10. *pag.* 242. ac præcipuè *cap.* 23. *pag.* 329. *seq.* ubi, hanc urbem ann. 1364. Hanseatico fœderi junctam esse tradit: *Georg. Braun tom.* 4. *Theatri urbium*, qui hujus Urbis situm, negotiationem, commeatum, prata, omnis generis optimos, & vili pretio constantes pisces, silvas, ligna, & incolarum mores ac civilitatem rectequidem laudat, at in describenda ejus origine aliisque similibus hallucinatur: quem errorem etiam *Munsterus in sua Cosmographia* committit: *Casp. Ens in deliciis Apodemicis per Germ. p.* 278. *seqq. Petrum Bertium lib.* 3. *Rer. Germ. pag.* 677. qui etiam errat: *Dresserum de Vrbib. German. Hebererum in Ægyptiaca servitute, Itinerarium Germaniæ p.* 376. *seqq.* & ejus *Continuationem*

nem pag. 199.*seq.* ubi inter alia; quod dies longiſſimus Sedini habeat 17. horas: Pædagogium, vel ſchola Ducalis reditibus locupletibus prædita ſit; nonnulli ſtudioſi in quædam collegia recepti pretio exiguo vivere queant, & in Urbe Miniſterium Eccleſiaſticum Bibliothecam inſignem poſſideat: Quod in *S. Iacobi* templo Epitaphium cernatur duorum Conjugum, qui 48. annos in conjugio unà viventes duodecim liberos, 78. nepotes, & 48. pronepotes viderunt. *Petrus Eckſtede* maritus annum agens 76. anno 1551. & uxor *Margaretha Pyls* annos habens 87. anno 1570. expiravit, præter hæc ſequentia quoque ibi narrantur: Arx, atria adjuncta ſi excipias longa eſt 188. pedes; in ea viſu digna Bibliotheca, artificioſorũ operum, & rerũ Camera Arca ſive armarium argentea vaſa continens, Campana magna, quæ à quatuordecim viris movenda, cœnaculum magnum cum novem ca-

minis, & nonnullis fornacibus, instrumentisque musicalibus, & vitris artificiosis, ac pretiosis. In templo arcis apud suggestum contemplatione digna: Conditorium monumenta & sepulchra Ducum complectens, & superius arma & vexilla suspensa. Porro etiam visuntur hortus, novum ædificium, stabulum, & parvo ab arce milliari vinea vini ferax. In urbe, cum ante bellum adhuc populosa esset, plures sub terra, quam supra eam habitabant, eò quod ædium fundamenta, sive inferiores partes fornicatis operibus constructæ nonnisi ex plateis illabenti lumine illustrantur; & ingredientibus ex plateâ nonnisi cellæ habitacula illa videantur. Ædificia urbis elegantia quidem & concinna adhuc anno 1605. fastigia habebant canalibus aquam in plateas demittentibus, quod plateis & ædibus ornatum adimebat. Curia urbis à fronte & tergo fastigia habet miro opere ita facta, ut non solida sed undique

dique pervia & fracta unumquemque in admirationem rapiant. Anno 1630. VI. Id. Julii *Bogislaus* ultimus Pomeraniæ Dux se & urbem Sueciæ Regis *Gustavi Adolphi Magni* tutelæ & protectioni commisit: ut videre est apud *Micrælium lib.* 5. *pag.* 255. *sequ. & Bogislaum Philippum à Chemnitz lib.* 2. *volum.* 1. *de bello Sueco Germanico pag.* 47. 48. 49. 50. 51. *&c.*

JULINUM INSULA.

JUlinum Insulæ, & urbi nomen: Wollinisch Werder illa, hæc Wollin Germanicè nuncupatur: Illa ad ortum Divenoâ, ad Septentrionem mari Baltico, ad occasum Suevo, & ad Meridiem palude Frisch-Haff septa est.

VVollin, *Iulinum* sub latitud. 53. 45. & longit. 38. 45. ad Divenoæ sinistrum marginem, quà ex palude Frisch-Haff inter Insulam & Pomeraniæ ulterioris Continentem egre-

ditur, in Balthicum mare se receptura. Olim ex Julini ruderibus surgens emporium fuit admodum celebre, & potens, quod cum tempore decrevit, & bellis proximis eò deductum est, ut vix trecenti cives eam hodie incolant. Habuit quoque Virginum sacrarum Monasterium anno 1288. fundatum. Hodie arx Ducalis ibi, præfecturæ Julinensis sedes. Synodus & præpositura undecim parochiis constat. Ex hac urbe oriundus *Iohannes Bugenhagius* vulgò Pomeranus Professor, Pastor, & Superintendens Wittenbergensis, usque in annum 1558. De Stirpe *Bogdale vel S. Ottenschlager* agit *Micrælius in hujus Vrbis descriptione lib. 6. Pom. p.*608. Mercatum urbis ter frequentant Mercatores, die Lunæ post Dominicam Invocavit, Dominica Trinitatis, & festo *S.Ottonis* die. Quantum ad Julinum illud, ex quo hæc civitas nata fertur, quidam autumant, Cæsare *Augusto* imperante Roma-

Romanos quosdam in hac insula *Saxoni Grammatico* Ostrosma appellata Schitzam appulisse, & in *Julii Cæsaris* honorem & memoriam Columnam erexisse: ad quam cum magnus hominum concursus fieret, tandem ibi civitati enascenti tantam potentiam accrevisse. Fieri quoque posse, ut Germani ipsi, aut apud Romanos stipendia merentes, aut etiam cum ipsis bellantes *Julii Cæsaris* facinoribus heroicis moti fuerint, ut ipsius nomen civitati Julino imposuerint. Sensim autem ad nomen Wollinum prius deflexit nomen, notum jam *VVitichindo* Saxonicarum rerum Scriptori, apud quem Wollinensium Slavorum mentio occurrit. *Cromerus lib. 1. de rebus Polonicis* linguam Polonorum respiciens Wollinum vel Volinum à bobus derivat. Post Winetæ Emporii Rugiæ occasum inter Europæ emporia Julinum & maximum & celeberrimum evasit. Omnis enim Winetę navigatio par-

partim Wisburgum in Gothlandiam, partim Julinum migravit. Hinc tantę ipsius potentiæ origo, ut graviſſimis bellis geſtis *Suenottonem* Daniæ Regem ter captum abduxerit. Quàm populoſa fuerit, inde colligi facile poteſt, quod incolis ab *Ottone Epiſcopo Bambergenſi* fidei Chriſtianæ notitia eruditis viginti duo hominum baptiſmate ſacro tingendorum millia nomina ſua profeſſa fuerint. Poſt ejus tamen diſceſſum Julinenſes mox à fide Chriſtiana deficientes, & ineunte æſtate Ethnicum feſtum more priſtino celebrantes, comeſſationibus & ebrietati indulgebant, idolum quoddam vetus alicunde conquiſitum magno gaudio & plauſu per civitatem portabant, & horrendis execrationibus Chriſto maledicebant. Sed ignis ſubito ex cœlo delapſus, ut Pomeraniæ Chronica tradunt, urbem accendit, & horrendo modo in cinerem redegit. Ac quamvis poſtea redintegrationem ejus

moliti sæpius fuerint, conatu tamen irrito manum Dei gravissimam senserunt, donec anno 1170. Waldemarus Daniæ Rex ingentem classem ad insulam Julinum appellens inexspectato impetu urbem obruerit, diripuerit, & denuo incensam propriis cineribus texerit: Ex cujus ruderibus Wollinum hodiernum emersit: Inspice *Iohannem Micrælium lib. 1. pag. 107. seq. & lib. 2. pag. 144. seq. ut & multis aliis in locis. Danielem Cramerum lib. 1. Hist. Eccles. c.* 19. ubi multa de Julino urbe, & Insula, & *cap.* 22. 25. 32. & 35. ubi de hujus Episcopatus, & ejus Caminum translati fundatione agit. *Iohannem Angelum à VVerdenhagen de Rebusp. Hanseat. p. 3. cap. 23. pag. 329. Caspar. Ens in deliciis Apodem. per Germ. pag. 279. Hermannum Bonnum in Chronicis Lubecensibus. A ij. Iohannem Regkmannum in Chron. Lubec. pag. 1. seq. & Hermannum Conringium de Vrbibus Germ. th. 29. &* 86. Anno 1628. Julini Cæsaria-

ſarianis hoſpitantibus, coci cujuſdam, quem vigiliarum præfectus penes ſe habebat, incuria incendium ſubitò exoriens templum, ſcholam, Curiam, civitatem totam, arciſque Ducalis partem flammis devoravit. Anno 1630. poſtquam Sueciæ Rex menſe Junio exercitum ſuum in Pomeraniæ littus expoſuiſſet, & Uſedomiam occupaſſet. *Nullam in adverſa ripa (Sic Chemnitius lib. 2. volum. 1. pag. 46. de bello Sueco-Germ.) remoram ſibi objici conſpicatus militem in ultratam Iulini ripam Cymbis trajicere gnaviter inſtitit. Cujus Cæſariani, qui in Urbe cognomine vires ſuas ad tredecim equitum peditumve cohortes contraxerant, vixdum certiores facti, urbe hac caſtellove ad Divenoæ oſtium, deſertis, & ponte, qui Iulinum Contingenti jungit, ignibus, quantum feſtinatio permitteret, corrupto præcipiti curſu triduum, antequàm Regiorum quiſpiam illò proximaret, in diverſa dilabebantur.*

USE-

USEDOMIA INSULA.

USEDOMIAM INSULAM ambiunt fluctus Suevi seu Suinæ ab ortu, Baltici maris à Septentrione, Peenæ seu Panis fluvii ab occasu, & paludis Frisch Haff à Meridie. Septum olim habuit hæc insula leporibus, capreis, cervis, & apris refertum, in quo Principes venatione indulgere soliti: Hodiè bellorum injuriis sublatum, & in nihilum redactum. Præfectus Pudglæ, ubi anteà monasterium fuit, Ducis nomine insulæ huic imperat.

Usedomia, *Usedom* è regione Uckermundæ in latere Meridionali insulę, quam nominis sui participem reddidit, olim Usna vel Usena; sub latit. 53.47. & longit. 38.30. post vicinæ urbis Winetæ interitum, adeo potens, magna, & valida fuit, ut Danis & Polonis multum negotia facessserit, antequam potentia fatiscente in eorum

eorum poteſtatem redigeretur. *Ottone* Epiſcopo Bambergenſi ex Pomeraniâ domum abeunte, magna hæc Civitas Uſedomia, ipſo abſente ab Ethniciſmo ſuo ad veræ fidei profeſſionem ſe recepit, ità ut in reditu in Pomeraniam anno 1128. Epiſcopus ipſo Pentecoſtes feſto Comites, Nobiles, ac præcipuæ notæ plures alios, qui ad Comitia Uſedomiæ celebrata confluxerant, ſacro baptiſmatis fonte abſlutos Chriſtianæ Eccleſiæ inſeruerit. Anno 1183. Uſedomia obſidio irrito à Daniæ Rege tentata eſt. De bellis Uſedomiæ civitatis cum Danis & Polonis, ejuſdemque obſidione, & occupatione prolixè tractat *Micrælius lib. 2. pag. 221. ſeq.* Anno 1473. tantum ipſi damnum intulit ignis, ut tota civitas, cum Curîa, & omnibus ferè civium opibus conflagraverit. Ab eo tempore ipſi ad priſtinum ſplendorem redeundi nec poteſtas nec occaſio data fuit. Supervenerunt bella proxima, quibus

bus modo Cæſarianorum modo Suecorum poteſtati ſubmiſſa eſt. Belli viciſſitudines ipſa ſequuta ad interitum, ut multæ aliꝫ in Pomerania civitates, declinavit. Synodus ejus in decem parochiis conſiſtit. Primo ejus Mercatui deſtinata eſt Dominica poſt Viſitationem *Mariæ*, & alteri decimus quartus poſt *Michaëlis* Feſtum dies. Anno 1630. in Uſedomia Inſula militem ſuum expoſuit Rex Sueciæ, & nemine ſe opponente, diffugerant enim Cæſariani, urbem & Inſulam ſui juris fecit. Anno 1637. Cæſariani poſt munimenti ad Peenemundã occupationem aliquot ſcaphas & lembos nacti, duo militũ millia in Uſedomiam inſulam transmiſerunt, eaque potiti Suecos, qui non confeſtim Suevo transjecto in Julinum Inſulam ſe retraxerant trucidarunt. *Banerius* verò militiæ Sueciæ Præfectus ſummus metuens, ne hâc ratione aditus maritimi ad Straleſundam urbem in diſcrimen adduceren-

cerentur, summa festinatione Julinum se contulit, & *Blumio* maris præfecto in mandatis dedit, ut navibus bellicis nonnullis Usedomiam peteret.

Tanto apparatu viso, Cæsariani, qui omnem commeatum & annonam insulæ Usedomiæ consumpserant, eam deseruerunt. De Wineta *Micrælius lib. 2. cap.* 15. sequentia memoriæ prodidit. Wineta *Helmoldo* & *Crantzio* testibus una fuit ex maximis & potentissimis Europæ civitatibus, quam Slavi aliis populis mixti incoluerunt. Saxonibus etiam in ea habitandi, ac negotiandi facultas permissa, ea tamen conditione, ut cæteros incolas superstitioni propriæ addictos Religione, seu Christianismo suo missos facerent. Cives alias hospitales, benigni, & bene morati apud unumquemque honesta sua vivendi ratione laudem inveniebant.

Urbem frequentabant etiam Græci,

ci, aut potius Russi, multarumque aliarum nationum Mercatores, quorum affluxus frequens civibus ingentes divitias & facultates conciliavit; adeo ut portæ civitatis ex ære paratæ, & argentum tam vulgare ibi esset, ut ad communium & vilium rerum usum adhiberetur.

Cæterum urbs ista Wolgasto distantiâ duorum milliarium remota ad Peenæ seu Panis fluvii ostiũ situm suum habuisse, arguunt indicia sub aquis hodiè tranquillo Cœlo apparentia, & in Mari è Regione Dameroviæ, dimidio à littore maris milliari, ostendentia, quàm pulchro ordine aquis tectæ plateę jaceant, & quod pars urbis illa sub fluctibus latens, & in oculos inccurrens Urbis Lubecæ circuitum complexu suo longè superet. Potentissimam hanc civitatem tandem civilium dissensionum incendio inflammatam fuisse *Crantzius* refert.

Cum

Cum enim Wendæ, Wandali, & Saxones in ea habitarent, alter alterum præcedere dignitate ſtudebat. Wandali Regis Sueciæ *Haraldi* & *Hemmingi* Daniæ Regis opem imploraverant anno *Chriſti* 796. quo tempore Imperii Germanici gubernationem adminiſtravit Imperator *Carolus Magnus*. Hi Wandalis contra Wendas ſubſidio venientes Winetam diruiſſe perhibentur. Mare tamen forſan urbem majori damno affecit. Hoc enim horribili inundatione exæſtuans magnam Pomeraniæ partem cum urbe Wineta ſubmerſit. Ejuſmodi enim exæſtuationes maris diverſæ diverſis etiam Pomeraniam cladibus, & quidem permagnis afflixerunt. Imò non abs re quis arbitretur, ubi jam Pomeraniæ fundum ſub aquis latet, ibi olim inter Rugiam & Garoicam paludem pulchras regiones fuiſſe, præcipuè cum *Ptolomæus* jam ſuo tempore Pomerani littoris curvitatem

tem ullam ignoraverit, ac propterea verisimile sit, terram fuisse arari & conseri solitam, quodcunque spacium palus, das Frische Haff, hodie fluctuum suorum ac cursu operuit. Hoc non ignotum iis, qui ejus paludis accolæ quotidie his temporibus terram indesinenti aquarum alluvio exedi & avelli animadvertunt. Nautæ ipsi fundum submersæ regionis indicium esse, etiam fatentur. De Usedomia & Wineta pluribus agunt *Chytr. in Saxon. p. 10 seq. Ioh. Angelius à VVerdenhagen de Rebuspubl. Hanseat. part. 3. cap. 23. pag. 329. Hermannus Conringius de Urb. Germ. th. 29. & 86. C. Ens in delic. apodem. per Germ. pag. 277. & Hermannus Bonnus in Chronic. Lubec. A. j. ij.*

In Continente Citerioris Pomeraniæ describenda restant oppida Anclamia & Wolgastum.

Anclamia sub latitud. 54. 2. & longit. 38. 15. Hanseatico fœderi inserta civitas, testante *VVerdenhagen de Re-*

bus

bus Hanseat. part. 3. cap. 24. pag. 335. qui Anclamiensium & Gryphiswaldensium constantiam & fidem in Hanseaticum fœdus ibi deprædicat, & situm urbis Anclamiæ delineat. Situs huic urbi contigit amœnus in agro fertili ad Peenam fluvium, latus unum tractu uliginoso, pratis, & aggere milliaris partem quartam longo cingens, alterum verò vallis validis, & fossis profundis muniens, præter mœnia interiora, & turres, quibus antiquitas urbem circumdedit. Piscium multitudinem Peena suppeditat civibus, & id commodi confert, ut secundo flumine unum milliare descendentes, & Lassanensem paludem permeantes, Wolgastum prætereundo, mercibus onustas naves in mare deducere queant. Hinc negotiatione & navigatione satis commodâ fruentes sibi de necessariis gnaviter prospiciunt, quibus id præconii Chronica tribuunt, quod modesti, ergà peregrinos se humaniter

gerant

gerant. Mercatus unus quotannis in alteram post nativitatis *Mariæ* festum, Dominicam cadit. *Micrælius lib.* 6. *pag.* 583. *seqq.* Anno 1183. in bello Pomerano cum Danis gesto *Canutus* Daniæ Rex Groswinam urbem egregiam Anclamię vicinam funditus evertit. *Idem lib.* 2. *cap.*89. *pag.*267. *Daniel Cramerus in Historia Pomeraniæ Ecclesiastica lib.* 2. de dicta urbe tradit, quod hodie vallum sit haud longè Anclamiâ dissitum Stolpam versus, & in campo Anclamiensi via hodiè adhuc supersit, quæ Groswinensis via appelletur. Anclamiam anno 1191. à Duce *Bogislao III.* conditam Chronica dicunt, cum tamen jam *Taciti* temporibus Angli hunc locum incoluerint. Ideo *Peucerus in Chron. Carionis lib.* 4. Ancklam Anglehem quasi Anglorum Heim, vel Heimat, quòd vocabulum patriam sonat, pronunciavit; Anglia tandem hinc ad Albim, atque inde porrò in Angliam commigrarunt. Un-

de conjiciendum, Anclamiam tunc temporis, anno nempe 1191. non ita conditam esse, quasi antea non fuerit; Sed ita intelligendum, quod eodem anno mœnium defensionem nacta, urbs esse inceperit; quemadmodum antiquitus ferè omnes Germaniæ civitates vici fuerunt, quod de plærisque antiquis Pomeraniæ Urbibus quoque notandum. *Micrælius lib. 6. pag. 583. item lib. 1. & 2.* Anno 1319. *VVartislaus Bogislai IV.* filius Augustinis Monachis arcem suam donavit, ut illam in cœnobium mutarent. Pecunię collectionem quoque in circum sedente regione ipsis permisit, eâ conditione, ut in lapidei aggeris constructionem insumerent. Anno 1387. totus Senatus Anclamiensis à civibus trucidatus est. Anno 1459. Magna ipsis cum Schwerinensibus controversia fuit. *Micrælius lib. 3. c.* 47. 49. 65. 83. Diversa incendia Anclamiam magno damno affecerunt. Paucis annis, antequàm Senatum suum

um cives occiderent, cum Templo, cœnobio & Curia igni tota civitas periit, quidam anno 1376. alii 77. nonnulli etiam 84. hoc contigisse asserunt. Ex cineribus & ruderibus tamen posteà pulchrior & splendidior surrexit. Anno 1424. *S. Nicodemi* die festo iterum igne exusta est, aliquot tantum ædibus propter Cœmiterium Templi *S. Mariæ* residuis. Centum annis post, die Jovis Dominicam Reminiscere sequuto curia Ministrorum Urbis incuriâ flammis correpta, cum multis Privilegiis exustis, in cineres redacta est. A Cæsarianis anno 1630. ultimo Cal. Augusti deserta duodecimo Cal. in Sueciæ Regis potestatem civitas incidit. Militiæ Cæsarianæ Præfectus summus *Gallas* anno 1637. diversis oppugnationibus admodum gravibus Suecico Campi Mareschallo eandem extorquere frustra molitus. *Micrælius lib.* 5 *cap.* 9. *pag.* 363. *seq.*

VVolgastum VVolgast civitas ad-

modum antiqua cum arce Ducali, in quâ nonnulli Duces habitare soliti, & Principatus Wolgastensis rectio sedem habuit, sub latitud. 54. 14. & longit. 38. 15. Peenæ vel Panis fluvii ripę paulò supra ostium apposita, quâ per profundum, & navigationi aptissimum alveum aquarum potissimam partem lacus Frisch-Haff, vel Grosse Haff in Mare Balthicum emittit. Portus hîc sub Insula Ruden totius Pomeraniæ commodissimus, quem naves undique ex mari venientes, & Pomeraniæ civitates maritimas petiturę frequentant. Quæ Stetinum & Anclamiam tendunt, hîc Wolgasti vectigal pendere solent. Quæ ad sustentationem pariter, ac voluptatem hominis requiruntur, affatim civibus suppetunt; Nam & totus districtus uber ac fertilis est, venatuique feras copiosè sufficit, & quæ desunt, ob loci & situs commoditatem undique tàm terrâ quàm mari advehi pos-


WOLLGAST.
Oder flus

possunt, adeò ut Principibus aularum suarum sustentatio hic sit facilis, propter cuncta necessaria, quæ ex omnibus Præfecturis ubertim subministrantur. Piscibus juxta cum Sedino & optimis; & vili pretio comparatis cives compotes fieri possunt. Templum in Urbe unum, magnificè tamen structum, & Ducum plurimorum conditoriis exornatum. Præposituræ Urbis adhærent 22. Parochię. Scutum ejus turrim habet, cum duabus utrinque clavibus erectis, & duobus gryphibus uno pede supremo clavis foramini, & cæteris tribus turri insistentibus. Mercatus ei solennis & annui sunt festum navitatis *Mariæ*, & Dominica *Galli* diem præcedens. Ducalis magnificam & superbam ostentat structuram, & defensione validâ situatur, semper munimenti fortis nomine celebrata. Collapsam Dux *Barnimus* renovavit, ac circum circà vallum per datam fossam Panim flu-

vium circumduxit. Proximis autem bellis operum militarium plurium adjunctione validior reddita tàm Cæsarianis quam Suecis eam sibi mutuò eripientibus multum negotii facessivit. Olim Wendensibus bellis has terras divexantibus molestiarum & ærumnarum plurium haud expers fuit hæc civitas, modò Rugiis, modò Megapolitanis, modò Pomeranis in manus incidens, & superioris semper fortunam sequens. Incolarum ad Christianam fidem conversio *Ottoni* Bambergensi multo labore, & multis difficultatibus constitit, teste *Cramero in Histor. Ecclesiastica lib.* 1, *cap.* 28. *&* 29. *ac Micrælio in descript. Pomer. lib.* 2.*pag.*237. *seq.* Templum *Herveitii*, qui apud incolas Belli Deus erat, ut *Baroveitius* Deus mercaturæ curam gerebat, valida & forti structura excitatum Episcopus sanctificavit, & Christiano usui consecravit. Circa annum 1164. quo tempore Imperio Romano præfuit

fuit Cæsar *Fridericus I.* Daniæ Rex cum *Tetzlao* Rugiæ Principe classem suam Wolgastum appulit, eamque sine oppositione aliquâ captam Rugię Principi reddidit: quandoquidem incolæ impressioni tam validæ impares cum uxoribus, liberis, & opibus mobilibus in proximas sylvas aufugerant. A Pomeranis receptam irritâ obsidione posteà tentarunt Dani ac Rugii, quod factum est antè tempora *Casimiri* & *Bogislai* citerioris Pomeraniæ Ducum, quos idem Cæsar *Fridericus I.* anno 1181. Imperii Romani Duces creavit. Anno 1183. *Canutus* Daniæ Rex, & *Iaromarus* Rugiæ Princeps Wolgastum frustra obsederunt. Anno 1512. tota Urbs exusta est, ac posteà nunquam priorem ædificiorum splendorem consequi potuit. Anno 1557. arcem Ducalem negligentia pistoris cujusdam ebrii invasit incendium ferè totam exedens. Igne combusti tre-

decim homines, & inter eos duæ virgines & duo pueri nobiles. Dux *Philippus* ipse cum uxore, & junioribus principibus ægrè periculo elapsus est. *Ernestus Ludovicus* Pomeraniæ Dux Anno 1592. denatus, in hanc arcem aquam, cujus penuria erat, per milliare unum & quod excurrit, fistulis sub terra defossis, deducendam curavit, ac arcis ipsius structuram, Septentrionem versus novi & pulchri ædificii additione absolvit. Anno 1628. Rex Daniæ *Christianus IV*. exercitum suum huc adducens ante urbem montem Zisenberg muniendum curavit: Omnia in arce inventa, cum multis tormentis bellicis, navibus imposita in Daniam misit, & diversa loca vicina sui juris fecit. Interim Cæsariani copias suas Griphiswaldiæ coactis per paludem Wolgastum ducentes Danos, quadringentis eorum cæsis, ex aditu, quem custodiebant, exegerunt, Daniæ Rex castris
deser-

desertis in urbem se recipiens, eam igne ædibus subjecto incendit, ac milite navibus imposito in Daniam vela dedit, postquam novem dies Wolgasti commoratus fuerat. *Fridlandiæ Ducis* milites, seu Cæsariani in Urbem venientes incendium quidem restrinxerunt, sed cives expilarunt, ac arce deditione potiti, insulam Usedomiam à Rege desertam receperunt. Anno 1630. v. Cal. Augusti Sueciæ Rex per *Cniphusium* Generalem Vigiliarum præfectum Wolgasti Urbem primo impetu admotis scalis cœpit. Cæsariani in arcem se recipientes obsessi ultimo Cal. Septembris ad pactionem descenderunt, & deditâ arce postridiè excesserunt. Anno 1637. Cæsariani eadem urbe cum arce potiti anno sequente 38. deserere rursus eam à Suecis coacti sunt.

FINIS.

IN-

INDEX.

Regionum, Insularum, Urbium, Arcium, Municipiorum, Pagorum, Lacuum, Fluminum, Sylvarum, Montium &c. quorum descriptio in his tractatibus occurrit.

A.

Elde-

G.

Novo-

Vadsten

V.

Vixia

FINIS.

a 2

Cespeauccm. Bon